Ci 1.19

R40471

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21721658

DISSERTATIONES MEDICÆ
IN
UNIVERSITATE VINDOBONENSI HABITÆ
AD
MORBOS CHRONICOS
PERTINENTES
ET EX
MAX. STOLLII
MEDIC. CLINIC. P. P. O. PRÆLECTIONIBUS
POTISSIMUM CONSCRIPTÆ.

EDIDIT ET PRÆFATUS EST
JOSEPHUS EYEREL.

VOLUMEN PRIMUM.

VIENNÆ,
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER
MDCCLXXXVIII.

PRÆFATIO.

Cum viderem in plurimis & Germaniæ, & aliarum Regionum Academiis morem obtinuiſſe, ut Diſſertationes, quæ pro obtinendis ſummis in Arte Medica honoribus publice fuerant habitæ, in unum poſtea colligerentur corpus, atque typis ederentur; has quoque in Univerſitate Vindobonenſi ventilatas Diſputationes junctim edere conſtitui, ea præcipue ductus ratione, cum & ad chronicos maximam partem morbos pertinerent, atque ex *Stollii* potiſſimnm Prælectionibus duxerint originem. Illud denique accedit, quod abolito per legem ſupremam Academicas Diſputationes celebrandi ritu, ra-

rior

rior in dies ſit has Diſſertationes obtinendi occaſio.

Volumen alterum, juncta ſynoptica in utroque volumine contentarum materiarum tabula, propediem ſequetur.

THOM.

THOM. FRANC. CLOSSET
STABULETO - MALMUNDARII
DISSERTATIO
DE
FONTIBUS INDICATIONUM
IN MORBIS CHRONICIS.

§. I.

Morbi in genere ratione periculi & decurſus diſtinquuntur in *acutos* & *chronicos*. *Morbus acutus* a medicis dicitur ille, qui celeriter & cum periculo ſtadia ſua percurrit, morbus vero *chronicus* dicitur ille, qui tardo paſſu, cum vel ſine periculo progreditur; ex quibus patet ad morbum acutum duo ponenda eſſe, videlicet celerem decurſum & ſimul periculum; decurſus vero tardus præſcindendo a periculo morbum chronicum determinat; non male *Celſus* definivit morbos chronicos: *ſub quibus neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt.* a)

§. II.

Morbi chronici originem ſuam ducunt vel ex cauſis internis vel ex cauſis externis; cauſas internas ad duo generalia capita refert *magnus* *Boer-*

a) Lib. 3. Cap. I. pag. III.

Boerhavius b); ait enim: *illi (morbi chronici) ſi in corpore nati, ortum duxerunt vel ex vitiis liquidorum ſenſim natis, vel ex vitiis relictis a morbis acutis non bene ſanatis.* Vitia in humoribus ſenſim nata idem auctor c) ex triplici fonte derivat: 1. ingeſtis, aëre, cibo, potu, condimento, medicamento, aut etiam veneno, tam alienis, ut noſtris humoribus ſimilia non ſint, tam validis ut vi noſtrorum viſcerum humoribus noſtris aſſimilari non poſſint, 2do a viribus noſtris nimiis in ingeſta, 3tio a ſpontaneis noſtrorum humorum vitioſis permutationibus, quos fontes fuſius explicat van Swieten. d) Vitia a morbis acutis non bene ſanatis dividit in duas claſſes, ſcilicet in vitia ſolidorum & fluidorum, præcipua inde orta humorum vitia juxta eundem ſunt e) 1. purulenta, 2do. ichoroſa, 3tio putrefacta. Vitia ſolidorum ſunt abſceſſus, fiſtulæ, empyemata, ſchirri, cancri, caries. f) *Cel. Tiſſotus* quatuor generales morborum chronicorum fontes aſſignat, nimirum 1. congenitam aut acquiſitam ex variis cauſis ſolidorum debilitatem, 2do læſam digeſtionem & debilitatem partium digeſtioni inſervientium, 3tio vitia poſt morbos acutos male aut imperfecte ſanatos relicta, quæ vitia duas in claſſes partitur; ſunt enim vel cacochymia maſſæ univerſalis humorum, vel morbus cujusdam partis peculiaris v. g. indurationes &c. 4to nimiam mobilitatem ſyſte-

b) Aph. de cog. & cur. morb. §. 1050.
c) ididem §. 1051.
d) Comment. in aph. Bœrh. §. 1051.
e) Aph. de cog. & cur. morb. §. 1052.
f) ibidem §. 1053.
g) Avis au peuple §. 592. ad 605.

ſtematis nervoſi, ex quo ultimo fonte ultra dimidiam morborum chronicorum partem ortum ducere aſſerit. g) Præter has cauſas internas, dantur & aliæ externæ in corpore non præexiſtentes, quæ difficillimis morbis chronicis producendis ſunt quam aptiſſimæ; compreſſio imprudens capitis in recens natis, vel & junioribus, perpetuæ ſtultitiæ & convulſionibus toties originem dedit. Colaris nimia adſtrictio narium hæmorrhagiam frequentem & cephalæam diuturnam produxit, quod vidit *Ill. van Swieten.* h). Plurima mala a conſtrictione ſola abdominis per thoraces rigidos in ſequiori ſexu obſervavit Cel. Winslow i); magnum hoc uſum in praxi medica habet, ut determinetur indicatio curatoria & medendi methodus, ſi in claſſes quasdam diſpoſitis morborum cauſis memoria medici adjuvetur, ut ordine ſic indagari poſſint in caſibus oblatis, qui frequentiſſime junioribus medicis occurrunt.

§. III.

Certe morbi chronici frequentiſſimi ſunt & magna tædia ægris & medicis facere ſolent. Hoc jam monuit Aretæus k) dicens: *longorum morborum labor quidem multus, tempus vero colliquationis longum, & medicatio inſtabilis: vel enim haud ex parva offenſa revertuntur morbi: nam laborantes æquo animo ferre uſque ad finem non ſu-*

h) Comment. in aph. Bœrhav. §. 1050.
i) Acad. des Sciences 1741. mem. 234. &c.
k) In proem. Lib. I. de Cauſis & ſignis morbor. diuturn. pag. 26.

ſuſtinent, quin etiam ſi æquo animo ſuſtinent, in nimis longa diæta delinquunt.

Quilibet, qui cum attentione noſocomia viſitaverit, aut alibi ipſemet praxim medicam exercuit, certe non inficias ibit, quod numerus morborum chronicorum numerum acutorum longe ſuperet; aſt morbi chronici non ſolum acutis frequentiores occurrunt, ſed etiam curatu ſunt longe difficiliores. Hujus in cura difficultatis rationem in eo conſiſtere credo, quod in morbis chronicis medicus certas indicationes difficillime inveniat, tum quia raro accurato licet facto examine, exacta ex ægro poteſt erui morbi hiſtoria, unde fit, ut morbi natura, indoles, cauſa medico occulta ſæpe maneat; difficultatem hanc auget ſæpius ægrorum impatientia, quam etiam notavit Aretæus textu ſupra citato, qua hi in uſu ſat longo remediorum ad medici mandatum minus obſequentes ſunt, aut in nimis longa diæta delinquunt. Equidem voluit *Celſus* l) magis eſſe ignoſcendum medico parum proficienti in acutis, quam in longis; hic enim breve ſpatium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non profuit, æger extinguitur: ibi & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro, ſi inter initia medicus acceſſit, obſequens æger ſine illius vitio pereat. Verum binæ conditiones ad felicem curam morborum chronicorum a *Celſo* in hoc textu requiſitæ, ſcilicet acceſſus medici intra initia morbi & ægri obebientia, raro in caſibus medico oblatis reperiuntur, plerumque enim mor-

l) Lib. 3. cap. I. p. 112.

morbus chronicus more ſolito lente ſubrepens jam altas ſæpe radices infixit, antequam medici auxilium imploretur; & cum *Aretæo* cæteri practici de ægrorum impatientia & inobedientia in plurimis caſibus conqueruntur, inſuper in morbis acutis motus febrilis materiem morboſam coquit, ſubigit, evacuationi aptam reddit, quod in chronicis, in quibus vix non ſemper vires languent, vix ſperare poteris. Ex quibus ponderatis apparet majorem difficultatem in morbis chronicis curandis eſſe, quam in acutis; certe periti medici plus ſperant in curanda gravi etiam peripneumonia quam in phthiſi; ſæpius ſanantur phrenitici quam maniaci; inflammatio hepatis toties ſanatur, ſed ſcirrhoſa ejusdem induratio vix unquam. Idem & patebit percurrendo morbos acutos & chronicos aliarum corporis partium.

§. IV.

Cum igitur tanta cum difficultate certæ in morbis chronicis indicationes habeantur, proinde & curationes ideo difficiliores reddantur; non inutile fore exiſtimavi, ſi pro viribus conarer illos aſſignare fontes, ex quibus magno tum medici, tum ægrorum ſolatio curativas in caſibus intricatiſſimis indicationes feliciter hauſtas obſervavi, ut in horum morborum cura deficiente uno fonte, medicus illico ægrum non deſerat, fatoque ſuo relinquat; ſed ad alium fontem pro officii ſui exigentia & ægri conſolatione ſeſe convertere poſſit.

§. V.

Indicans vocatur id quod in ægro aut circa ægrum per ſenſus, aut accurato ratiocinio a medico deprehenditur. Idea ab indicante in mente medici orta circa ea quæ agenda aut omittenda ſunt, *indicatio* nuncupatur. Illud vero per quod medicus indicationi ex indicantibus ortæ ſatisfacere poteſt, *indicatum* compellatur. Clarius res exemplo patebit: v. g. pono hominem febre bilioſa laborantem, qui conqueratur de febre quotidie exacerbata, valida cephalalgia, oris amarore, anorexia, nauſea, vomitutione &c. Hæc omnia ſymptomata *indicantia* dicentur; ex his in medici adſtantis mente oritur idea ſaburræ in ventriculo hoſpitantis expellendæ, hæc idea *indicatio* appellabitur; huic indicatio ſatisfacere poterit per vomitorium, quod in hoc caſu *indicatum* erit.

§. VI.

Officium medici circa ægrum quatuor capitibus comprehenditur; videlicet conari debet 1. futuros morbos præcavere; 2. morbos præſentes tollere; 3. morborum ſublatorum recidivam prævertere; 4. morborum non tollendorum urgentiora ſymptomata, quantum fieri poteſt, mitigare. Hinc ex indicantibus bene perſpectis quadruplex oritur in mente medici indicatio: 1ma ſcilicet, quæ circa morbos præcavendos verſatur, & dicitur *indicatio prophylactica, præſervativa*: 2da quæ circa morbos præſentes ſanandos occupatur, & *indicatio curatoria* vocatur; 3tia quæ verſatur circa morborum ſublatorum recidivam præcavendam, & appellatur *indicatio confirmatoria*; 4ta, cujus ob-

objectum eſt morborum non tollendorum urgentiora ſymptomata mitigare & *indicatio palliativa nuncupatur*. De hiſce indicationibus omnibus ſeorſim, præcipue tamen de indicatione curativa nunc agere conſtitui.

§. VII.

Indicatio prophylactica dicebatur illa, quæ circa morbos futuros prævertendos verſaretur. Huic indicationi ſatisfaciet medicus, qui ex intellectis pathologiæ principiis cognitas ſibi morborum cauſas occaſionales avertere aut cauſas prædiſponentes ita corrigere conabitur, ut corpus data occaſione minus aptum ſit ad malum ſuſcipiendum; ſic adeo metuendam ſchirri in cancrum degenerationem præcavebit, qui cauſas motus humorum nimium aucti avertet ſuadendo abſtinentiam a ſtimulantibus, diætam parcam, quietem corporis & animi &c. Similiter, qui connatam aut acquiſitam ſolidorum debilitatem (quæ juxta *celeb. Tiſſotum* m) plurimorum morborum chronicorum principium ponit,) exacta diæta, debitisque auxiliis corrigere conabitur, ille plurimos morbos chronicos prævertere valebit.

§. VIII.

Prophylacticam in morbis chronicis indicationem invenire & eidem ſatisfacere id ſæpe magnam difficultatem non patitur; aſt certas indicationes curativas formare & formatas in ac-

A 4 tum

m) Avis au peuple §. 592.

tum redigere, plerumque hoc opus, hic labor eſt. Conſulas quoscunque expertos in arte medica practicos, & illi de veritate hujus aſſerti omnes teſtimonium exhibebunt. Quam ſæpe non contingit, ut peritus etiam medicus, utut accurate perpenſis omnibus circumſtantiis, anceps tamen hæreat, & quam in partem ſeſe convertat neſciat. Aſt nec tot, nec tantas difficultates in formandis indicationibus curativis eum inventurum eſſe exiſtimo, qui varios fontes, ex quibus hæ indicationes hauriri poſſunt, ſibi cognitos reddiderit, quos hic enumerare ſatagam juxta ordinem, quo in praxi ſua medicus iis uti cum bono ſucceſſu poterit.

§. IX.

Junioribus medicis plerumque primis temporibus, quibus artem ſuam in aliquo loco exercere incipiunt, multi morbi chronici curandi occurrunt intricatiſſimi; his ſæpe cum honore & ægri conſolatione ſe extricabit, ſi ſequentes indicationum curativarum fontes percurrat: videlicet I. inquirat in morbi cauſam ex ordine quo ſupra §. 2. morborum chronicorum cauſæ fuerunt diſpoſitæ; hanc ſi invenerit, & methodo conveniente ſuſtulerit, optatum hoc modo aſſequitur ſcopum; ſic v. g. ſi medico offeratur puer epilepticus a vermibus reptatu ſuo inteſtinorum nervos irritantibus, hacque ratione per ſic dictum conſenſum nervorum inſultus epilepticos excitantibus, in hoc caſu medicus aptis remediis nidos vermium deſtruendo, vermes necando & e corpore eliminando morbi cauſam excitantem cum morbo ipſo auferet. Sic dum radicem valerianæ ſyl-

ſylveſtris ex *Fabii Columnæ* conſilio dabat epilepticis *Marchant* n) plurimis profuit, ſed vermes per anum expellebantur ab hoc remedio. Hic negare nolo, quod radix valerianæ ſylveſtris alia vi quam anthelminitica epilepſiam ſanare poſſit, cum ab aliis etiam ſine excretione vermium profuiſſe obſervata fuerit. In infantibus, quibus manans ichore capitis cutis ſiccata fuerat, optimum erat caput fovere & leviter irritare, ut conſuetus humorum per cutim exitus rediret; ſic profuit lixivio ſaponis veneti calido caput fovere, dein emplaſtro aromatico tegere, quin imo profuit egregie, ſi una pars emplaſtri veſicatorii octo partibus emplaſtri de labdano permiſta ſupra totam cutim capillatam capitis extenderetur, poſt paucas enim horas incipiebat rubeſcere cutis, moleſtus oriebatur pruritus, & incipiebat denuo manare ichor cutis, ſimulque ſtatim ceſſabant inſultus epileptici o).

§. X.

Si vero poſt exactum ægri examen morbi cauſa tam excitans quam prædiſponens incognita maneat, quid tunc agere debet medicus? Indaget ſedulo, an nullum in corpore vitium deprehendatur certis ſignis cognitum, a quo deprehenſo indicationes certas deſumere poterit; contingit enim quandoque, ut ſublato hoc certo vitio, quamvis nexum illius cum altero morbo non perſpiciamus, morbus tamen alter ſimul diſpareat.

 Sic

n) Acad. Royale des Scienc. 1706. mem. 430.
o) Van Swiet. Comment. in aph. Boerh. §. 1083.

Sic vidi viduam 29 annos natam, ordinate ſemper menſtruatam per ſeptem annos laborantem valida cephalalgia variis intervallis recurrente, mox omni altera, mox omni quarta, mox omni ſexta ſeptimana, omnium tamen frequentiſſime ſub menſtruatione, aut poſt animi affectus, iram, triſtitiam. Hæc cephalalgia quandoque, utut raro, ita vehementer afficiebat, ut totum corpus per intervalla tetanodes rigeret, durabat acceſſus circiter per 24 horas, quo tempore elapſo ſana erat ægra & iterum ſuis muniis fungebatur. In hoc caſu, exactiſſimo licet facto examine, cauſa morbi mihi incognita erat; ſed perpenſis præſentibus tunc in corpore circumſtantiis, habitu delicatulo, corpore gracili, facili mobilitate animi a leviori cauſa, nimiam ſolidorum debilitatem & irritabilitatem in corpore peccantem deprehendi; quo cognito vitio, indicatio mihi erat ſolida roborare, nimiamque irritabilitatem minuere. cui indicationi ſatisfacturus mihi videbatur uſus corticis peruviani, cujus infuſum frigidum cum ſyrupo cinamomi præſcripſi, ſub uſu hujus remedii in initio acceſſus retardabant, & vehementia minuebantur, continuato eodem remedio tandem de nulla re amplius conqueritur ægra nunc ſanata.

Officialis 30 circiter annorum per tres menſes plures febris billioſæ æſtivæ recidivas paſſus, ex ultima nondum plane convaleſcens, incepit conqueri de validis in abdomine doloribus. qui eum ad 23tiam uſque diem, qua eum viſitabam, diu noctuque continuo excruciabant, & quandoque tanta cum vehementia, ut quaſi inſanus, per cubiculum huc illuc excurreret. Per hoſ-

hoſce 23 dies, quemadmodum mihi narraverat æger, repetitæ factæ fuerant venæ ſectiones, applicata abdomini cataplaſmata emollientia, adhibita balnea tepida, injecta enemata oleoſa multa, dati potus emollientes, hauſtus oleoſi & omnia ſine minimo fructu. In examine ſtatus tunc præſentis ægri, ſequentia obſervavi: dolor in abdomine erat continuus, ad attactum non auctus, venter tumebat leviter, alvus erat tarda, parca, ſicca, urinæ prodibant bruneæ, appetitus erat deletus, ſapor oris nauſeoſus, lingua ſordida, febricula levis, uti mihi videbatur a dolore; hujus doloris indolem ex hiſce ſymptomatibus certo determinare mihi impoſſibile erat; aſt cum cognoſcerem primas vias impuras, alvumque ſegniorem, tum nulla aut vix ulla habita ratione doloris mihi tunc incogniti, indicationem a vitio cognito deſumpſi, & purgans tamarindinatum per epicraſin ſumendum præſcripſi, quo aſſumpto æger cum levamine parvo quidem ſexies fæces nigras, fætentes, ſcybaloſas dejecit, altero die indicatione confirmata a levamine, curavi idem remedium repeti, quo denuo decies & ter fæces prioribus ſimiles magna quantitate dejecit tanto cum levamine, ut æger prima vice per 25 dies, ſicut mihi aſſeruit, quietus admodum dormire potuerit; continuatis adhuc per aliquot dies tamarindinatis minori doſi, plane diſparuit dolor, & æger nunc ſaniſſimus vivit.

§. XI.

Si morbi cauſa lateat, nullumque certum in corpore vitium deprehendatur, undenam tunc indicationes deſumere poterit medicus? Inquirendum eſt tunc in juvantia & nocentia, videlicet

cet interrogandum eſt, an æger uſus fuerit remediis, & quibus, quocum emolumento, aut nocumento? an nunquam adverterit cauſas, quibus mitigaretur, vel exacerbaretur morbus? ex hoc fonte ſæpe indicationes certæ uberrime fluunt, quas omnibus aliis indicationibus tam in acutis, quam in chronicis medici præferunt, ſi v. g. curanda veniant ulcera nullis ſignis characteriſticis determinata, & ad conſuetam medendi methodum rebellia; ſi ulcera aſpergas pulvere mercurii dulcis, & altera die emendata & mundata reperias, concludes a juvantibus mercurialia convenire, quæ apta methodo in tali caſu ſat tuto præſcribes.

Novi puellam 22 annorum delicatulam, regulariter ſemper menſtruatam, quæ per tres menſes & ultra conquerebatur de frequenti vertigine, poſt ſomnum ita aucta, ut ſurgendo ſola per cubiculum ambulare vix poſſet; inſuper ingentem tumultum in capite continuo audire ſibi videbatur; validas palpitationes cordis ad nimium corporis motum percipiebat; ſuaſu cujusdam chirurgi puellæ facta fuerat venæ ſectio, qua inſtituta omnia in pejus mutabantur. In hoc caſu indicatione deſumpta a nocentibus puellæ ſuaſi uſum martialium cum moderato corporis motu in aëre campeſtri, quibus auxiliis perfecte ejus ſanitas fuit reſtituta, qua nunc per duos annos illæſa fruitur.

§. XII.

Si tres præcedentes indicationum fontes ſedulo indagantem medicum deſerant, undenam ul-

ulterius indicationes haurire poterit? His in circumſtantiis videndum eſt, utrum morbus nunc incognitus nullam habeat analogiam cum alio morbo cognito, cujus medendi methodum ad incognitum analogum transferes, v. g. pono hominem per aliquod tempus doloribus colicis affectam in initio vaga nunc vero ſtata periodo quotidie recurrentibus; in hoc caſu indicatione deſumptâ ab analogia hujus morbi colici cum febre intermittente, præmiſſis præmittendis, dato cortice peruviano, ſæpe feliciter amiſſam ſanitatem reſtitues, ſimiles caſus in noſocomio feliciter ſic curatos non infrequenter vidi.

Hac occaſione recordor puellæ, quam ante tres annos in noſocomio SS. Trinitatis, tempore autumnali, quo frequentes graſſabantur ſebres intermittentes, vidi laborantem colica omni die circa horam ſecundam pommeridianam redeunte, indicatione deſumpta ex hoc fonte huic puellæ præmiſſis præmittendis propinabatur cortex peruvianus, & multa dein alia antihyſterica, quibus morbus parum imminuebatur quidem, aſt non curabatur. Puella vero longitudinis curæ pertæſa nondum ſanata diſcedere voluit. Non longo poſt diſceſſum tempore denuo redivit cum iisdem doloribus colicis & ſimul cum bubone venereo tum temporis orto, huic tunc mercurialia præſcripta fuerunt, quibus utrumque malum brevi fuit fugatum.

In hoc caſu non apparente bubone venereo difficile fuiſſet indicationem deſumere ab analogia cum doloribus venereis, cum hi non poſt meridiem, ſed noctu recurrere ſoleant; quamvis

vis in doloribus nocturnis inſolitis indicatione deſumpta ab analogia cum doloribus ſyphiliticis ſæpiſſime mercurius cum optimo ſucceſſu a practicis præſcribatur. Aſt qui præſentem caſum noverit, illum in doloribus etiam diurnis periodicis, modo ex juvantibus & nocentibus ſciverit non eſſe febrem intermittentem larvatam aut malum hyſtericum, idem tuto tentare poſſe exiſtimo, dummodo aliud contraindicans uſum mercurii in corpore non deprehendatur.

§. XIII.

Contingere poteſt, & non raro, proh dolor! contingit, ut omnes præcedentes indicationum fontes nihil omnino in quibusdam morbis chronicis ſuppeditent, quorſum ſeſe hic convertendum eſt? Supereſt tunc ultimus adhuc indicationum curativarum fons: ſcilicet rationalis quædam empyria, qua medicus talia præſcribit remedia, quæ in ſimili caſu feliciter ab aliis adhibita fuiſſe ipſemet viderit, aut certas & fide dignas obſervationes legendo didicerit; quamvis modum, quo hæc remedia curationem abſolvent, aut abſolvere poſſint, non intelligat. Hac rationali empyria ductus medicus propinat medicamenta ſic dicta ſpecifica in morbo quem curandum habet, ſic v. g. veniat epilepticus medici opem imploraturus; pono hujus epilepſiæ cauſam incognitam eſſe, quemadmodum in hoc morbo ſæpe accidit, pono inſuper nullum aliud vitium certum detegi, ægrumque nulla aut quædam quidem remedia, aſt ſine emolumento aut nocumento adhibuiſſe, tunc rationaliter propinabuntur ſpecifica in epilepſia v. g. folia aurantiorum, radix valerianæ ſylve-

ſtris,

ſtris, radix dictamni albi, extractum hyoſciami, & alia, quæ ex materia medica & lectione fidorum obſervatorum in hoc morbo profuiſſe medicus noverit; talis empyria medico dedecori minime eſt vertenda, cum non ſit empyria cæca, ſed ſufficienti ratione fundata.

§. XIV.

Circa uſum remediorum ſpecificorum ſequentia neceſſario monenda eſſe exiſtimavi, videlicet: non illico medicus audito ſolo morbi nomine quodcunque remedium ſpecifici titulo donatum indiſcriminatim, barbitonſorum ad inſtar arripiat, ægroque præſcribat; ſed perpenſis exacte viribus cognitis remedii, quod in dato caſu adhibere intendit, iisque cum aliis circumſtantiis corporis ægroti comparatis, prudenter dijudicet utrum tali corpori viribus cognitis nocere non poſſit, quo facto, ſi non ex toto, ſaltem ex parte ſatisfaciet officio medici, qui continuo hunc canonem ob oculos habere deberet: ſi ægro prodeſſe non poſſit, ſaltem non noceat.

In lue venerea univerſim tanquam remedia ſpecifica commendantur mercurius vivus & omnia ejusdem præparata; utrum vero in praxi hoc vel illud adhibeas, certe non eſt indifferens. Sic nocebit plerumque mercurius ſublimatus corroſivus in lue recenti, in corporibus plethoricis, phlogoſi obnoxiis, hyſtericis, gravidis, qui proderit in lue inveterata, in corpore laxo phlegmatici temperamenti &c.

§. XV.

§. XV.

Exhauſtis hiſce omnibus indicationum fontibus absque optato ſucceſſu, an de ſanitate recuperanda omnino deſperandum eſt? Hic quidem ars ſuos habet limites; aſt quandoque contingit, ut facta quadam juxta naturam in corpore mutatione, morbus arti rebellis, naturæ viribus cedat. Sic ſæpe obſervata eſt epilepſia ad artis remediæ pertinax, mutationi in pubertate factæ obediens. Inſuper apud obſervatores non pauci habentur caſus deſcripti, in quibus morbi inveterati v. g. rheumatiſmi, paralyſes, maniæ, epilepſiæ &c. accedente febre intermittente, aut alia acuta continua curati leguntur. Sic vidi hominem ulcera capitis venerea gerentem per duos annos & ultra, idem homo per totum hocce tempus omnia mercurialia variis formis cum omnibus aliis antiſyphilliticis remediis ſine fructu in uſum vocaverat, verum tempore autumnali inciderat in febrem bilioſo inflammatoriam cum eryſipelate faciei; facta una alterave phlebotomia, dato dein emetico, ſubſequente uſu eccoproticorum febris feliciter curabatur; qua curata vix non ſponte intra tres quatuorve ſeptimanas ulcera perfecte cicatriſabantur, quæ nunc per tres annos & ultra cicatriſata perſtant.

Vidi duas puellas in Noſocomio SS. Trinitatis ex chorea ſancti Viti ſimul decumbentes; utrique a celeber. Profeſſ. Stoll patrono ac præceptore meo ſemper colendo incaſſum diu, multa, & larga doſi propinata fuerant remedia antiſpaſtica in hoc morbo ſpecifice commendata; verum ſub uſu horum remediorum utraque puel-

la

la incidit in febrim petechialem, quæ, nulla aut vix ulla habita ratione ad choream ſancti Viti, curabatur ea methodo, qua alii ægri eodem morbo tunc temporis decumbentes curabantur; &, quod mirabamur, eo gradu, quo decreſcebat febris, eodem imminuebatur chorea ſancti Viti, donec tandem ceſſante febre alter morbus ſimul ceſſaverat.

§. XVI.

Propoſitis nunc breviter iis, quæ mihi obſervanda eſſe videbantur circa fontes indicationum curativarum in morbis chronicis; pauca quædam adhuc de indicatione confirmatoria eorundem morborum dicenda eſſe exiſtimavi; cum, neglecta morborum chronicorum cura confirmatoria, facillimus ſit in eosdem relapſus, quo majori periculo æger exponetur, & cujus curationem multo majori cum difficultate, quam curationem morbi primarii abſolvet medicus.

§. XVII.

Indicatio confirmatoria dicebatur (§. 6.) illa, quæ circa morborum prægreſſorum recidivam præcavendam verſaretur; aſt qua ratione huic indicationi ſatisfaciendum erit? Quænam erit hic medici norma? Ex cognita morbi prægreſſi indole, cognitisque ejusdem cauſis excitantibus, hisque bene ponderatis, indicata huic indicationi ſatisfacientia ſponte fluent. Sic v. g. ſi fluorem album chronicum, in fœmina vitam ſedentariam vivente, ortum a mucoſitate humo-

rum & laxitate ſolidorum curandum habueris, eundemque uſu remediorum incidentium, & ſimul ſolida roborantium ſuſtuleris; hujus recidivam prævebis continuato adhuc per aliquod tempus uſu remediorum roborantium, victu facilis digeſtionis, potu vinoſo moderato, exercitatione corporis, ſomnum nimium, abuſumque potuum aquoſorum tepidorum interdicendo &c. Similiter curati hydropis recidivam prævertes, vitando ſollicite alimenta dura, flatulenta, indigeſtibilia, potum largiorem, aërem frigidum humidum, habitationem humidam in locis paludoſis; multum etiam confert moderatum corporis exercitium in aëre ſicco, libero campeſtri. Ita cognita morbi indole, cognitisque cauſis excitantibus omnium aliorum morborum curam confirmatoriam perficies ſat facile.

§. XVIII.

Non raro obſervantur morbi chronici, qui tam pertinacis ſunt indolis, ut nec arti, nec naturæ, nec utrique ſimul cedant. Quid in ſimilibus morbis medico agendum reſtat? Indicatio palliativa (§. 6.) hic ſolum modo locum habet, ſcilicet ſymptomatibus urgentioribus proſpiciendum eſt. Sic ſi habeas ulcus cancroſum nec artis, nec naturæ viribus ſanabile, cum magno dolore, noctibus inſomnibus, frequentibus hæmorrhagiis &c. facta triſti prognoſi, ſolummodo tibi ſupererit, ut validos dolores mitigare, & noctes inſomnes pacare coneris uſu anodynorum, paregoricorum, narcoticorum. Hæmorrhagias recurrentes ſedabis methodo generali in hæmorrhagiis externis conveniente:

li-

ligatura artuum, quiete ſumma corporis & animi, applicatione fungi agarici, aut alterius corporis adſtringentis ad loca ſanguinem fundentia &c. Similiter, ſi habeas aſcitem a ruptura vaſis cujusdam lymphatici ex notis hactenus obſervationibus inſanabilem; huic aſciti accedat diſtenſio dolorifica abdominis, impedita reſpiratio, imminens ſuffocatio ab impedito deſcenſu diaphragmatis per aquas ſurſum preſſi. Hiſce ſymptomatibus præſpicies debita methodo paracenteſin inſtituendo, qua morbum ſaltem ad tempus, donec nova facta fuerit aquarum collectio, minus intolerabilem reddes.

§. XIX.

An ex probabili quadam ſuſpicione indicationes in morbis chronicis deſumere licet? Id quandoque prudenter fieri poſſe arbitror, aſt certis tantum ſub conditionibus, videlicet 1mo: Si ex ſupra propoſitis indicationum curativarum fontibus nullæ indicationes derivari queant, & 2do: Si remedium ex probabili ſuſpicione indicatum talis ſit indolis, ut ſi non proſit, ſaltem non noceat; v. g. pono militem epilepſia a cauſa incognita laborantem, extra paroxiſmum aliunde ſemper perfecte ſanum, excepto, quod ante hunc morbum ſemel contraxiſſet gonorrhæam veneream, ſat negligenter, quemadmodum in hoc hominum genere fieri ſolet, curatam; pono inſuper eundem multa in epilepſia ſpecifica remedia ſine fructu adhibuiſſe, nullaque characteriſtica luis ſigna apparere. An in ſimili caſu ex probabili luis venereæ latentis ſuſpicione curam antiſyphilliticam per hydrargiroſin præſcribere

licebit? Cum in hoc caſu aliæ deſint indicationes curativæ, ſi corpus ægrotans ita ſit conſtitutum, ut a mercurialibus ingeſtis nihil aliunde timendum ſit, hydrargiroſin prudenter præſcribi poſſe nullus dubito.

§. XX.

Cum morbi chronici ex natura ſua diutius durent, adeoque nonniſi curatione protracta plerumque removeri poſſint, apparet inde facile, quod inventæ ſemel indicationi curatoriæ inhærendum diu ſit, nec mutanda quotidie remedia in curatione morborum chronicorum, licet ſtatim non percipiatur ab horum uſu notabile levamen, dummodo æger inde pejus non habuerit. Prudenter hoc monuit Celſus, p) dicens: *in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodeſt: in longis, quos tempus ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit: minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvet, quia profectus tempore expletur.* Hinc a remedio etiam laudatiſſimo nec non exquiſitiſſimo curatio velox plerumque non eſt expectanda. Monet etiam *Sydenhamus* q) quod in curandis morbis chronicis *nemo ſanus exiſtimaverit, leviculam aliquam ac momentaneam alterationem ſanguini atque humoribus a quolibet ſive remedii ſive victus genere ſuperinductam, curationis ſcopum attingere poſſe; at vero corporis habitus omnis alio traducendus eſt, atque homo integer nova quaſi incude re-*

p) Lib. 3. cap. I. pag. 112.
q) De podagra pag. 576.

reſingendus, & hoc in praxi ægris inculcandum eſt, nec fallaci ſpe brevis curæ lactandi ſunt; longe enim animoſius & morbi & diuturnæ curationis tædia ferunt præmoniti, majoremque fiduciam ponunt in medico, qui vanis promiſſis illos nunquam deluſerit.

§. XXI.

Ad curandos morbos chronicos non ſufficit indicata etiam remedia præſcripſiſſe; ſed præterea accurata diæta ex parte ægri neceſſario eſt obſervanda. Falluntur enim illi, monente Sydenhamo r), qui in morbis chronicis omnem curationem ſolis medicamentis obtineri poſſe autumant, niſi enim in cibo & potu temperantia obtineri poſſit, fruſtra plerumqne medicina adhibetur. Verum peccant ſæpe nimia ſollicitudine medici, nimis exquiſitam diætam imperantes ægris, qui diuturnis morbis conflictantur. Quænam ergo regula circa quantitatem, qualitatem & modum ſumendorum alimentorum hic obſervanda venit? *Hippocrates* jam monuerat, errores longe periculoſiores eſſe, qui in tenui victu committuntur, quam ſi paulo pleniorem victum quis conceſſerit; & abſolute noxium damnavit tenuem & exquiſitum victum in morbis longis. Nolebat quoque *Sydenhamus* inedia macerari tales ægros, ſic enim vires perderent; ſed tantum concedebat facile, quantum ventriculus digerere poſſet, quin imo & palato ægro-

r) Ibidem pag. 572.

rum conſulendum voluit, licet & difficilioris digeſtionis cibos appeterent, modo unica ciborum ſpecie contenti viverent, ne ciborum, variis artibus culinariis præparatorum, illecebræ facerent, ut ultra ſatietatem comederent. Sufficit ergo quoad qualitatem alimentorum, ut ægri ſimplici victu contenti ſint, & evitent illa, quæ difficilioris digeſtionis eſſe noſcuntur; qualia omnia aëre, fumo, ſale indurata edulia, uti & pinguia omnia. Simul ſemper eſt obſervandum, ut eligantur tales cibi, quorum ſpontanea indoles oppoſita eſt vitio humorum prædominanti. Quantitatem ciborum tutiſſime determinat fames; uti & ſi poſt aſſumptos cibos non admodum graventur; ſimul etiam prodeſt, ſi partitis vicibus potius alimenta ſumant, quam ſimul & ſemel majorem copiam ingerant. Talibus diæteticis regulis facile obtemperant ægri & magis morigeros ſe præſtant ad reliqua præſtanda, quæ longa ſæpe horum morborum cura poſtulat; e contra moroſos nimis in his medicos nacti, clam comedunt illa, quæ ſevere prohibita fuerant; & cum inde vix damnum ſentiunt, audaciores facti indulgent genio in omnibus, & medicorum conſilia ſpernunt s). Sicque ſæpe ægri ſanitatem ſuam & medici famam deperdunt. Hoſce canones circa curam morborum chronicorum in genere in compendium redigere conatus ſum in uſum neo-practicorum, ut ordine quodam faciliori in inquirendis indicationibus in morbis adeo intrica-
tis

s) Van Swieten Commentar. in aphor. Bœrhav. §. 1655.

tis eorum memoriá juvetur, ſicque minus facile confundantur, faciliusque curas morborum eis commiſſorum feliciter abſolvant; quod ſine fructu futurum non eſſe ſpero.



II.

JOSEPH. MARSOVSKY
MARSOVÆ PANNONII

DISSERTATIO
DE
SCORBUTO.

CAPUT I.

Definitio & Diviſio Scorbuti.

Difficillimum eſſe definire Scorbutum agnovit Sennertus a) dicens: *Tanta omnino morborum & ſymptomatum farrago in hoc affectu concurrit, ut vix alius ſit tam πολυμορφος, & qui ſub tot morborum ſpeciebus latitet, ac medicos etiam, cum caviſſe maxime videntur, ſæpe decipiat, ac deludat.*

Appellatur etiam Scorbutus ab Hippocrate *lien magnus* b), a Plinio c) *Stomacace* & *ſcelo-*

a) Operum Lib. III. Sect. II. pag. 506. Edit. Lugdun. 1676.
b) Libro de affectionibus internis.
c) Hiſtor. natur. Lib. XX. cap. III.

lotyrbe; quamvis Galenus d) nomine ſcelotyrbes ſpeciem paralyſeos, non vero ſcorbutum intelligat. *Oſcedinem* appellat Marcellus e). *Gingipedium* Znoy f), quia eo gingivæ & pedes afficiuntur, licet & *Gingibrachium* appellari tali ratione poſſet, ſi nempe non pedes ſed brachia, & gingivæ afficiantur. Saxones inferiores hunc morbum vernacula ſua *Scorbok*, *Scorbuk*, Hollandi *Scuerbuyek*; *Scurbmund*, Dani Schorbuk, *Scorbeyn*, *Blawſchuyt* vocitant. Ex hac diverſorum nominum, & antiquiſſimorum medicorum denominatione apparet, quod ſcorbutus eis jam cognitus fuerit, & hinc ad novos morbos referendus non ſit, licet antiqui eum non adeo exacte deſcripſerint, fortaſſe quia rarior fuerat, cum & navigatio, utpote cauſas ſcorbuti frequentiores producens, apud illos non tam longa ſuſciperetur.

Dividitur Scorbutus

Primo ratione decurſus in *acutum*, qui celeriter decurrit, ſeu ille ſit ſine febre, ſeu cum febre; in *chronicum*, qui per menſes, annos, immo totam vitam durat, & frequentior eſt.

Secundo ratione originis in *originarium*, ſeu *protopathicum*, qui ſanum, & nullis antea morbis debilitatum invadit, & *ſymptomaticum*, ſeu ſecundarium, qui hominem aliis morbis debilitatum comprehendit, uti ſi veniat in hominem lue

 ve-

d) Iſagoge Libr. pag. 47. Edit. Venit. 1686.
e) De Re Medica cap. III.
f) Petri Foreſti Lib. XX. obſer. XI. Rotomagi 1653.

venerea, vel rachitide, jam antea longo tempore conflictatum.

Tertio ratione complicationis in *ſimplicem*, *& complicatum*, uti complicari ſolet cum morbo regnante.

Quarto ratione loci in quo ortus, *in marinum*, ſi nautas ob longam navigationem, & *terreſtrem*, ſi non maris, ſed terræ incolas comprehendat. Hæc diviſio, ſi non ſuperflua, ſaltem manca eſt, etenim ſeu ſcorbutus mari, ſeu terra oriatur, idem eſt, uti poſtea demonſtrabo.

Quinto ratione materiæ excitantis in *acidum*, *alcalinum*, & *muriaticum*; hæc diviſio probabilius a doctrina chemica, non vero ex natura ipſa ſuam trahens originem non ſubſiſtit; ſi enim a diverſa materie produceretur ſcorbutus, deberet diverſa ratione curari; non poſſet ſcorbutus, v. g. putridus, æque bene ab antiſcorbuticis, ſpiritu alcalino præditis (quæ apud illos putredinem promovere dicuntur) quam ab acidis curari, & tamen obſervatum eſt, quod ſcorbutus ab iisdem cauſis, in iisdem hominibus, ſub eadem diæta, in eodem itinere, eodem ſub climate, ſolum diverſo tempore natus, curatus ſit cochlearia ſemel, quia hæc tali loco in majori copia deprehendebatur; alia vero vice ſub iisdem circumſtantiis, idem ſcorbutus recidivans, baccis acido dulcibus, quia pariter hæc majori copia deprehendebantur. Obſervatum, quod ſcorbutus nautarum, ubi littus attigerunt, non ſolum antiſcorbuticis acidis, vel alcaleſcentibus, ſed etiam ſolo gramine, vel mixto omni herbarum genere,

quæ

quæ recentes inveniri potuerant, ſeu illæ calidæ, ſeu refrigerantes, ſeu adſtringentes, ſeu emollientes fuerint, percuratus ſit, & brevi tempore. Obſervatum eſt, quod ſcorbutus ſub plagis calidis, humidis, meridionalibus natus, adeoque naturæ alcalinæ, (calor enim ad putredinem diſponit, neque corpora ſtricte melancholica acidum contrahere ſinit) æque curatus ſit cochlearia, quam baccis acido dulcibus; ac curatus ſit ſcorbutus in plagis frigidis, humidis, ſeptentrionalibus, ab eadem cochlearia, vel naſturtio hortenſi, quam a baccis iisdem acido dulcibus. Quis audebit dicere ſcorbutum nautarum a defectu vegetabilium, a potu aquæ putridæ natum acidum fuiſſe ideo, quia ille cochlearia, quia alcalinis curatus eſt? An non hic potius ad cauſam producentem ſcorbutum, quam ad medicamenti naturam reſpiciendum eſt.

Ex his, & pluribus aliis, concludit Ill. de Haen a), quod in ſumma ſcorbutus in hoc conveniat: Quod naturæ ſit veræ putridæ, & quod ſcorbutus mari ortus, plenarie conveniat cum illo, qui terra oritur. Ill. Hoffmann b) diviſionem ſcorbuti in acidum, alcalinum, & muriaticum nullius uſus pariter apud ægrorum lectulos ſe inveniſſe teſtatur.

CA-

a) Heilungsmethode im k. Spitale von Platner, 4 B. S. 144.
b) Chriſt. Hoffmann vom Scharbock. Münſter 1782. S. 240.

CAPUT II.

De Cauſis Scorbuti.

Cauſæ ſcorbuti aliæ ſunt prædiſponentes, aliæ excitantes; hæ ſimul junctæ producunt cauſam proximam. In cauſam proximam prius indagare volui, ut hac ſtabilita, dein actio cauſarum excitantium facilius explicetur.

Cauſam proximam ſtatuunt authores antiquiores, imo ipſe Cel. Boerhave a) *eam ſanguinis indolem, qua & craſſitie ſimul in una, & tenuitate acri ſalſa, alcalica, vel acida in altera parte peccat.* Pace cel. Viri liceat quædam dicere: idem ille illuſtris vir b) dicit, cauſam proximam morbi illud eſſe, *cujus præſentia ponit, continuat morbum, cujus abſentia eum tollit;* craſſities autem in ſcorbuto provecto non durat, imo ſanguis adeo diſſolvitur, ut per vaſa elabatur, ut ſponte echimoſes faciat, ſcorbutus conſummatus ſemper febrem putridam adſciſcit, omnes vero ponimus, maximam pronitatem humorum in putredinem cauſam eſſe febris putridæ; ſi autem ſic, tum vel febris putridæ cauſa non erit ſanguis ſolutus, vel craſſities cum ſcorbuto non ſubſiſtet. Cauſæ excitantes ſcorbuti plerumque tales ſunt, quæ non craſſitiem ſed putredinem in corpore producunt; demum cur, ſi craſſitiem ponit, dat medicamenta adſtringentia, vitriolum, & acida mineralia, ut nempe craſſus ex ſuppoſito ſanguis, adhuc magis incraſſetur? Quomo-

a) Bœrhav. de cogn. & curand. morb. aph. 1153.
b) Bœrhav. Inſtit. Medic. §. 740.

modo in corpore ſubſiſtit acrimonia in una parte, cum craſſitie in altera parte? An non hæc acrimonia irritando vaſa, & ſe interponendo inter particulas craſſas debebit illam reſolvere? Quod acrimonia ſcorbutica facit certe, uti hæmorrhagiæ ſponte natæ demonſtrant. Tandem ſi dicit acrimoniam in parte tenuiore, quænam illa pars tenuior? an ſerum? an lympha? an lympha adhuc tenuior humor? dignitas certe rei exigit, ut rem accuratius examinemus. Non nego adeſſe acrimoniam, nam hoc ex ſignis, quibus acre in corpore latitans conſpicitur, hic præſentibus patet, ſed non puto adeſſe ſaltem in fine morbi *craſſitiem illam in parte una*, alias enim, quo morbis magis provehitur, ita deberet ſimul & tenuitas, & craſſities increſcere, ut ſubſiſtant pro cauſa proxima, & hæc tum ſimul juncta non poſſent hæmorrhagias producere; nam dum tenue elaberetur, craſſius ſuccedens occluderet viam, ne tenue amplius elabi poſſit. Plura poſſent adduci in hanc rem argumenta, ſi brevitati non ſtuderetur.

Cauſam proximam itaque cum Ill. Chriſtophoro Hoffmanno a) dico humorem oſſium, quod cum eodem Ill. Viro ita comprobo.

Omnia oſſa humorem in ſe continent, qui ex illis fractis effluit, qui fracta ſemel denuo conſolidat; hic humor in oſſibus renovatur, nam oſſa poſt quatuor circiter ab aſſumpta radice rubiæ tinctorum dies, tinguntur; humor vero rubiæ

a) Hoffmann vom Scharbock. Münſter 1782.

biæ tinctorum in oſſa prius penetrare non potuit, quam ubi humor antea in oſſibus hærens, eidem loco ceſſit; non habuiſſet enim antea in oſſibus locum; quia vero humor rubiæ tam tarde in oſſa penetravit, circulatio vero celerrima eſt cruoris, ſequitur: quod humor oſſium tardiſſime intra datum tempus inter reliquos humores moveatur; ratio vero, cur in oſſibus moveri debeat, eſt, ne ſtagnans vel acris fiat, vel nimium inſpiſſetur. Hic humor ab oſſe medulla carente tranſit in perioſteum, in oſſibus vero medulla præditis, tranſit partim una cum medulla ad cavitates articulationum, ad capita oſſium ibidem injungenda, & ad motum facilitanda. Tandem reſorbetur, ſeu ex perioſtio, ſeu ex cavo articulationum per venas, & in ſanguinis maſſam revehitur; venit ad cor, inde propellitur ad vaſa excernentia; bonum vero, quod manſerat, denuo in oſſa promovetur; ubi modo officium ſuum in oſſibus peregit, eandem reſorptionis, quam antea viam ſervat: hæc lex obtinet in omnibus caſibus, in oſſe femoris æque ac in dente, & in dente quidem humor oſſium, ſeu per vas ingrediens adveniat, ſeu ex perioſteo ad dentem propagetur, ubi officio in dente functus eſt, tranſit in perioſteum alveoli, ex hoc in gingivam, ex illa demum in venas alias.

Humor hic oſſium in dente corrumpi poteſt; nam os denudatum a carne, & aëri expoſitum emoritur, fit carioſum, non quidem repente, ſed ſucceſſive; initio enim ſanam rubedinem amittit, fit albo pallidum quaſi coctum eſſet, dein fit flaveſcens, tum flavum, obſcure flavum, plumbeum, tandem nigrum: hæc mutatio coloris

nis non a particulis oſſeis, ſed ab humoribus inter lamellas oſſis contentis dependet. Si enim os exſicces, & ſiccatum aſſerves, nunquam talem colorum mutationem ſubibit, prout autem fiunt hæ mutationes colorum, ita fit os magis fragile. Ratio, cur os ab aëris attactu corrumpatur eſt, quia humor oſſium, vel ob ablatum ſimul perioſteum, in perioſteum, utpote abſens tranſire non poteſt; vel ſi perioſteum quidem adſit, ſed ſolutum ſit a reliquis partibus, ſtagnare incipit, & mora ſua corrumpitur, præſertim cum ingreſſus aëris externi ad corruptionem plurimum conferat, atque ex hac corruptione tam cita oſſis, ubi denudatum, & aëris contactui expoſitum erat, apparet, quod idem ille humor oſſium ſine ullo alio vitio in humoribus, ſine ullo præſuppoſito fermento aliunde adveniente, ſed ſola ſua ſponte corrumpi poſſit; in caſu enim dicto, ubi aër os attingit, nihil aliud, quam revectio humoris oſſei impeditur, nihil accedit, quod corrumpere os poſſet.

Idem, & ob eandem rationem, quod in oſſibus longis obſervamus, videre eſt in dentibus, ſi a gingiva ſolvantur, quod vero dentes citius carie afficiantur, quam alia oſſa, ratio eſt, quia vel acria aſſumuntur, quæ dentes arrodunt, vel quia inter interſtitia dentium particulæ ciborum ſe deponunt, & ibidem corrumpuntur, & ob centum alias rationes, quæ in dentes agere poſſunt, non vero in alia oſſa.

Non autem ſoli dentes in ſcorbuto corrumpuntur, ſed & alia oſſa ſcorbuticorum ita fragilia fiunt, ut ad levem motum in planitie factum frangantur, non amplius concreſcentia; ſecun-

cundo eadem oſſa in cadaveribus adeo fragilia erant, ut ſatis caute tractata, tamen ſub cultro anatomico frangerentur; 3tio erant ſemper coloris luridi, neque unquam in albedinem debitam deduci potueré, etſi ex cadaveribus illorum deſumerentur, apud quos ſcorbuti ſigna lenia ſolum, in ſolis dentibus & gingivis apparebant, & qui non ob ſcorbutum, ſed ob alium quemdam morbum, qui ſcorbuto ſupervenerat, periere; obſervatio hæc de fragilitate oſſium facta univerſaliter obtinet, uti obſervavit Cel. Profeſſor Anatomes Monaſterienſis Fries, & Anglus Lind a); 4to in cadaverum ſcorbuto mortuorum ſectione, licet alia viſcera ſimul læſa quandoque deprehenſa ſint, nihil aliud adeo conſtanter reperiebatur, præter hunc colorem oſſium depravatum, una cum majori fragilitate.

Ex eo, quod in dentibus & gingivis prima ſcorbuti ſigna advertantur, non concluditur, humorem oſſium prius jam corrumpi in dentibus, quam in aliis oſſibus; quod enim in dentibus & gingivis prius videbatur, ratio ſolum eſt, quod hæ partes viſui pateant, reliqua vero oſſa non, non vero quod dentes & gingivæ prius ac alia oſſa corrumpantur, nam ſi oſſa poſt mortem ex cauſa alia, non ob ſcorbutum ortam videantur, æque mala ac dentes eſſe inveniuntur; ex eo pariter, quod dolor apud ſcorbuticos citius in dentibus obſervetur quam in aliis oſſibus, non concluditur, quod prius illi ac alia oſſa corrumpantur: ſed ſolum quod ſenſibiliores præ aliis oſſibus

a) Hoffmann vom Scharbock, S. 113. & ſeq.

bus eſſe debeant, uti & in partibus mollibus unam præ alia ſenſibiliorem obſervamus.

Quæſtio hic oritur, cur oſſa ſcorbuticorum adeo ſint fragilia? Ob materiem ſcorbuticam in ea agentem reſpondebit quiſpiam. Aſt quid eſt materies ſcorbutica? Id modo inquiremus. Si apud ſcorbuticos æque boni humores in oſſa derivarentur, æque bene oſſa nutrirent, uti apud ſanos, deberent quoque oſſa hæc ſana eſſe; cauſa itaque, cur oſſa colorem amittant & fragiliora fiant, eſt, quod humor oſſium corrumpatur, & acrimoniam concipiat. Sed, an humor hic oſſa nutriens ſponte ſine aliis adjunctis corrumpitur, an vero alia eidem acrimonia jungitur, quæ eumdem inſtar fermenti inficiat? Patuit ex ſuperioribus, quod humor hic oſſium per ſe, id eſt ſponte ſua ita acer evadere poſſit, ut non tantum oſſis colorem immutet, ſed & cariem producat; non igitur opus eſt dicere, quod humor hic ab admixto quodam heterogeneo corrumpatur, & ſi id quiſpiam velit, dicat rogo, ex quo humore inquilino illud heterogeneum evolvatur? Lex ſecretionum eſt, ut pars quælibet ſolum ſibi proprium humorem oſſium, dum corrumpitur, ſponte corrumpi, neque opus eſſe fermento quodam, quod eundem humorem inficiat, & in ſui naturam convertat.

Materiam igitur ſcorbuticam appello illud ipſum, quod oſſis colorem mutat, illud carie afficit, quod juxta demonſtrata non eſt aliud, quam humor oſſium. Erit igitur materies ſcorbutica *humor oſſium corruptus*, ſi aſſumere non placet, ut humor oſſium corruptus nomine materiæ ſcorbu-

ticæ inſigniatur, placet ſaltem dicere, quo nomine humorem hunc oſſium corruptum talia phænomena in oſſibus producentem compellare debeamus? In tanta nominum medicinalium abundantia, erit credo nullum aptius, quam ſi eumdem humorem nomine materiæ ſcorbuticæ inſigniamus.

An humor oſſium in ipſa maſſa ſanguinis jam corrumpitur ita, ut corruptus jam & ad oſſa delatus ab iisdem ſecernatur, dein maſſæ ſanguinis traditur? Corruptio maxima contingit in ipſis oſſibus. Cauſam, cur in maſſa ſanguinis non corrumpatur, diximus eſſe illam, quod in maſſam ſanguinis delatus, & inde ad organa excretoria propulſus, fabrica organorum excretoriorum a particulis inutilibus, acribusque ſeparetur, & ita colatus, quaſi denuo ad oſſa deferatur; ſtante hac veritate apparet, quod magis corrumpi debeat in ipſis oſſibus, ubi nulla organa excretoria, ad quæ propelli poſſit, quam in maſſa ſanguinis, quæ ad omnes partes ſucceſſive venit, & noxium inutile ſi non ex integro, ſaltem pro parte, ab organis excretoriis depurgari facit; alia etiam ratio eſt, cur humor oſſium in oſſibus plus citiusque corrumpatur, quia in oſſibus plusquam vigeduplo tempore retinetur, quam retineatur in maſſa humorum.

In quo vero conſiſtit hæc degeneratio humoris oſſium? An ſit putridus? an acidus? Putridum fieri docent ſymptomata ſcorbuti poſtea enumeranda, docet fætor oris, ſanguis diſſolutus, per vaſa ſine ulla viſibili facta læſione tranſudans. Sanguis vena miſſus facilius longe, quam ſan-

ſanguis ſani putreſcens, urina pariter brevi, ubi deponitur, putrida evadens. Ex his demonſtratis dubia quædam reſolvi poſſunt:

1mo. Cur homines ſcorbuti præſentis jam dentes ſigna, adhuc tamen munia ſua exequi poſſunt? Fit hoc in illis, qui organa excretoria adhuc ſana, & functiones ſuas peragentia habent, tum enim humor oſſium corruptus, & in maſſam humorum delatus: inde ad organa excretoria pulſus a maſſa reliqua ſeparabatur, inficere itaque reliquos humores non poterat.

2do. Quare autem, ſi continuo ab organis excretoriis noxium ſeparabatur, tamen humor oſſium in ipſis oſſibus non emendatur, neque finem ſuæ corruptionis ſortitur? Separabatur id quidem, quod erat in maſſa humorum, at propterea id, quod in oſſibus manſerat non emendatur, quia novus ſubſequens humor, a priori perioſteum jam petente, ut inde in maſſam humorum deferatur, inficiebatur; particula enim corrupta ſanam inficit, uti corrumpitur citius caro illa parte, ubi muſca ſtercus ſuum depoſuit, ſanguis citius corrumpitur, cui aliquid ſanguinis jam corrupti admiſcetur, præterea corruptionem in oſſibus adjuvat tarda nimis circulatio.

3tio. Cur in ſcorbuto initiante mortuis non ob ſcorbutum, ſed ob aliam cauſam, v. g. læſionem, ob morbum complicatum, viſcera, & omnes ſecreti humores in ſtatu naturali apparent, & ſolus humor oſſium corruptus invenitur? Ob eandem, quam in quæſtione ſecunda dedi rationem: nam humor oſſium in maſſam humorum delatus ad-

huc per organa excretoria de corpore eliminatur, ut hinc has partes adhuc rodere non poſſit.

4to. Cur ſcorbuticis, etſi oſſa adeo fragilia habeant, ut ſolo ſæpe per planum inceſſu tibiæ frangantur, reliquæ tamen functiones, alacriter ſatis adhuc pergunt? Fit hoc tamdiu, quamdiu organa excretoria debite noxium a ſano ſeparant, quamdiu præter humorem oſſium, alter humor inquilinus non corrumpitur, tum humor hic oſſium aliud efficere in corpore non poteſt, quam quod oſſa fragilia & friabilia reddat, at ſi dictæ conditiones mutentur, brevi & in reliquis functionibus læſiones advertentur.

5to. Quare ſanguis & urina ſcorbuticorum extra corpus citius corrumpitur, ac ſanguis atque urina ſanorum, licet in iisdem ſcorbuticis reliquæ ſe- & excretiones bene pergant? Quia etſi quidem ſanguis per organa excretoria depuraretur a noxiis, nunquam tamen ex integro depuratur, dum enim una pars excernitur, nova de oſſibus advenit, & quidem interruptim, quæ inficiat ſanguinem; fit enim hic idem, quaſi ſanguini bono particulam corrupti admiſcuiſſes, ut citius putreſceret; urina vero corrumpitur citius, eſt enim humor excrementitius, adeoque plures malas partes continet, quæ eamdem citius ad putreſcendum urgeant.

6to. Cur, ſi in ſcorbuto putredinem prædominari dicimus, eumdem ad febrem putridam non referimus? Febrem putridam appellamus peculiarem quamdam humorum in putredinem proclivitatem, quæ proclivitas primo in maſſa humorum ex-

exorta eſt, dein ſolida inficere incipit: contra ſcorbuti cauſa primo non in humoribus, ſed in oſſibus, firmiſſima itaque parte exoritur, ſolida prius arrodere pergit, antequam aliquid in reliqua maſſa humorum putridi exiſtat, primo nunc, ubi humor oſſium corruptus ad eam deferetur illi tradendum.

Ad cauſas ſcorbuti excitantes refertur *primo aër humidus:* loca enim illa, quæ aërem perpetuo fere humidum habent, maxime infeſtat, uti Hollandos, Anglos, Svecos, Danos, Norwegos, ad paludes, ad lacus habitantes; ſic vel noſtræ Viennæ ſuburbia illa, quæ depreſſiora, & ad ripas Danubii magis ſita ſunt, uti Leopoldina & Roſſau ab eodem frequentius afficiuntur; ut vero aër humidus ſcorbutum producat, diutius & per multos dies corpori applicatus eſſe debet.

Secundo: Aër humidus non ſolum, ſed *putridis effluviis vel phlogiſto* inprægnatus; hæc ratio eſt, cur frequentior ſit in navigiis, in carceribus, in ergaſtulis, in ſtativis militum depreſſis, & quare his locis, celeriorem progreſſum ſortiatur; inficiuntur enim loca hæc multis conferta hominibus putridis exhalationibus, & aërem reſpirationi ineptum reddunt a), etiam perſpirationem impediunt.

 Ter-

a) Joh. G. Zimmermann von der Erfahrung. Zürich 1777. S. 461.

Tertio: Aër humidus ſimulque, vel *frigidus*, vel ſimul *calidus:* & quidem, ſi calidus ſimul fuerit, acutiorem producit ſcorbutum, quam ſi frigidus & humidus ſolum ſit, frigus enim, ſi putredinem coercere non poteſt, ſaltem progreſſum ejus retardat, calor contra putredinem promovet, & referunt itineratores ſcorbutum in locis calidis ſeverius deſævire, citius mortales perimere. Dico aër frigidus & humidus, & aër calidior ſimulque humidus; nam neque calor ſolus, niſi ſimul humiditas adfuerit, producet ſcorbutum, neque ſolum frigus, namque, ſi calor cum ſiccitate junctus ſit, corpus exſiccabit, ſi frigus cum ſiccitate, corpus adſtringet & roborabit.

Stantibus his tribus aëris qualitatibus, ſi & quartum quid accedat, victus nempe crudus, caſeoſus, farinoſus, oleoſus, potus aquæ putridæ, frequentia animi pathemata, ſed triſtia, ut mæror, timor, deſidia, defectus motus, ſcorbutus magis exacerbatur.

Nihil communius eſt in navigiis ſcorbuti cauſam accuſare, quam vel ſolum defectum vegetabilium, vel ſolos cibos nimis ſalitos, vel ſolum frigus continuum magnum; quid his veri ſubſit videamus.

Lindius medicus Anglus a) agnoſcit quidem per defectum vegetabilium exacerbari ſcorbutum, non tamen eſſe cauſam unicam, quia in ur-

a) De Haen Heilungsmethode von Platner, 4 B. pag. 146.

urbibus obſeſſi, licet omnibus vegetabilibus caruerint, tamen in ſcorbutum non incidere, quia & ii, qui vegetabilium copia abundabant, tamen ſcorbutici evaſerunt; his addo: illi, qui in ſcorbutum incidunt, ſunt plerumque ſortis deterioris, qui cum carnes emere ob pretium non poſſint, ſolis fere vegetabilibus vivere coguntur, & tamen ſcorbutici fiunt; dein dantur homines, qui vegetabilia nunquam comedunt, vel quia ea non ferunt ob idyoſincraſiam, vel quia pravam de illis opinionem concepere, ſolis brutis dicata eſſe, quin tamen ideo fiant ſcorbutici.

Idem cel. Lind a) pariter renuit, ſalem marinum ſolam ſcorbuti eſſe cauſam, 1mo. ſal marinus corpora ad putredinem prona ab eadem præſervat, modo debita copia adjiciatur, ſic carnem putreſcibilem cito alias, ne putreſcat ſale condimus; 2do. ſæpe contigit in navigiis, ut nautæ aquam marinam potare debuerint, quin ex inde ſcorbutus in pejus vergeret: 3tio. quia obſervata quædam docent cibos ſalitos potius a ſcorbuto præſervare, quam ut eumdem inducant, ſic Claſſiarii Hollandici a ſcorbuto immunes manſere, Anglici ab eodem correpti ſunt, licet iisdem fere medicamentis, eadem diæta, eodem ſub cælo, & eodem tempore excubias contra Gallum agerent, hoc unico excepto, quod Angli nullam ſalitam Braſſicam, Hollandi vero ſingulis ſeptimanis bis talem in cibum adſumpſerint. 5to. Scorbutus ſæpe enatus, ubi homines nullis ſalitis, ſed mera carne recenti veſcebantur, ut id Kra-

 me-

a) De Haen Heilungsmethode 4 B. S. 146. & ſeq.

merus in exercitu Cæſareo obſervavit. Lindius ſuis ſcorbuticis dedit ſalis communis dr. jβ-ij quotidie, vidit eos ab hoc purgari, ſcorbutum tamen exacerbari non vidit. Cauſa igitur unica uſus ſalinorum ſcorbuti non eſt, licet ſi alia acceſſerint, ſuam ſymbolam ad ſcorbutum producendum adferre poſſit.

Neque etiam frigus ſcorbuti cauſa eſt unica, non enim in ſolis frigidioribus, auſtralibus plagis, ſed in meridionalibus ſcorbutus obſervatur, & quidem in his ultimis multo citius tragædiam finiens, immo ſiccum frigus arcet putredinem, & ſcorbutum inhibet.

Accuſarunt aliqui *contagium*, ut cauſam ſcorbuti a): vix tamen id verum; quod enim plures eodem victu, eodem ſub climate, iisdem laboribus detenti ſcorbuto afficiantur, non puto id contagio, ſed cauſis, quibus expoſiti erant, adſcribendum; ſi enim ſcorbutum a cauſis externis unus ſuſcipere potuerat, non eſt ratio, cur & alii, iisdem cauſis ſubjecti, ſuſcipere non potuerint; interim dicit Ill. van Swieten b), ſe non ſuadere, ut ſanus de eodem poculo biberet, quo ſcorbuticus brevi antea uſus erat, magno certe judicio, in re hactenus nondum ſatis evidenter, & apud omnes demonſtrata.

Hæ

a) Sennertus Lib. III. P. V. Sect. II. Cap. II. Edit. Lugd. 1676.
b) Tomo III. pag. 618. Edit. Pariſienſ. 1771.

Hæ ſunt cauſæ ſcorbuti primarii, modo venimus ad cauſas ſcorbuti ſecundarii.

Cauſæ ſcorbuti ſecundarii, ſeu ſymptomatici, ſunt prægreſſæ hæmorrhagiæ, vel aliæ evacuationes validæ, febres putridæ, hyſteria, hypochondriaſis, lues venerea, longus uſus mercurialium ob luem ſyphilliticam, rachitis.

Omnes dictæ cauſæ ſcorbuti tam primarii, quam ſecundarii, in eo conveniunt, quod perſpirationem inſenſibilem imminuant; quod enim aër humidus illam imminuat, patet per ſe; non enim poteſt amplius aër humiditate jam ſcatens totam illam quantitatem vaporis, qui exhalatur recipere, uti quoque linteum jam ab aqua madidum, amplius vix aquam imbibit. Perſpiratio per cutem & pulmonem minuitur, aut in magna copia, aut ſolum in pauca; ſi minuatur in magna copia, oritur brevi vel liberior perſpiratio, ſi nempe aër non amplius humidus fuerit, vel diarrhæa, vel febris; ſi minori copia retineatur, non excitat quidem dicta ſymptomata, ſed vel diu adhuc in corpore detenta manet, vel brevi denuo inſenſibiliter de corpore exit, & homo denuo ſanus erit. Si vero diu in corpore detineatur, tum licet febrim non excitat, tamen cum materies hæc non ſit inquilina, incipiet ſanguinem inficere, & corrumpere: uti illuſtr. de Gorter a) ex Sanctorio ait: *materia perſpirabilis ob aërem humidum, atque cœnoſum detenta, ad corruptionem*

a) De Perſpir. inſenſib. Cap. XII. §. 39. Lugd. Batav. 1763.

valde prona eſt, & licet quidpiam per alias vias ejiciatur, tamen certum eſt ex phyſiologicis, quod pars una functionem alterius partis plenarie ſupplere non valet, ut hinc pars ſemper in ſanguine maneat, niſi per vias ſibi appropriatas expellatur. Si itaque maſſa humorum ideo incipiat inſici, quia expulſio partium ejusdem heterogenearum impedita eſt, non quidem magna copia, ſed tamen conſtanter, & longo tempore, quis humor corporis humani ab hac retentione plurimum patietur? Inprimis humor oſſium, quia in oſſibus tardiſſima circulatio, unde & partes humorum ad oſſa delatæ plurimum hic retardabuntur, & humorem oſſium a natura ſua facillime corruptioni obnoxium corrumpere incipient, atque hac ratione confert aër humidus ad corruptionem humoris oſſium.

Aër effluviis putridis fœtus & ſimul humidus confert ad hoc malum, quia præter particulas excrementitias in ſanguine manentes, ſimul aliæ novæ per venas imbibuntur, ut modo duplex oriatur fons, unde ſanguis & præcipue humor oſſium corrumpi incipiat.

Eadem erit ratio, cur ſcorbutus ab aquis putreſcentibus producatur; aquæ putreſcentes ſanguinem corrumpunt, uti cel. de Gorter ex Sanctorio a) dicit: *aqua gravior & aër cænoſior & ponderoſior, convertunt inviſibilem perſpirationem in ichorem, qui retentus, & deinde non reſolutus magna ex parte in cachexiam faceſſere ſolet.*

Cur

a) Idem in eodem libro & capite.

Cur vero uſus ſalitorum eumdem producit? Quia ſal communis parca doſi ſanguini extra corpus mixtus, ejus putredinem promovet, ſi vero magna copia miſceatur eam impedit, uti celeb. *Pringle* obſervavit, ſuperius vero dictum, ſalem communem non producere ſcorbutum, niſi ſimul aër humidus fuerit, dum vero ob humorem aëris retinetur perſpirabile, & ſimul accedit tale quid, quod humores magis in putredinem promoveat, in aperto eſt ratio, cur inde humor oſſium corrumpatur; ſi ſimul ſuperius dicta conſiderentur, magis hoc pateſcet.

Cur vita otioſa, animi affectus triſtes? quia hæc pariter perſpirationem minuunt. Uti teſtis eſt Ill. de Gorter a): *mœrentes, timentes, & triſtes, valde diminutam habent perſpirationem.*

Quod autem frigus, maxime ſi, uti ſupponimus, humiditati junctum ſit, idem cel. Vir de Gorter b) affirmat: *frigus cum humiditate multo magis retardat perſpirationem, quam cum ſiccitate.*

Quod vero evacuationes ſolito majores eamdem minuant, patet ex eodem Ill. de Gorter c): *Perſpiratio ſenſibilis ſalubris divertitur per omnes evacuationes ſenſibiles copioſiores.*

Quod

a) Gorter de perſpirat, inſenſib. Cap, XII,
b) Idem eodem capite.
c) Idem eodem capite,

Quod *hyſteria*, hypochondriaſis, febres, lues venerea, pariter in aperto eſt. Subtrahunt enim hæ materiem de corpore, unde perſpiratio debite pergere non poteſt.

Quæſtio hic oritur, cur aliqui licet iisdem cauſis ſcorbuti expoſiti ſint, tamen, aut tardius, aut plane non in eundem incidunt? major vel minor pronitas ad ſupprimendam perſpirationem in cauſa eſſe videtur, apud alios enim difficilius ſupponitur perſpiratio, & ſi ſuppreſſa pro tempore fuerit, facilius denuo expeditur, unde & hi difficilius in ſcorbutum incidunt.

Cur in navigiis nautæ Claſſiarii citius in ſcorbutum incidunt ac duces eorum? Habent duces ſua cubilia, ſuum peculiarem victum, bonas ſiccasque veſtes, & mille alia præ claſſiariis commoda, unde non facile in ſcorbutum incidunt.

CAPUT III.

Decurſus, Diagnoſis & Prognoſis ſcorbuti.

Totus morbi decurſus dividitur in quatuor gradus, ſeu ſtadia; gradus primus appellatur *ſcorbutus naſcens*, ſecundus *ſcorbutus increſcens*, tertius *ſcorbutus adultus*, quartus *ſcorbutus conſummatus*. Sua quilibet hic gradus exhibet phœnomena, quorum non tam copia, ſed ordo, quo naſcuntur, quo ſe invicem excipiunt; peculiariter notandus eſt.

An-

Antequam ſcorbuti primus gradus incipiat, quidam prodromi obſervantur, facies & pallida, vultuoſa, labiorum & caruncularum ſubvireſcens, ſubflavus color, ſolitudinis & quietis amor, animus mæſtus, impatientia lucis, viget tamen appetitus. Cave ne ex his ſcorbutum prædicas, nam hæc & alios morbos, hæc plerasque febres præcedunt, & ſunt imminutæ perſpirationis ſymptomata, uti id Ill. de Gorter a) teſtatur, brevi tamen, ſi accedat

Gradus primus: ſeu ſcorbutus incipiens, cujus ſymptomata mox deſcribam, de diagnoſi certus eris: ſymptomata vero ſequentia ſunt.

Primo: Facies chlorotica ex flavo viridis, metus, puſillanimitas.

Secundo: Dedolatio poſt motum levem, & poſt ſomnum.

Tertio: Anhelоſa & brevis reſpiratio, ad lenem pariter motum, reſpiratio ſucceſſu temporis talis, qualis ſolet eſſe iis, quibus thorax aqua vel pure plenus eſt, quæ ultima duo, dedolatio nempe & reſpiratio anhelоſa, in omni ſcorbuto obſervari ſolent; dependent hæc phænomena a præpedita ſanctoriana perſpiratione, uti quilibet, dum impeditur apud eum, in ſe ipſo experitur; reſpiratio vero anhelоſa fit præter hoc, quod perſpirabile imminutum impleat vaſa pulmonis; etiam ob alias rationes, vel quia hu-

a) Idem eodem capite.

humor oſſium; ad fibrillas muſculorum reſpirationi famulantium delatus, eas rigidas, & flecti neſcias facit, uti facit duras ſuras, vel quia fortaſſe aquæ in thorace accumulantur, quæ expanſionem pulmonis prohibeant.

Quarto: His prægreſſis oritur *pruritus gingivarum & tumor*, tam magnus ſæpe, ut fere totum dentem tegat; ſed tumor hic adeo magnus, ſolum in iis obſervatur, qui antea bonas gingivas habuere. Humor oſſium ex dentibus ad gingivas contiguas adfertur, dum acer eſt, irritat gingivas, & eas inflammat; ubi vero inflammatio, ibi tumor, tumorem hunc eo majorem naſci dico, quo homo antequam ſcorbuto corriperetur, melioribus gingivis præditus erat; ideo, quia maſſa gingivæ bona plus materiæ ſcorbuticæ capere poteſt, quam mala; quo vero plus in ſe continet, eo in majorem dimenſionem ſe extendet, gingiva vero aliunde jam mala ante morbum ob defectum maſſæ, aut ob prius jam corruptam maſſam, tantum materiæ ſcorbuticæ non capit, hinc neque adeo intumeſcit. Præter tumorem & pruritum gingivarum adeſt

Quinto: *Color* gingivarum *rubens*, aut potius ad cæruleum accedens, earum mollities laxa, fungoſa, adeo in ſanguinem plorandum prædiſpoſita, ut levicula preſſione eum elicere poſſis, tandem fit exulceratio: humor oſſium proximam viam in gingivas habet, ſi itaque corruptus hic advenerit, gingivas pariter ut inficiat neceſſe eſt ex lege putrefactionis; caro vero putrefieri incipiens, quo majori gradu in putredinem abiit, eo mollior, facilius ſui ſolutionem ad-

admittens, tandem in liquamen abitura, ab omnibus obſervatur; putredo hæc gingivæ ſemper a parte ſuperiori incipit, & verſus apicem ejusdem proſerpit, quia apex gingivæ tegit dentis illam partem, quæ adamantina cruſta veſtitur, adeoque tardius corrumpi incipit; pars vero ſuperior gingivæ illam, quæ nullam habet adamantinam, & præterea majori ſuperficie contingit gingiva dentem parte ſui ſuperiore, quam inferiore; adeoque etiam plures particulas putridas humoris oſſium accipit, unde etiam citius quam apex conſumi putredine debet, primo tunc reliquum gingivæ contactu ſuo infectura, ubi illa conſumpta fuerit.

Sexto: Gingivæ tumentes a dentibus abſcedunt; humor oſſium ex perioſteo ad partes alias molles adveniens tenuiſſima vaſcula, per quæ perioſteum cum partibus mollibus adnectitur arrodit; humor itaque non amplius a perioſteo ad partes molles advenit, cum nulla adſint vaſa, ſed exſudat inter perioſteum & partes molles ſuperjacentes, & facit corpus intermedium, quod dividit partes molles ab oſſe.

Septimo: Anima fœtet, fœtore peculiari, nec deſcribendo, diverſo certe a fœtore variolantium, diverſo a fœtore illo, qui ob cariem dentium alias naſcitur; fœtor vero hic partim a corruptione gingivarum, partim a particulis humoris oſſium jam inutilis per pulmonis fabricam excretis, & de pulmone una cum aëre propulſis pendet. Hæc circiter in gradu primo obſervantur.

Grà-

Gradus ſecundus: Scorbutus increſcens.

Præter dicta in gradu primo in pejus ruentia, quædam alia quoque adſciſcit.

Primo: Dentes initio flaveſcunt, dein nigreſcunt, carioſi fiunt, ſenſiliores evadunt. Flaveſcunt, nigreſcunt, non enim ſanum humorem recipiunt, *carioſi* fiunt ob eundem humorem oſſium, ſubſtantiam ſuam conſumentem, *ſenſiliores;* adeo ut vix tandem panem mandere poſſint, fortaſſe, quia dens majori ſenſilitate præditus eſt, ac alia oſſa, uti & in partibus mollibus quædam magis ſenſiles ac aliæ inveniuntur, fortaſſe per motum & vim, quam dentes in mandendo patiuntur, commovetur materies intra dentem, nervulum per radicem dentis ad dentis ſubſtantiam venientem irritat. Caries vero dentis illa parte incipit, quæ a gingiva libera eſt, quia humor oſſium corruptus non poteſt in gingivam, utpote tali loco nullam, tranſire, unde ſucceſſive adhuc magis corrumpi debet. Iidem dentes fiunt *longiores, mobiliores,* & in *fine excidunt* ſponte, vel levicula tractione; *longiores*, humor oſſium ex dentis radice in perioſteum alveoli adveniens, perioſteum hoc in omni ſuperficie facit rarius, cum debite de illo ad gingivas ſeparatas exire non poſſit, intumeſcit itaque perioſteum, tumore hoc extrudit dentem, unde ille tum longior videtur; *mobiliores*, extruſi enim ab elaſticitate alveolorum non tam fortiter retinentur, tandem *excidunt*, quia ubi perioſteum totam alveoli cavitatem ſuo tumore implevit, dens nullam habet firmitatem, nullum nexum, unde excidit.

Quæ-

Quæſtio hic oriri poſſet de dentibus, cur nempe ita durante ſcorbuto mobiles, eo curato; iterum firmi evadant? Quia ſuppono, non tantum humores per curam emendari, ſed etiam effectus tolli; ſi itaque modo denuo perioſteum detumeſcat, novum accipiunt dentes in alveolo locum, & ab alveoli elaſtica firmitate denuo retinentur.

Secundo: obſervatur *ſtrepitus articulationum* ad levem motum; dixi enim humorem oſſium in oſſibus longis non ſolum ad perioſteum, ſed & ad cavum articulationum ferri, ibidemque cum medulla pariter per caput oſſis transſudante, & muco per glandulas articulationum ſecreto conſtituere linimentum, quod oſſa in motu ſuo lubricitate facilitet; in ſcorbuticis quoniam humor oſſium acer, acris quoque medulla, oſſa non amplius ea lubricitate prædita ſunt, qua prædita erant, dum adhuc unguinoſa forent, in ſcorbuticis inquam linimentum hoc illiniendis oſſibus non ſufficit, ſtrepent itaque in motu, prout currus rotæ, ſi pingui non obliniantur.

Tertio: Dolores in artubus & intra articulationes: dolor quaſi in ipſa oſſium medulla, noctu aggravatus, quem recens natum ſi premas, non augetur; dum vero longiori tempore afflixerit, attactum externum non amplius patitur. Dolor hic a roſione & irritatione per humorem oſſium acrem factum in fibrillis perioſtei, & ligamentorum exoritur; initio morbi attactu non augetur, quia necdum partes ſuperjacentes molles, quæ ſolæ attactui expoſitæ ſunt, malo hoc affectæ; ubi vero partes molles affici incipiunt, tum attactus amplius partis dolentis non fertur; noc-

tù aggravatur, quia calore lecti humor oſſeus adhuc acrior fit, magis ad putredinem vergit, & ſi acrior, utique magis irritat, & majorem excitat dolorem.

Quarto: Cutis eſt *anſerina*. Effectus ſuppreſſæ perſpirationis, vel quia humor oſſium huc adveniens vaſcula cutanea, per quæ a reliqua maſſa ſeparari, & de corpore expelli deberet, conſtringit, & ſibi viam occludit, ut itaque finibus occluſis in reliquo adſurgant, & faciant cutem tuberculis minimis obſitam.

Quinto: Oëdema crurum & ſurarum peculiare, non tale quale in hydrope vel leucophlegmatia oriri ſolet, ſed ſuræ ſunt duræ, & quaſi ligneæ, quia humor oſſeus per vaſcula minima ad muſculos delatus, ſua acrimonia irritat fibras muſculares, fibræ irritatæ ſe contrahunt ad minorem brevitatem, & contractæ manent eo longius, quo longiori tempore irritatæ fuerint, debent itaque & fibræ muſculares, eo quo diuturniori tempore contractæ manſerint, eſſe duriores; eſt enim durities in muſculo contracto conſtans phænomenon a). Cur vero hæc durities maxime in tibiis? Quia hic oſſa magna & multa, multus itaque debet eſſe humor oſſeus, multi quoque muſculi & magni, magna ſurarum a corde diſtantia, ita, ut non multum vi circulationis ex fabrica muſculorum propelli poſſit humor oſſeus in muſculos adlatus.

Sex-

a) Bœrhav. Inſtit. Medic. §. 401. Nro. 7.

Sexto: *Articulationum* tanta *rigiditas*, ut vix incedant ſine ſuſtentaculis; quia muſculi articulationum tam flectentes, quam extendentes, ab humore oſſeo corrupto irritati, jam tenſi ſunt præternaturaliter; non poteſt vero vi liquidi nervei per voluntatem illuc pulſi ſuperari illa tenſio, hinc neque inceſſus fiet; quod tenſio hic locum habeat, non vero aliud, patet poſt curam, curato enim ſcorbuto denuo bene incedunt: nec mirum, quod humor oſſium acris talem tenſionem producere valeat, cum immobilitatem artuum ſola ſuppreſſa ante breve tempus perſpiratio producat, quæ tamen momento tam acris vix fieri poteſt, uti humor oſſium a longo tempore jam accreſcens.

Septimo: *Maculæ rubræ*, flavæ, fuſcæ, violaceæ, diverſæ magnitudinis, quandoque ſunt latæ plagæ uti a ſugillatione, quandoque exiguæ lenticulares, vel petechiformes ita, ut ſi videas febris quid adeſſe, eas pro veris petechiis habeas; oriuntur vero hæ maculæ, quia humor oſſium corruptus, & copioſus jam in corpore exiſtens, dum ex oſſibus ad reliquam humorum maſſam defertur, veniens ad cor, verſus ſuperficiem corporis propellitur, vaſa cutanea, & humorem in his contentum inficit, vaſa hæc ſua acrimonia irritante ad ſeſe contrahendum urget, unde finibus vaſorum contractis, in reliqua parte vaſorum fini proxima accumulatur materies, vel vero vaſa rumpit, & materies ſub cuticula effunditur, unde maculæ; & habent hæ maculæ proprietatem, quod non maneant: ſed locum, vel magnitudinem mutent; fit hoc caſu illo, ubi ſpaſmus in fine vaſorum cutaneorum ceſſat, & materies

ad finem hærens vel ex toto, vel pro parte de corpore inſenſibiliter evacuatur; maculæ tales maxime in tibiis vel femoribus, ob tardam hic circulationem, rarius in brachiis, rariſſime in dorſo vel pectore; in facie vero Cel. & mihi ad cineres uſque venerandus Profeſſor Stoll, nunquam ſe adhuc vidiſſe adfirmabat.

In hoc ſcorbuto, id peculiare obſervatur, quod etſi tam valida adſint ſymptomata, tamen appetitus ſæpe vigeat, æque ac in ſanis; ratio eſt, quia humor oſſeus acris in maſſam humorem delatus, vel expurgatur de corpore per vias excretorias ita, ut ſecreti humores adhuc boni ſint, vel quia una cum humore gaſtrico ſecernitur, ventriculum irritat; in primo caſu cum facili concoctione, in altero non æque.

Gradus Tertius: Scorbutus adultus.

Symptomata primi & ſecundi ſtadii multum aucta habet, & his accedunt

primo: Ulcera crurum, tibiarum, quæ naſcuntur, quia humor oſſium in vaſa cutanea veniens, vaſorum illorum humorem inficit, nexum ſolvit; ulcera hæc ab omnibus aliis ulceribus diſtincta ſunt, & propterea conditio eorum bene noſci debet, ne confundantur cum ulcere venereo, vel cacoethico, vel vice verſa, uti factum legimus cum multorum pernicie, in exercitu cæſareo contra Turcas, ubi in ulceribus ſcorbuticis, malo errore pro venereis habitis, & antivenereis tractatis plurimi periere; ſequens eſt conditio ulceris ſcorbutici: pus fundit ichoroſum, te-

tenue, fœtens, ſanguinolentum, aquoſum, loturam carnis æquans; ichor hic ulcus obtegit. ſubjacens caro eſt mollis, fungoſa, putreſcens; levi attactu ſanguinem fundit, margo ulceris eſt fuſco ruber, luxurians, carnem plurimam, ſed fungoſam, & debilem adeo generat, ut levi ſolum contactu ſanguinem ploret; ulcera hæc vel ſponte ſua oriuntur, vel vero fiunt in locis aliunde parum vulneratis, ſic v. g. poſt VSm. ſeu indicatam, ſeu non indicatam cutis in tale ulcus abit; hoc etiam peculiare habet, quod nunquam in bonam ſuppurationem deducatur.

Cum ulcus hoc tam peculiare ſit, quæritur, quomodo ab ulcere venereo diſtinguatur (Cel. Aſtruck a) ſequentes ponit diſtinctiones. 1mo. *Quod ulcera venerea primum tonſillas, fauces, columellam, inde gingivas ſed tardius rariusque; contra vero ſcorbutica primo gingivas inde vero fauces & tonſillas, columellam afficiant, ſed rariſſime & tardiſſime.* 2do. *Quod ulcera venerea nares ſæpe, ſcorbutica nares nunquam occupent.* 3tio. *Quod venerea in ambitu & baſi calloſa ſint, minime vero ſcorbutica.* 4to. *Quod venerea circumſcripta & plerumque circularia certis tantum locis inſideant, contra vero ſcorbutica ſerpentia & irregularia latius explicentur, & totam oris cavitatem non raro male afficiant.* 5to. *Quod venerea eroſione excaventur, ſcorbutica vero in fungos & fungoſas excreſcentias abeant.*

a) De Morbis venereis Tom. 1. p. 301. Edit. Venetiæ 1760.

abeant. 6*to. Quod venerea ex ambitu rubra, in fundo ex albo cinerea ſint, ſcorbutica vero tota liveant perpetuo.* 7*mo. Quod venerea ſubjectis oſſibus cariem celerem inferant, ſcorbutica nunquam vel raro.* Videtur hic Cel. Aſtruk non bene conſideraſſe dentes ſcorbuticorum, qui in ſcorbuto provectiori, & in illo gradu ſcorbuti, ubi ulcera oris jam adſunt, ſemper fere carie infecta inveniuntur. 8*vo. Quod ulcera venerea adjuncta habeant ſigna luis venereæ, ſcorbutica vero ſcorbuti ſigna, quæ aliena ſunt.*

His ſignis diſtinctivis Cel. Aſtruck liceat aliquid addere, quod a poſteriori plenarie te de natura ulceris certum reddit, ſcilicet ſi ulceri de cujus natura dubitas mercurium cum digeſtivis junctum, ſcopo digerente, detergente applices, vel ſi mercurio dulci ea ulcera inſpergas, ulcus tale poſt viginti quatuor horas ab applicato tali digerente mercuriali, aut multum emendabitur, aut plurimum in deterius ruet, aut ſi non emendetur, ſaltem in pejus non abit; ſi primus & tertius caſus poſt applicatum mercurium in ulcere advertatur, certus eſto de natura ulceris venerea, ſi vero ſecundus contingat, indubie concludes eſſe ulcus ſcorbuticum.

Secundo: Lipothymiæ ad levem motum oriundæ, dum v. g. ſe e lecto erigere, vel movere volunt; lipothymiæ hæ, ubi ſe in quietem componunt, ſæpe iterum ceſſant, aliquando vero lethales ſunt: naſcuntur hæ lipothymiæ, quia ſanguis in pulmonem jam per materiem ſcorbuticam debilitatum motu corporis pellitur, & cordi eam ponit reſiſtentiam, ut motus ejus ſuffoca-

tio-

tioni vicinus ſit, aut quia aquæ adſunt intra thoracem, quales ſæpius reperiuntur, ſi lipothymiæ lethales fuerint, aut quia ſanguis per arroſa vaſa elabitur, cor humore ſe extendente privatur, & & hinc lipothymia & mors.

Tertio: *Hæmorrhagiæ* variarum partium, ſic pulmonum, narium, gingivarum, uteri, ventriculi, cutis ipſius, & ulcerum; fiunt ſæpe tales hæmorrhagiæ, licet nulla vis externa præceſſerit, a qua ruptura vaſis ſanguinem fundentis repeti poſſet; ſi detergatur pars ſanguinem plorans nihil læſi deprehenditur, uti id Ill. van Swieten teſtatur a): *ex lingua & labiis in hoc morbo copiam ſanguinis exiviſſe vidi, licet deterſis his partibus, non potuerim diſtinguere determinatum locum, unde ſanguis erumperet*, uti quoque Sennertus agnoſcit b): *vix veſtigium & via manifeſta, unde ſanguis efflueret, viſui adparet*. Materies ſcorbutica delata ad vaſa eadem irritat, conſtringit, & ſic conſtricta arrodit, atque ei una cum ſanguine de corpore exeundi viam facit.

Quarto: *Dolores vagi arthritici* jam inteſtina, jam ventriculum, jam alias partes afficientes, & noctu ingraveſcentes plurimum; proutque diverſas partes occupaverint, ita etiam diverſos producunt effectus, ſic ſi ventriculum occupent, facient cardialgias, vomitus biliofos, vel ſanguineos. Non credo hos dolores, & talia mala in

 di-

a) Tomo III. pag. 608. Edit. Pariſienſ. 1771.
b) Lib. III. P. V. Sect. II. Cap. II. Edit. Lugd. 1677.

diverſis partibus orta, fieri ob materiem ſcorbuticam depoſitam hic per metaſtaſim, cum enim perpetuo nova ex oſſibus adveniat materies, perpetuo ſanguis ab illa inficitur, erit itaque talis materies in ſanguine perpetuo; quod tamen jam hos, jam illos dolores facit, cauſa eſt, quia ad vaſa hic delata, & ea plus fortaſſe, quam alibi irritans, ſpaſmum in illis excitat, unde in his vaſis retinetur, & cum irritatio continua ſit, dolorem facit; ubi ſpaſmus hic denuo remittit, materies ſcorbutica viam non amplius præcluſam habens, de vaſibus exit, donec denuo in alio loco corporis, ſimilis naſcatur ſpaſmus, ſimilem producens affectum.

Quinto: Tuſſis cum ſputis puriformibus; non ſemper hæc adeſt, ſed obſervata tamen eſt; materies ſcorbutica pulmonis vaſcula arrodens, ulcera pulmonum excitat, et fundit pus, vixtamen credo hoc pus bonæ poſſe eſſe indolis, in tanta totius ſubſtantiæ degeneratione.

Sexto: Hydrops variarum partium, crurum, abdominis, thoracis; quid enim mirum, ſi diſſolutio adeo humores, per vaſa pariter ſemiarroſa exeant.

Gradus quartus: Scorbutus conſummatus.

In hoc hæmorhagiæ fiunt non ſiſtendæ, convulſiones a materie acri nervos irritante, lipothymiæ lethales; accedit in fine vera febris putrida, tragœdiam finiens, niſi jam ob hæmorrhagias erepti ſint.

Quæ-

Quæſtio oriri poſſet, quarenam primo in fine ſcorbuti febris accedat, cum tamen juxta theſim, cauſa irritans jam initio morbi adſit? Fortaſſe materies ſcorbutica acris, licet ſtimulo ſuo alias partes irritare poſſit, & irritando in illis varios producere effectus, fortaſſe inquam licet ſtimulans ſit, cor tamen irritandi facultate non eſt prædita; ſcimus enim, quod non omnis ſtimulis irritare poſſit omnem partem, v. g. crocus metallorum non agit in organum guſtus, nec in olfactum, in ventriculo tamen hærens validiſſimum producit vomitum; contra raphanus ruſticanus in organum guſtus & olfactus tam valide agit, ut edenti lachrymas cieat, aſt in ventriculo licet majori copia aſſumatur, nihil facit: quid obſtat; quin etiam de corde dici poſſit, quod detur ſtimulus in alias partes agens, non agens in ipſum cor? Aſt cur tamen oritur in fine ſcorbuti febris putrida, ſi dicimus materiem ſcorbuticam non æque agere in cor, atque in alias partes? materies ſcorbutica in partibus mollibus putredinem producebat, tabis putridæ pars reſorpta, alia jam producit phænomena, quam produxerit materies ſcorbutica, cor itaque hæc irritabit, humores diſſolvet, & lethalem necroſim in corpore producet.

Diagnoſis Scorbuti.

Nullum eſt in ſcorbuto ſymptoma, quod per ſe conſideratum & unicum, ſignum ſcorbuti pathognomicum conſtitueret, collectio itaque & ordo ſymptomatum enumeratorum, ſucceſſive ſeſe excipiens, dabit tibi ſignum pathognomicum;

duo tamen ſunt in omni & ſingulo ſcorbuto ſigna, quæ nunquam ab eo abſunt, & hinc quaſi pro pathognomico aſſumi poſſunt: primo conditio gingivarum, quæ tumidæ, fungoſæ, excreſcentes, levi motu ſanguinem plorantes ſunt; & ſecundo maculæ purpureæ cæruleſcentes, variæ magnitudinis, ſine contuſione, vel ſine febre ortæ.

Prognoſis Scorbuti.

Eam Illuſt. Præſes noſter L. B. de Störk a) brevibus his verbis optime delineavit: *In principio hic morbus facillime ſæpe ſanatur, quo profundiores autem egerit radices, eo moleſtior fit, & quando ſemel integre invaluit, & partes internas aggreſſus eſt, curæ ſpes ſupereſt nulla.*

CAPUT IV.

De Cura Scorbuti.

In hac agam primo de cura ſcorbuti idiopathici, ſecundo de cura ſcorbuti ſymptomatici, tertio de cura ſcorbuti complicati, quarto de cura ſymptomatum urgentiorum in ſcorbuto occurrentium.

In

a) Præcepta medico-practica, Tom. II. p. 149. Edit. anni 1774.

In cura idiopathici indicatio eſt cauſas removere, ſecundo humorem oſſeum emendare.

Cauſæ removebuntur varia ratione; ſi ſcorbutus ab aëre humido natus fuerit, faciendum, ut aër ſiccus ægris procuretur, fiet hoc, ſi ægri loca depreſſa, paludoſa, humida, cum elatis, ſiccis, montoſis commutent; ſic ſi Hollandi Italiam petant: non tamen ſemper opus, imo neque ob rei familiaris anguſtiam ſemper licet hoc de mutando hac ratione aëre conſilium accipere, quid ergo tunc faciendum? Sufficit ſæpe, ſi homines infra terram in cubilibus, quorum muri ab aquis madent, perpetuo habitantes, altius cubile & ſiccum petant, ſi ubi plures antea in eodem cubili habitarunt, modo pauciores in tali cubili collocentur, aër ſæpius ſiccetur, vel flamma viva in cubili accenſa; ſed dum flamma accenditur non debet in uno loco cubilis hærere, nam tum ſolus vicinus flammæ aër exſiccabitur, manente interim aëre angulorum humido, ſed flamma circumferri debet; vel fumo aromatico ex ligno juniperi, quod pretium tantum non habet, vel ex aliis fumum gratum dum ardent edentibus; ſi pulvis pyrius accendatur, ſi aër fixus in cubile intromittatur, ut aërem communem abſorbeat; ſi denique talia corpora ſicca in cubile deportentur, quæ avide humidum imbibunt; prodeſſet hic arenam ſiccam ſuper pavimentum ſpargere, & ubi humeſcit, e cubiculo ſcopis evertere, ut denuo ſicca arena aſpergi pavimentum poſſit; habent & cineres foci, ſi ſiccati bene fuerint, proprietatem in aëre humeſcendi, ob ſalem ſuum alcalinum avide aquam attrahentem, unde in defectu arenæ

&

& hi cineres ſumi poſſent eodem ſcopo cubilia inſpergendi.

Laudantur hic quoque ventilatores; at ventilator aërem non ſiccat, ſed ſolum aërem externum, cum aëre cubilium commiſcet; nam ſi aër externus humidus fuerit, quomodo cubilis aërem pariter humidum ſiccare poſſit? ignoro. Proderunt ventilatores in locis, ubi ſcorbutus ob copiam hominum in eodem cubili habitantium, & qui ob rationes quascunque non poſſint ab invicem ſeparari, & in plura cubilia poni, uti v. g. ſi in navigiis, carceribus oriatur, ſi ſimul aër externus non ſit humidus; nam tali caſu ventilatores aërem internum cubilium humidum, cum aëre externo atmoſphæræ, qui ſiccus ſupponitur, miſcebunt, & ſcorbuto ponent limites; apparet itaque quod ventilator ibidem valeat, ubi aër cubilium humidus, putridis effluviis impraegnatus eſt, & ubi ſimul aër externus ſiccus habetur; alias ſi ſiccus non fuerit aër externus, non valebit ventilator, ſed valebit viva flamma, vel aër fixus dephlogiſticatus.

Si aër humidus & frigidus excitarit ſcorbutum, præter ſuperius dicta bonum erit corpus bene veſtibus ſiccis munire, lectum ſiccum habere, cubilia fornace ſuccenſa calefacere, proderit fortaſſe etiam uſus potuum ſpirituoſorum tali caſu.

Si contra aër humidus ſimulque calidus fuerit, juvabunt hic ea ſolum, quæ aërem ſiccant, non vero proderunt veſtes copioſæ, fornax accenſa &c.

Si

Si potus aquarum putreſcentium fuerit cauſa ſcorbuti occaſionalis, non hic ſola ea, quæ aërem exſiccant & renovant, proderunt, ſed dari debent aquæ recentes, ſi haberi poſſint; ſi autem haberi non poſſint, faciendum ut aquæ putreſcentes, quantum id arte efficere poſſumus, emendentur; emendabuntur vero ſi in aqua tali putreſcenti malthum coquatur, per coctionem enim putridæ partes partim deſtruentur, ſimul gratus acor ex maltho ad aquas tranſibit.

Si victus crudus, caſeoſus, cauſam ſcorbuti dederint, aut hæc cum aliis bene digeſtibilibus commutanda, aut ſi commutare non liceat, ea ſimul in victum tunc adhibenda, quæ ad victum talem a viribus ventriculi & vaſorum bene ſubigendum accomodata ſint, talia erunt, ſi aromatici ſimul quid aſſumatur: ſi homines tali victu utentes, ad motum corporis validiorem faciendum compellantur.

Si animi affectus triſtes, valebit itineratio per ſicca loca, ſi eam adhuc ob vires adhibere ægri poſſint, conſortium hominum lætorum, abſtractio mentis ab idea ingrata.

Si uſus ſalinorum, ſalina vel ſeponantur, vel talia aſſumantur, quæ tanto ſale non ſcateant, ſimulque potus aquæ recentis bonæ, vel cereviſiæ bene defæcatæ detur, vel potus decocti malthi, ſi autem cibi recentes haberi non poſſint, poſteriora hic dicta adhibeantur.

Diſ-

Difficile eſt dictu, qui ſuppleri poſſit defectus vegetabilium; ſi enim naves, ubi plurimum talis defectus obſervatur, ventis agitatæ portum attingere nequeant, & defectu vegetabilium plenario laborent, ſimulque ob hunc defectum ſcorbuto affectæ ſint, quid tentandum illis ſit, ignoro ſane.

Dum de cauſis quantum poteras removendis cogitas, ſimul de ordinanda diæta ne obliviſcaris neceſſe eſt. Univerſim ſit antiſeptica, ſeptica enim humorum & totius ſubſtantiæ indoles, ſui emendationem requirit; conſtet diæta ex pane bene cocto, lacte ebutyrato, ex oleribus; braſſica fermentata, nappo, dauco, ex fructibus horreis maxime citro & aurantiis, poſſunt & juſcula carnium, quibus vegetabilia incocta ſunt adhiberi, poſſunt & carnes recentes bene coctæ, non ſolæ tamen, ſed ſimul junctæ uſui vegetabilium, ita, ut quantitas aſſumptorum vegetabilium, quantitatem carnis multum ſuperet, nunquam enim viſus ſcorbutus, qui a ſolo carnis uſu, licet optima illa foret, ſuperatus fuiſſet a). Pro potu inſerviet ſerum lactis, decocta ex herbis & earum fructibus, decoctum malthi, cereviſia bene defæcata, vel ſola, vel additis aliis reddita medicata, vinum aqua dilutum, fortaſſe acetum etiam aqua dilutum, muria braſſicæ.

Quandoque ſola cauſarum remotione & debita diæta ſcorbutus licet provectus jam ceſſat; contingit tamen, ut ad medicinas confugere debea-

a) Hoffmann vom Scharbock, S. 218.

beamus. Dabuntur hic talia, quæ humorem oſſeum emendent. Magnus catalogus eſt antiſcorbuticorum & ſibi ipſi oppoſitus, ut dum horum integram catenam vides, quid arripere debeas ignores, divido itaque hæc antiſcorbutica cum ductore meo Ill. Hoffmanno in decem claſſes.

Claſſis prima: Continet omnia corpora, quæ acido, ſeu naturali, ſeu fermentatione producto abundant; huc ſpectant, acetoſa, acetoſella, citrus aurantia, braſſica, & rappæ fermentatæ, ribeſia &c. Quæ omnia dari ſolent in ſucco, conſervis, electuariis, roob.

Conveniunt in ſcorbuto in aëre humido, ſimulque calido nato, reſiſtunt enim putredini, & ſimul refrigerant, qui uterque ſcopus, requiritur tali caſu; ſi enim dares putredini reſiſtentia, & ſimul calefacientia, perderes hominem in febrem illum conjiciendo. 2do. Conveniunt in ſcorbuto ſic dicto calido, ubi ſitis calorque adeſt, pulſus plenus fortis, & metuitur inflammatio.

Claſſis ſecunda: Acida mineralia præcipue ſalis, & acidum vitrioli, ſeu dentur per ſe aqua diluta, ſeu in decocto hordei, ſeu in ſero lactis, ſeu in ſyrupo, ſeu per alcohol dulcificata. Acida hæc mineralia bene ſemper dantur cum ſuccis vegetabilibus, ſic v. g. cum ſucco raphani ruſticani, tum potentius agunt, nam duplex acquirunt principium, acidum, quod putredini reſiſtit, & ſimul vegetabile, quod oſſeum humorem plurimum emendat.

Con-

Conveniunt in eadem ſcorbuti ſpecie, ſed ubi major jam adeſt metus putredinis, ubi hæmorhagiæ ex diſſoluta humorum maſſa jam naſcuntur, ubi ulcera fæda adſunt, ubi ſolis acidis vegetabilibus nihil amplius efficitur.

Claſſis Tertia: Plantas numerat antiſepticas ſimulque amaras, uti ſunt aurantia amara, abſynthium, centaureum minus, trifolium fibrinum, pariter in ſucco, conſerva, electuario.

Conveniunt in ſcorbuto ab aëre humido, ſimulque frigido nato, ubi humorum motus tardus, ut circulatio excitetur, & id quod acre factum eſt, excitata circulatione, ad organa excretoria delatum de corpore eliminetur; convenire quoque poſſunt in ſcorbuto ab aëre humido calido orto, ſed non ſola, ſed ſimul cum acidis, vel aceſcentibus juncta, nam tali caſu non agunt ut ſtimulantia, ſed ut antiſeptica.

Claſſis Quarta habet antiſeptica & ſimul aromatica, qualia ſunt fumaria, ſcordium, chelidonium minus, ſtrobyli abietis, ſtrobyli pinus zeedoariæ &c. Dantur ex his quædam quæ ſucco prædita ſunt in conſervis, electuariis, ſucco expreſſo, alia vero in pulvere ad electuarium recipiendo.

Conveniunt ibidem ubi Claſſis tertia.

Claſſis Quinta: antiſcorbutica, ſpiritu acri volatili prædita: ut raphanus ruſticanus, cochlearia, ſinapis, cepa, allium, ſquilla, dantur in ſuccis, conſervis, electuariis, infunduntur

tur cereviſia vel vino: dantur per ſe, vel ſimul cum aceſcentibus juncta, ne tantum calorem in corpore excitent.

Conveniunt pariter in caſibus illis, ubi claſſim tertiam laudavimus.

Claſſis Sexta: aqua calcis ſola, vel cum ſufficiente copia lactis pota; experimento enim Cel. Chavet a) conſtat, aquam calcis paulo majori vi antiſeptica pollere, quam polleat ipſe cortex Peruvianus.

Convenit in ſcorbuto ab eſu multo ſalitorum orto, quamquam & in aliis ſpeciebus ob vim antiſepticam poſſe convenire videatur; dummodo cum vegetabilibus miſceatur.

Claſſis Septima numerat antiſeptica quædam peculiariter in oſſa agentia, qualia ſunt radix rubiæ tinctorum, frondes ſabinæ, calamus aromaticus. Dantur interne & externe forma pulveris, decocti, vel in electuario, externe in balneis applicantur.

Exiſtentiam talium remediorum quæ peculiariter in oſſa agant, docet nos uſus radicis rubiæ tinctorum, quæ in cibo animalibus exhibita eorum oſſa brevi tingit, intactis cartilaginibus, intactis muſculis, tendinibus, cerebro, vaſis magnis: docet & exiſtentia aliorum ſpecificorum, ſi enim dantur quædam, quæ ſolum vomitum, non vero aliud in corpore excitent, ſic dantur quæ ſola vi purgante, ſola vi diuretica agant, non datur ratio, cur dari etiam talia non poſſint, quæ

in oſſa agant. Docent tertio experimenta circa ſabinam & acorum vulgarem in domo caſtigatoria Monaſterienſi ab Ill. Viris Chriſtoph. Hoffmann, Chavet, & Retenbacher inſtituta.

Quomodo vegetabilia, ut ſcorbutum ſanent agunt? Vis medicamenti, quod ſcorbuticam materiem vincat, conſiſtit in eo, ut novus humor oſſeus in magna copia generetur, qui antiquum & corruptum humorem oſſeum, ex oſſibus, & ſimul de maſſa-humorum expellat, vel invertat, quod vero vegetabilia plurimas partes nutrititias & putredini reſiſtentes contineant, docet nos uſus eorum bonus, docet effectus, quem ab uſu ſortimur.

Conveniunt hæc antiſeptica ſpecifica in omni ſcorbuto, modo abſit calor & ſitis, maxime vero proderunt, ubi dolores oſteocopi ægrum excruciant.

Claſſis octava: Continet evacuantia, ſeu per venæſectiones, ſeu per alias vias purgationem, vomitum &c.

Conveniunt in ſcorbuto complicato, ubi vel inflammatio, vel vero ſaburra ſui ablationem abſolute requirens adeſt.

Claſſis nona: Martialia præſcribit, quæ dantur in ſcorbuto ſymptomatico, uti dein dicam.

Claſſis

Claſſis decima: Dat mercurialia, pariter in ſcorbuto ſymptomatico, vel vero potius in ſcorbuto cum lue complicato dantur.

Cura ſcorbuti ſymptomatici.

Indicatio eſt morbum primarium tollere, & ſimul talia dare, quæ ſcorbutum infringant, humorem oſſeum emendent; ſi itaque ſcorbutus ortus ſit ob prægreſſas validas evacuationes, nihil proderunt ſola antiſcorbutica, proderit vero diæta bene nutriens, & ſimul talis, quæ antiſeptica ſit, conveniet hic lac, juſcula carnium cum herbis cocta; pro potu vero dabitur cereviſia bene defæcata, vinum edentulum, parcis, ſed frequentibus vicibus aſſumptum, proderit cum lacte aquam calcis ſumere.

Si ſcorbutus ſymptomaticus natus ſit ob hyſteriam, vel hypochondriaſin, ob compagem corporis per rachitidem debilitatam; proderit præter diætam bonam martialibus uti, ſeu dentur illa in ſubtiliſſimo pulvere, ſeu in acidis vegetabilibus ſoluta (quod quidem ſemper pulveri præferre mallem) ſeu porrigantur aquæ martiales, martialia hæc in omni ſcorbuto a compage corporis debilitata nato bene dabis.

Si ſcorbutus contra natus ſit in corpore debilitato per luem veneream; tali caſu vel ſupereſt adhuc lues & una adeſt ſcorbutus, vel lues quidem jam ſublata eſt, at ob debilitatem ſcorbutus ſupervenit; in caſu primo, ubi adhuc lues ſupereſt bene dabis mercurium, & ejus præparata; vinces enim tum cauſam ſcorbuti ex-

citantem, & fiet tali caſu, ut mercurius antiſcorbuticas vires exerat, e contra ſi lues quidem jam ſublata ſit, & ſolus ſcorbutus ſuperſit, dabis antiſcorbutica ſuperius dicta, diætam ſimul reficientem, & roborabis corpus.

Cura ſcorbuti complicati.

Scorbutus complicari ſolet inprimis cum morbo regnante; & in hac complicatione attenditur, quis horum morborum vitales, id eſt urgentiores indicationes poſtulet, & tum talis morbus curabitur; ſic v. g. pono adeſſe ſcorbutum, & huic ſupervenire febrem inflammatoriam validam, quia inflammatio vitalem poſtulat indicationem, ſcorbuto uno ſolum oculo conſpecto, medebor inflammatoriæ febri, faciam ſi opus urgeat VSm. dabo antiphlogiſtica ore ſumenda, & ubi inflammatio ſublata fuerit, denuo ad curam radicalem ſcorbuti me convertam; vel vero pono quod ſcorbuticum prehendat febris biliofa, video quod ſigna adſint ſaburræ turgentis, inſtituo evacuationes per alvum, aut per emeſim, prout ſaburra turgens erit, non multum attendens quod ſcorbutus renuat purgantia, & ubi ſaburra ſublata, febris ſuppreſſa fuerit, denuo me convertam ad antiſcorbutica: & ſic plures poſſunt fieri complicationes, in quibus uti dictum ſemper id attendendum, quænam ex his complicationibus requirat indicationem vitalem, cui tum ſemper ſuccurrendum.

Fre-

Frequens eſt ſcorbuti complicatio cum lue venerea; non hic intelligo illam complicationem, dum ſcorbutus a lue oritur, ſed dum ſcorbuto jam præſenti in primo gradu (vix enim capere poſſum, ut in poſterioribus gradibus coitu ſaltem luem contrahat, cum membra vix movere valeat) lues per contagium ſuſcepta acceſſit. Scorbuti imprimis curam ſuſpiciendam monet Cl. Aſtruk a), & ubi ſcorbuti ſymptomata plurimum mitigata fuerint, ad luem curandam accedendum eſſe ait; credo bene fieret, ſi attenderetur, quinam ex his morbis pejora edat ſymptomata, ut illi, qui pejora ediderit, magis ſuccurramus; videbimus quinam pejora ediderit; ſi ulcera mercurio dulci inſpergamus, ſi hæc emendentur, lues potius curanda prius venit, ſi vero in pejus inde ruent, ſcorbutus primo percutetur, relicta interim lue, aut ſaltem parum mitigata; fortaſſe prodeſſet hic uſus lactis caprini, ſi capra antiſcorbuticis nutriretur, & ſimul inunctio mercurialis in ea inſtitueretur.

De cura ſymptomatica.

Symptomata urgentiora in ſcorbuto ab authoribus recenſentur plurima, inter quæ præcipua hæc decem ſunt: 1mo. Aphthæ, 2do. Aſthma, 3tio. Anchyloſes, 4to. Ulcera crurum, 5to. Hydrops, 6to. Diarrhæa exhauriens, 7mo. Lipotymiæ, 8vo. Hæmorrhagiæ variæ, 9no. Arthritis, 10mo. Maculæ. His peculiarem curam authores præſcripſerunt.

 In

a) De morbis venereis, Tom. 1. Cap. IV. §. pro 5.

In omnibus his adhiberi debent ea, quæ ad radicalem curam ſcorbuti requiruntur, & ſolum pro lenimine ſymptomatum quædam adduntur.

Aphthæ curantur, cum plerumque & fere ſemper laxæ hic ſint, linimento ex melle roſaceo & acido ſalis, ſimulque addito aliquid ſpiritus acori vulgaris a).

Aſthma vero ſcorbuticum ut leniatur ſuadet Bonetus b) antiſpaſtica, uti caſtoreum, ſpiritum cornu cervi, ſalem benzoes & ſi caſus urgeat, & ſuffocatio jam imminere videatur, ipſum laudanum liquidum Sydenhami in appropriatis liquoribus antiſcorbuticis; ubi vero tempus ab aſthmate liberum, peragendum eſt in antiſcorbuticis propinandis.

Anchyloſes præter curam generalem requirunt balnea, in quibus vel frondes ſabinæ, vel radix calami aromatici incocta eſt, ſed hæ frondes, & hæ radices bene ſimul dabuntur interne. Frondes ſabinæ in balneo jam Bonetus laudavit c).

Ulcera crurum; hæc indicant adſtringentia, exſiccantia, & nonnihil detergentia, ſimulque talia, quæ ſcorbuto medeantur, valebit hic eadem abluere decocto ſedi minoris, cui ſub finem additum aliquid cochleariæ, & ubi ſic elutum eſt ulcus

a) Hoffmann vom Scharbock, S. 269.
b) Polyathes, ſeu theſaur. medico-practicus, Lib. IV. Cap. LVI. pag. 990. Edit. Geneuen. 1694.
c) Idem eodem capite.

cus, illud opportet linimento illo ex melle roſaceo, ſpiritu acori vulgaris, & acido ſalis facto munire. Laudat Sennertus a) unguentum diapompholygos, ſi ulcera non adeo ſordida fuerint. In delegatione horum cæterum attendendum, ne rudi manu tractentur, hæmorrhagia enim valida ex hac mala tractatione oriri poſſet.

Hydrops, hunc in habitualem & occaſionalem dividit Bonetus b) & habitualem, id eſt eum, qui a ſcorbuto producitur, vix curabilem dicit: qui vero non a ſcorbuto, ſed ab alia cauſa oritur, eum evacuantibus perſanare adlaborat. Prodeſſet fortaſſe in habituali dare antiſcorbutica, præcipue talia, quæ urinas cieant, uti eſt ſquilla.

Diarrhœa exhauriens, alvi fluxum quidem minime ſiſtendum eſſe ſuadet, ſed moderandum tantum Sennertus c). Interim ſi nimius ſit, ſi exhauriat, bene dabuntur talia, quæ eundem ſiſtant, non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive; valeret itaque hic radix arnicæ.

Lipothymiæ: ſuadetur ne æger motum, vel animi vel corporis faciat, & ſi in lipothymiam inciderit, naribus ſupponantur talia, quæ odore ſuo ſpiritus excitent vitales, ut ſpiritus cornu cervi, ſalis ammoniaci.

a) Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. VII. p. 534.
b) Polyat. Lib. IV. Cap. LVI. p. 1002.
c) Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. VII. p. 533.

Hæmorrhagiæ variæ: Siſtuntur ſola quiete, vel ſi adſtringens applicetur; ſi validæ fuerint, nullam curam ſymptomaticam admittent.

Arthritis: Præter illa, quæ in ſcorbuto laudantur, quæ pleraque ſimul vi antarthritica prædita ſunt, laudat imprimis Cel. Bonetus a) ſabinæ ramulos in aqua decoctos, & ægro in balneo exhibitos; laudat & ſcarabæos majales.

Maculæ: Has non absque emolumento ſpiritu cochleariæ ablui dicit *Hoffmannus* b). *Sennertus* vero præter ejusdem ſpiritum & aquam deſtillatam dicit c): *Utile quoque fuerit crura, vel linteo, vel panno ſæpius calenti fricare, ut ſpiracula cutis aperiantur, & vitioſi humores diſcutiantur.*

III.

a) Polyat. Lib. IV. Cap. LVI. p. 533.
b) Hoffmann vom Scharbock. S. 296.
c) Lib. III. Par. V. Sect. II. Cap. VII. p. 532.

III.

ANDREÆ SZÖÖTS
TRANSYLVANI

DISSERTATIO
DE
ARTHRITIDE.

CAPUT I.

De Arthritide, ejus diviſionibus, & definitionibus, in genere.

Arthritis in genere eſt dolor articulorum quiscunque.

Dividitur:

I. Ratione originis, *in hæreditariam*, quæ a parentibus per generationem derivatur in ſeros etiam ſæpe nepotes; *acquiſitam*, quæ poſt nativitatem acquiritur.

II. Ratione partis affectæ, *in Podagram*, ſi dolor pedes occupet, *Chiragram*, ſi manus, *Pechiagram*, ſi cubitum, *Omagram*, ſi humerum, *Gonagram*, ſi genua, *Iſchiagram*, ſi coxendicem, *Lumbaginem*, ſi lumbos dolor occupet arthriticus &c.

III. Ratione typi in *regularem*, quæ ſtato tempore redit ipſosque artus occupat, & in *anomalam*, quæ incerto tempore & ordine redit & truncum corporis vexat. Alii vero definiunt quæ modo has, modo illas infeſtat partes, & ubi auxilio artis opus eſt, ut finis a natura intentus, obtineatur, nullaque ægro læſio superveniat a).

IV. In *fixam*, quæ locum ſemel occupatum non facile deſerit, & in *vagam*, quæ modo hanc modo illam partem occupat, hanc deſerit & aliam invadit.

V. In *manifeſtam*, quæ conſueta forma, nempe ſub doloribus artuum ſuam ludit tragœdiam, & *larvatam*, quæ ſe ſub ſchemate alterius morbi occultat.

VI. In *febrilem*, & *non febrilem*, illa ſubdividitur pro ratione febris, in inflammatoriam biliosam, pituitoſam, & putridam.

VII. In *retropreſſam*, quæ dicitur, ubi arthritis regularis, inepta medicatione locum conſue-

a) Grant Beobachtungen über die chronische Krankheiten, 1ſter Theil.

ſuetum deſerere, & in ſanguinem redire cogitur, vario eventu, vel enim deponitur ad truncum (quod frequentiſſimum) diverſiſſimoſque producit morbos, pro diverſitate partis trunci ad quam decumbit: vel circulat cum ſanguine ſine facta alicubi depoſitione, atque vel excitat febrem validiſſimam, vel vires naturæ ſuffocat ſubſequente morte inopina: vel vero e corpore expellitur, ſine magna moleſtia, quod omnium rariſſime contingit.

VIII. In *Genuinam*, quæ oritur, a materia arthritica in ſanguine accumulata, de cujus indole capite ſequenti agetur: In *ſcorbuticam*, quæ ab acrimonia ſcorbutica naſcitur: cognoſcitur ex ſignis ſcorbuti: curatur antiſcorbuticis: *Syphilliticam*, quæ ab acrimonia ſyphillitica provenit, cognoſcitur ex ſignis ſyphilliticis, & curatur antiſyphilliticis; in *ſcrophuloſam*, quæ ab acrimonia ſcrophuloſa natales accipit, cognoſcitur ex ſignis ſcrophularum, & curatur antiſcrophuloſis.

IX. In *Meracam*, quæ nullum alium comitem habet morbum, & *in complicatam* diverſa ratione prout Capite XII. dicetur.

CA-

CAPUT II.

De Arthritide genuina, ejusque indole, ſede, affinitate, cauſis, & differentia a rheumatiſmo.

Arthritis genuina eſt morbus antiquiſſimus, omni tempore obſervatus a), frequentior in urbibus, ibique inter laude viventes, otioſos, gravibus curis obnoxios, aulicos, mercatores inter ſpem atque metum viventes, opipare tamen; amat plagas boreales præ auſtralibus, loca depreſſa, humida, frigida; nulli ætati parcit, frequentiſſima tamen in ætate adulta, & ſenili, ſexum utrumque plectit, virilem tamen præ fœminino, cum is magis ſit obnoxius cauſis arthriticis &c. Eſt ſæpe ſporadica, ſæpe epidemica, imo ſtationaria, obſervante namque Cl. Profeſſore *Stoll*, Præceptore meo in æternum venerando, anno 1782. menſe Septembri intravit epidemia arthritica, ad hocusque tempus nondum emortua, ſed cum febre billioſa, bilioſo-putrida, pituitoſo-putrida pari paſſu graſſatur.

Cauſa proxima arthritidis eſt acrimonia humorum peculiaris, cum viſcoſitate eorundem, b) nata ex impedita ſanguinis defæcatione, ab aſ-
ſum-

a) Aretæus Cappadox. Lib. II. Cap. 2.
Galenus de natura hominis Comment. II. ad Hippocrat.
Paul. Ægineta Lib. III. Cap. 78.
Trallian. Lib. II.

b) Ill. L. B. van Swieten Tom. IV. in aphor. Herm. Bœrhav. ad §. 1263.

ſumtis nondum perfecte aſſimilatis, propter debilitatem vaſorum c) vel ſi magis determinare velis, cum Celeb. *Stoll* Præceptore meo, nunquam ſatis venerando, cauſam proximam arthritidis dices eſſe, humorem biliformem ſeu atrabilarium in ſanguine accumulatum, cum aucta irritabilitate ſolidorum: acrimonia hæc, qualiscunque demum fuerit, circulat cum ſanguine, quoad copia vel acrimonia ſua excitet febrem depuratoriticam, ſic dictam podagricam, vel ſi mavis arthriticam, coquentem, & extricantem humorem biliformem ex maſſa humorum univerſali, & partim per ſudores, urinam, alvum e corpore eliminantem, partim ad artus depellentem, faciendo podagram, chiragram &c.

Cauſæ remotæ prædiſponentes ſunt: nativitas a parentibus arthriticis. Aetas media vel ſenilis. Sexus virilis præ fœminino. Temperamentum atrabilarium.

Cauſæ remotæ excitantes. *Quoad ingeſta:* Victus opiparus, carnoſus, pinguis animalium in ſtabulo ſaginatorum, oleoſus, dypepta quæcunque, imo etiam eupepta exercitiis corporis non proportionata, abuſus potus ſpirituoſi, & fermentati. *Quoad geſta.* Vita ſedentaria, omiſſis exercitiis antea conſuetis, curæ graves, venus prænatura, ſtudia immodice culta præprimis nocturna, & mox a paſtu reſumta, mæror, metus &c. *Quoad retenta.* Suppreſſio, vel imminutio qualiumcumque excretionum, per quas ſanguis defæcatur, præprimis vero perſpirationis ſanctorianæ. *Quoad applicata.* Habitatio in locis depreſſis, paludoſis, frigidis, aëre humido.

An-

Antequam deſcriptionem arthritidis aggrediar, juvabit aliquid dicere, de affinitate arthritidis cum febre bilioſa, reliquisque morbis bilioſis, & pituitoſis, quæ elucet ex ſequentibus: 1mo. Arthritis eodem tempore regnat, cum morbis bilioſis, pituitoſis, nempe vere & autumno. 2do. Stadium primum febris podagricæ tantam habet analogiam cum ſtadio primo febris bilioſæ, ut non facile unum ab alio diſcernas; febris nempe podagrica eſt continua remittens, ut ipſa febris bilioſa; ſymptomata febris podagricæ eadem ſunt, quæ febris bilioſæ, nempe: anorexia, pondus ventriculi, cardialgia, amaror oris, univerſim bilioſæ. 3tio. Febris bilioſa inepte curata abit in arthritidem. 4to. Febris intermittens bilioſa, præmature cortice jugulata, fatiſcit in arthritidem longam difficilem. 5to. Febris bilioſa continua vel intermittens, arthritidi ſuperveniens bene tractata eam ſanat. Ex his concludere licet febrem bilioſam & arthritidem ab eadem cauſa oriri, nempe humore biliformi, qui pro diverſitate partis ad quas decumbit, diverſos producit morbos forma tantum differentes, ita tamen, ut diverſitas partis & viarum, per quas natura criſim molitur, in methodo medendi etiam aliquid peculiaris poſcere poſſit. Patet ſimul ex dictis *a)* arthritidem contagioſam non eſſe, niſi febrem bilioſam habueris pro contagioſa. *b)* Arthritis regularis e. g. Podagra regularis præſervat a morbis bilioſis, febrilibus & non febrilibus, namque per eam materies biliformis horum morborum cauſa genitrix e ſanguine expellitur.

Se-

Sedes arthritidis regularis eſt in ligamentis articulorum ; & membranis cartilagines cingentibus; anomalæ vero, in qualibet trunci parte, præprimis tamen in membranis mucum ſecernentibus e. g. ventriculo, inteſtinis, viis uropojeticis, pulmonibus, encephalo &c.

Expoſita ſede, & affinitate arthritidis, juvabit aliquid dicere, de ejus differentiâ a rheumatiſmo, nam ſæpe errore periculoſo arthritis imponit pro rheumatiſmo, cum in ea adſit dolor, calor validus, pulſus plenus fortis, durus, ac in inflammatis, imo non raro durior, proprium enim arthritidi eſt, etiam non febrili, pulſum habere tenſum, durum, quod ſæpiſſime obſervavimus in noſtris arthriticis, viam nobis ad obſervationes rite inſtituendas pandente Cl. *Maximiliano Stoll*, Profeſſore meo nunquam ſatis venerando; in hoc itaque dubio ſunt, qui diſcrimen facturi refugiant ad ſedem morbi, dicentes, eam in arthritide eſſe ligamenta artuum, in rheumatiſmo vero vaginas muſculorum: ſed hæc diſtinctio magis theoretica (& certe inſufficiens) quam practica eſt. Unde ut arthritidem, a rheumatiſmo diſcernere poſſis, ad ſequentia attendas: an æger podagræ ſit ſubjectus? An adſit tempus, quo podagra alias redire ſolebat? An præſentem ægritudinem præceſſere aliqui prodromi, futurum paroxiſmum podagricum annunciantes? Et an illi, antequam præſens ægritudo ſibi ſedem figeret, mitigati ſunt, & appetitus vorax ſubſecutus? Si hæc ſigna adeſſe vides, præſentem ægritudinem habeto pro arthritica, & ſi fuerit in extremis, cave phlebotomiam inſtituas. Si vero dolor ſit continuus, ſine remiſſione vehemens, parteſque occupet in-

ter-

ternas, cum ſignis inflammationis genuinæ, hic phlebotomias, & reliquum apparatum antiphlogiſticum adhibebis uſque dum dolor extrema invadat.

Si autem ægritudo de qua dubitas num arthritis, vel rheumatiſmus ſit, oriatur a ſuppreſſo perſpirabili, abſentibus aliis cauſis arthriticis, & ſignis proxime enumeratis, eam habeto pro rheumatiſmo. Hanc diſtinctionem magni momenti & vere practicam habeo; namque ſi ſit rheumatiſmus, præſentibus etiam artuum doloribus, pulſu exiſtenti pleno, forti, duro, calore ſimul notabili, tuto phlebotomiam inſtitues, & cum bonis ægri rebus; ſed ſi præſens ægritudo ſit arthritica, phlebotomia male cedet, & ex regulari, arthritidem facies anomalam.

Arthritidem regularem deſcripturus, accipiam pro norma regularem & meracam, quæ ætatem adultam adfligere ſolet, talis nobis erit podagra regularis.

CAPUT III.

Deſcriptio podagræ regularis, & ejus curæ.

In podagra regulari deſcribenda, eum ſervabimus ordinem, ut 1mo. exponamus prodromos podagræ. 2do. Symptomata paroxiſmi jam præſentis.

Pro-

Prodromi podagræ: 1mo. Januario exeunte, vel februario initiante, conqueruntur cardialgiam, appetitus viget, imo adeſt voracitas, alii dicunt ac ſi ventriculus aquæ innataret, alii cruditatem bilioſam cum ſapore auſtero, ac ſi atramentum deglutiviſſent, alii glutinoſum ſpontaneum per plures dies, ſeptimanas, alii flatulentiam patiuntur, & flatus ano catoque eructant; gravitatis, & plenitudinis ſenſum toto corpore experiuntur, ſomnus minus reficiens, cruditas cum voracitate, ut per voracitatem poſſis diſtinguere cruditatem podagricorum, a cruditate febris bilioſæ, quæ cum anorexia conjuncta eſt; irritabilitas aucta deprehenditur, magna animi mobilitas, in exercitia antea conſueta major proclivitas, hinc litterati perſpicaciores, veneri dediti ſalaciores, hoc tempore obſervantur. 2do. Paucis ante paroxismum diebus femorum crurumque torpor, temporarius ſtupor, ſtatum quaſi deſcenſus per femora, ſpaſmi, crampi crurum. 3tio. Pridie ante paroxismum, ceſſantibus, vel multum imminutis omnibus ſymptomatibus, appetitus redit voracior, nec naturalis, inſolita hilaritas & agilitas ſine nota cauſa.

Obſerva. Nro. 1mo. recenſita ſymptomata indicant futuram depoſitionem materiei atrabilaris ſeu podagricæ ad aliquam partem. Nro. 2do. recenſita ſymptomata indicant partem, ad quam depoſitio futura eſt. Nro. 3tio. recenſita ſymptomata indicant prægreſſam coctionem partialem, & proxime futuram criticam evacuationem, notante Cl. Anglorum medico *Grant* in egregio tractatu Beobachtungen über die chroniſchen Krankheiten, erſter Theil, Seite 122.

Symptomata paroxiſmi podagrici præſentis, ſeu ſtadii ſecundi, dicti febrilis: 1mo. Prodromi prægreſſi. 2do. Veſpera ſanus obdormit, hora ſecunda noctis corripitur horrore, dolore ad pollicem pedis, vel calcaneum, vel ſuras &c. Febris oritur continua, quæ una cum dolore increſcit ad horam circiter ſecundam noctis inſequentis, 24 horis exactis remittit, ſubſequente criſi, per ſudorem, urinam, & depoſitione ad pedem forma eryſipelatis, quod ſæpe confunditur cum eryſipelate genuino, errore pernicioſo; hinc juvabit ſigna proponere, quibus a ſe invicem diſcerni poſſint, talia ſunt: in eryſipelate podagrico rubedo eſt dilutior, tumor minor, ſplendor major, dolor acerbior (ſæpeque tam immanis, ut vix non omnem ſuperet patientiam humanam) quam in genuino. Criſi hac ingruente æger hucuſque inſomnio, & partis dolentis continua volutatione excruciatus, in placidum labitur ſomnum, quinque circiter horarum, quo expergefactus ſe refectum, omnia ſymptomata mitigata, imo non raro ſeſe *απυρετον* ſentit, ſi dolorem excipias partis adfectæ.

Criſis per ſudores, urinam, & depoſitionem ad pedes, quæ poſt nyctemeron a primo febris acceſſu ſubſequitur, eſt tantum partialis, partem tantum materiæ podagricæ, quæ per febrem cocta eſt diſſipans, reliqua manet in ſanguine intricata, nova febris depuratoriæ exacerbatione extricanda, hinc poſt remiſſionem 24 horarum intrat exacerbatio nova, quam pariter ſubſequitur remiſſio, & criſis, ut ſupra dictum eſt: ſimili modo redit exacerbatio, omni alterno die uſque dum ſi non omnis, maxima ſaltem pars materiæ po-

podagricæ diſſipetur, tumor pedis eryſipelatoſus evaneſcit redeunte perfecta ſanitate, quæ per medium, vel integrum, imo per duos annos perſtat, donec novus materiæ podagricæ proventus naſcatur, nova febre depuratoria extricandus, & e corpore eliminandus. Febris podagricæ decurſus plerumque talis eſt, qualem proxime deſcripſi, non tamen ſemper; ſæpe enim omni die exacerbatur, aſt exacerbatione omni alterno die validiore, ut referat hæmitriteam, aliquando tertianam duplicatam, cujus decurſus eſt ſequens: incipit pariter ac præcedens, hora noctis ſecunda; mox de die remittit, hora quarta a meridie exacerbatur iterum & ſ. p. Aliquando febris podagrica, refert febrem intermittentem quartanam &c. Sed notandum, etſi febris intermittat, dolor tamen eſt continuus.

Paroxiſmus univerſalis, ex pluribus paroxiſmulis conſtat, e. g. in podagra recenti, vegetorum, & robuſtorum, cum prima ſpecie febris podagricæ, abſolvitur ſeptem paroxiſmis partialibus, ut totus paroxiſmus intra 14 dies detonet: ſi vero tempus intercalare male tranſigatur, ſubſequens paroxiſmus, 14 paroxiſmis partialibus conſtabit, tot namque requiruntur ad deſpumandum ſanguinem, tanta mole materiæ podagricæ inquinatum, & ſic aſcendit paulatim ad paroxiſmos partiales 21, i. e. quadraginta duos dies, & ſi podagricus tempore intercalari pergat luxuriari in cauſis excitantibus, intra duos annos paroxiſmus univerſalis aſcendit ad viginti octo paroxiſmos partiales, i. e. quinquaginta ſex dies. Hæ obſervationes recentiorum bene conveniunt, cum illis Sydenhami dicentis: *In*

ſenioribus, & quos ſæpius afflixit, per duos menſes; in iis vero qui annis vel diuturniori morbi mora fractiores jam ſunt, non prius valedicit, quam æſtas jam adultior eam fugarit. (np. podagram.) Podagra redit vere, & autumno; cujus rei ratio legi meretur apud Sydenhamum a).

Cura podagræ regularis alia eſt paroxiſmo imminente præſentibus prodromis; alia eſt in ipſo paroxiſmo; alia extra paroxiſmum.

Præſentibus prodromis futuri paroxiſmi podagrici indicatio eſt conamina naturæ in febre deſpumatoria producenda adjuvare, ut per eam materies podagrica concoquatur, & eliminetur, quod fit:

1mo. Omne in ſex rebus non naturalibus vitium vitando, præcipue in diæta, ſomno, exercitio corporis; vitanda omnia pinguia, butiracea, omnia dyſpepta, victus ſit eupeptus, & antibilioſus, omnia corporis colatoria ſerventur aperta; hinc ſi adſint certa ſigna ſaburræ ſurſum turgentis, lene emeticum dari poteſt, alvus aperta ſervanda per eccoprotica mitiora, quale nobis eſt electuarium lenitivum ſulphuratum, de veſpera ſumendum, vel aliquot grana rhei dietim ante prandium propinanda, veſtitus ſit denſior, & calidior ac ſecus.

2do. Si ſint debiles, præter dicta obſervent ſequentia: A prandio paulo plus vini bibant,

a) De natura morborum chronicorum. p. 456.

bant ac ſecus, nec non omni eorum alimento liquido pauxillum vini adjicere prodeſt; loco vero medicamenti aliquid ex lenioribus cardiacis, amaris propinare, inter quæ optimum nobis videtur, vinum martiale; alimenta eorum juvat condire pipere, allio &c.

3tio. Quam primum prodromi remittant, & appetitus redit voracior, expecto brevi ſuperventuram podagram; hinc omnibus ſepoſitis medicamentis, naturæ hoc conamen adjuvare conabor, extrema blando tempore fovendo & veſpera loco cœnæ, ſerum lactis vinoſum cum cremore hordei vinoſo propinando.

Curam podagræ in paroxiſmo propoſituri, dividemus eum in duo ſtadia, nempe ſtadium primum ſeu cruditatis; & ſtadium ſecundum ſeu coctionis, criſeosve.

Cura in ſtadio primo, ſeu cruditatis, ubi febris exorta deſpumatoria occupata eſt in coquendo, extricando & dein eliminando humore atrabiliarii ſeu podagrico, abſolvitur quiete, diæta tenuiore antibilioſa, remediis ſolventibus, aperientibus, mitioribus v. g. roob ſambuci cum nitro. Colatoria omnia ſerventur aperta, caveantur ægritudines aliæ quæcunque ſupervenientes, vitentur phlebotomiæ intempeſtivæ, cave ne æſtu, quem æger conqueritur pulſusque duritie ſeducaris ad phlebotomiam celebrandam in homine podagræ obnoxio, prægreſſis prodromis futuri paroxiſmi podagrici; vitentur purgantia valida; aſt mannatis, tamarindinatis primas vias detergere non nocet.

Cura in ſtadio ſecundo; ubi remittente febre incipit criſis partialis, ut ſuperius deſcripſimus nempe. *a)* levi madore totius cutis quinque circiter horas durante. *b)* Urinis bilioſis mox jumentoſis, brevi hypoſtaticis, hypoſtaſi ſubalbida lateritia, ac in morbis hepaticis. *c)* Metaſtaſi ad pedem ſub ſpecie eryſipelatis. *d)* Metaſtaſi in cavum ventriculi, tubique inteſtinalis; nam ſub finem cujuslibet exacerbationis os amareſcit & pituita redundat. Indicatio in hocce ſtadio eſt:

I. Criſim moderari, quod fit: 1mo. Si ea ſit parca, adjuvare mitiſſimis, nec eam extorquere reluctante natura. 2do. Si ſit moderata, naturæ committere, dando ſolum vehiculum conveniens. 3tio. Si ſit nimia eam compeſcere.

II. Symptomatibus urgentibus proſpicere.

Nunc ſtatim diximus primam indicationem eſſe moderamen criſeos; hinc oportet deſcribere modum, quo id fieri debeat, unde obſervandum eſt:

(a. b.) Criſes hæ parcæ, vel & moderatæ (nam hæ etiam adjuvari poſſunt mitiſſimis) adjuvantur,

1mo. Si æger bene tectus ſe in lecto contineat, quoad uſque febris penitus ceſſet.

2do. Pedes balneis tepidis foveat ad facilitandam depoſitionem & mitigandum dolorem; de nocte vero, vel etiam de die, ſi balneo ut non

non poſſit vel nolit, pedes lana tecti tela cerata obducantur.

3tio. Omni mane, niſi ſponte alvus moveatur, propinetur electuarium lenitivum ſulphuratum, vel tamarindinata cum cremore tartari, ut materies podagricâ ad primas vias depoſita eliminetur antequam reſorberi poſſet: alii hoc per enemata intendunt; ſed iis eccoprotica præſerri merentur. Obſervatum tamen eſt tamarindinata ea doſi eſſe danda, ut intra nyctemeron bis, ad ſummum ter alvus moveatur.

4to. Roob ſambuci cum melle paratum, adjecto nitro; ſic enim & urina & diaphoreſis leniter promovetur.

Diæta ſit excarnis, aceſcens, antibilioſa, liquida, febri commenſurata, paulo ergo copioſior quam in primo ſtadio; alimentum adſumant aliquot horis ante ingreſſum exacerbationis, ut ad ejusdem ingreſſum uſque digeſtio abſolvatur; potus ſit vino debilior, aqua tamen fortior, qualis nobis eſt e. g. ſerum lactis vinoſum.

c) Si criſes, vel potius dixerim evacuationes fuerint nimiæ, eæ erunt compeſcendæ. e. g. Si ſudor, qui naturaliter per quinque plerumque horas durare ſolet, nunc per totam remiſſionem continuet immodicus, cum ſiti, dedolatione, inquietudine &c. is erit ſymptomaticus, unde cohibendus; quod fit enemate alvum eluendo, omnia calida alimenta ſubtrahendo, truncum levius tegendo, induſia mutando, corpus panno ſicco abſtergendo, ægrum in lecto ſedere juben-

do, ſi hæc non juvent e lecto eximendo & aëre libero exponendo, artubus tamen optime veſtitis.

Diximus alteram indicationem in cura ſecundi ſtadii eſſe, ſymptomatibus urgentioribus proſpicere. Symptoma urgens hic eſt dolor ſæpe vix non omnem patientiam humanam ſuperans: cui proſpicitur pedes fovendo balneo tepido, vel lana cum tela cerata: vitanda ſolicite adſtringentia, actu frigida, oleoſa &c.

Hac procedendo methodo exacerbatio paulatim minuitur, & remiſſio vel augetur, tandemque febris abeſt omnis, ſubſequitur intermiſſio: quam primum hoc fit, ægrum oportet ſurgere, & pedibus uti, licet dolor omni paſſu immaniter augeatur; ſic enim materies podagrica in articulis inſpiſſata imo concretiones duræ reſolvuntur, redit artuum mobilitas, noctesque quas, dum eſſet clynicus præ dolore inſomnes agebat, nunc exercitio diurno defatigàtus placido ſomno tranſigit, dolores miteſcent, demumque penitus evaneſcent perfecta redeunte ſanitate. Et tunc eſt ille ſtatus podagrici, quo ſanguis a materia podagrica maxime purus habetur; tunc tentanda cura radicalis; in qua indicatio eſt 1mo. Materiam podagricam adhuc in ſanguine forte ſuperſtitem diſſipare, evacuare. 2do. Novam ejus regenerationem impedire.

Primæ indicationi ſatisfacere vix eſt in noſtra poteſtate, cum hoc ſit ſolius naturæ opus, tentari tamen poteſt; omnia calatoria maxime vero cutanea aperta ſervanda, ſub uſu potus ſanguinem purificantis nec tamen ſolida debilitatis

e,

e. g. ſeri lactis, vel decocti ſarſæ, chinæ nodoſæ, Saſſafras, auctore Sydenhamo a); ſub uſu medicamentorum leniter aromaticorum & aperientium.

Alteri indicationi ſatisfaciemus vaſibus debitum robur reſtituendo, ut digeſtio, ſanguinis elaboratio, omnes ſecretiones & excretiones debito modo peragantur; quod fit 1mo. Regimine antipodagrico obſervato, 2do. Medicamentis tonicis.

Regiminis antipodagrici nomine nobis venit ſex rerum non naturalium uſus antipodagricus, quem ſequentibus regulis includere conamur.

I. Victus antea lautus, & varietate ferculorum luxurians, fiat ſimplex & paucis ferculis conſtans, non tamen tenuis, ſed bene nutriens, roborans, viribus ventriculi & exercitiis corporis commenſuratus, nec exceſſu, nec defectu peccans, non pinguis, glutinoſus, farinoſus, an nec acris, aromateve conditus? (prout vult Sydenham) b), qui licet coctionem non lædit, nocet tamen quatenus morbi fomitem exagitat, & gulæ irritamento eſt, hactenus Sydenham. Nos tamen putamus victum, leniter aromate conditum, nec ulla alia qualitate peccantem, podagricis nocere non poſſe, cum leve aroma digeſtionem promoveat. Carnibus tantum in prandio, iisque non

 ping-

a) De Podagra p. 164.
b) De Podagra p. 160.

pinguibus, ex animalibus in libero aëre ſeſe exercentibus deſumptis, nec fumo induratis veſcantur, vitent ingluviem, & ſi lautum ſumſerint prandium, (quod vitare debuiſſent) per 24 horas nihil adſumant alimenti, corpusque exerceant, & ut uno verbo abſolvam, vitent in victu quidquid ventriculum debilitat, loco cœnæ cereviſia tenui ſint contenti.

II. Potus vino aſſuetis non ſit mere aquoſus, ſed vinum ωληγοφορως (aqua dilutum, aqua namque mera debilitat vires coctrices, vinum meracum mora idem facit, ſimulque ſtimulo nocet) vel cereviſia tenuis; extra prandium & cœnam, aqua frigida, potus caffe, chocolade cum vel ſine cremore, non nocent.

III. Exercitium corporis ſit moderatum, nimium enim ſpiritus exhaurit, & coctionem lædit; deficiens vel parcus corpus debilitat, laxat, &c. Exercitium corporis quotidie fiat mane & veſpera in aëre libero, non ad defatigationem, ſed ad refectionem & incipientem uſque ſudorem: inter exercitia corporis maxime laudatur piſcatura in fluviis, dein deambulatio; tum equitatio; (huic tamen illa præfertur) denique vectio & frictio: quæ duo poſtrema, ubi prædictis propter debilitatem æger non poteſt uti, ſolum adhibenda.

IV. Somnus non nimis productus, in lectis non plumaceis, ſed duriuſculis, ex pilis equinis confectis, de veſpera mature initus; nihil enim magis nocet podagricis, poſt phlebotomiam & catharſes, quam vigiliæ in ſeram noctem protrac-

tractæ: hinc veſpera mature lectum petant, & alto mane ſurgant.

V. Animus ſit liber a curis, ſtudiis nocturnis, gravibus, ingratis, profundam meditationem exigentibus (oblectantia ſtudia, etſi graviora, ſunt minus noxia) poſt paſtum illico reſumptis (hæc enim debilitant vires ventriculi) ab omnibus animi affectibus corpus debilitantibus, quales ſunt e. g. mœror, metus, &c. Oblectent animum ſpectaculis amœnis, ſtudiis, in quibus longa meditatione, ſeſſione opus non eſt, v. g. pictura, hiſtoria naturali, contemplatione antiquitatum &c.

VI. Itinera per plagas calidas, np. Italiam, Galliam, obſervando potius, quam ſtudendo. Itinerationes juvant: 1mo. Aëre mutato. 2do. Corporis exercitio. 3tio. Grata objectorum varietate animum exhilarando.

VII. Vitanda ſolicite venus nimia, phlebotomiæ, catharſes conſuetudinariæ &c. non indicatæ.

VIII. Omnia colatoria ſerventur aperta, in alvi obſtructione de veſpera ſulphur adſumere commendat *Grant* a). Perſpiratio (quæ impedita, vel ſuppreſſa omnium frequentiſſima cauſa arthrititis eſſe ſolet) ſervetur libera corpus muniendo idoneis veſtimentis contra viciſſitudines aë-

a) Beobachtungen über die chroniſchen Krankheiten, 1ſter Theil, S. 114.

aëris, corpus debite exercendo in aëre libero, ejus ſuperficiem mundando balneis frigidis.

IX. Veſtitus ſit denſior quam temporis annui ratio id exigeret; ſero vel plane non deponantur veſtes hiemales, & mature exuantur æſtivæ.

X. Habitatio ſit in cubili amplo, elato, aëri puro pervio, de hieme moderate calido, æſtatem ruri in alpibus, vel ſaltem locis editioribus tranſigant, ſub copioſo potu ſeri lactis amaricantibus ſtomachicis juncti.

XI. Ruſticatio, & uſus aquæ frigidæ plus prodeſt, quam omnia alia remedia: in uſum vero trahitur aqua frigida forma lotionis, ſubmerſionis momentaneæ, ſeu balnei præcipitatorii (Germanis vulgo Stúrzbad dicti) natationis, embrochationis. Initium fit a lotitionibus modo ſequenti: mane ubi ſurrexit, deterſo ſudore poſt quadrantem horæ, vel ſemihorium totum corpus perfricet manu, vel ſpongia aqua frigida imbuta. Circa lotionem obſervari merentur ſequentia: 1mo. Quod ipſe ſemet fricet, nec per alium fricari curet: nam hic ſimul requiritur corporis exercitium conjunctum. 2do. Frictio fiat mane jejuno vel ſaltem non repleto ventriculo. 3tio. Ne fiat ſudante vel calente corpore a motu prægreſſo. 4to. Poſt lotionem bene veſtiti, corpus exerceant deambulando. 5to. Lotio præfertur balneo frigido; nam vel hieme gelidiſſima, prout & in itinere, ubi non datur occaſio utendi balneo, ſemper adhiberi poteſt.

In Balneorum frogidorum uſu, obſervanda ſunt ſequentia: 1mo. Quum corpore ſudante, vel nimis calente balneum intrare frigidum ſit periculoſum, hinc vehantur ad balneum, ſed a balneo pedes revertantur: nam balneatis exercitium corporis maxime ſalutare eſt. 2do. Se ſimul & ſemel in aqua non immergent, niſi de momento exilire velint, ſed lotionem totius corporis præmittant. 3tio. In balneo non ſedeat ſed ſeſe moveant, ut gratum caloris ſenſum experiantur. 4to. Commoratio ægri in balneo determinetur a ſenſu ægri grato.

Balneum præcipitatorium in cura arthritidis palmam reliquis præripit; per contremiſcentiam enim frigore toti corpori inductam, & niſum magnum ex aquis emergendi, ſtagnantes humores agitantur, attenuantur, in motum aguntur, & poſt egreſſum e balneo, vaſis antea frigore ſpasmodice conſtrictis relaxatis, per longam diaphoreſim e corpore expelluntur, corpusque ſimul roboratur, ut novæ materiæ podagricæ generandæ reſiſtat. Balneum tepidum febrem excitando humores ſtagnantes pariter attenuat, & ſudore eliminant, ſed corpus debilitando, augent cauſam, novam materiam podagricam regenerantem.

Remedia tonica antipodagrica deſumuntur 1mo. ex radicibus herbisque amaris, ſimulque leniter ſtimulantibus. 2do. cortice peruviano, quem omnibus aliis tonicis præfert *Sydenham.* a) 3tio. uſu aquæ frigidæ, qui ut nunc ſtatim di-

a) De Podagra p. 451.

diximus, omnibus reliquis antipodagricis palmam præripit.

Curà radicalis hucusque a nobis deſcripta, cum conſtantia continuari debet, ad comparentiam uſque prodromorum futuri paroxiſmi podagrici; quod ſi feceris podagram acquiſitam necdum inveteratam feliciter curabis; inveteratam vero reddes tolerabiliorem, apyrexiam prolongabis, paroxiſmum breviorem, minoribusque incommodis ſtipatum facies; ſufficientem tamen ad ſcopum naturæ obtinendum.

CAPUT IV.

De methodo medendi inepta & noxia in podagra.

Juvabit hic aliquid diſſerere de methodo medendi, qua materies podagrica invita natura magno ægri malo, non infrequenter lethali, eliminari tentatur. Tales ſunt:

1mo. Venæ ſectiones, quæ in podagra meraca, cum inflammatione genuina non complicata, ſemper nocent in apyrexia vires deterendo paroxiſmum invitant, præſentibus prodromis depoſitionem ad artus impediunt; unde fit decubitus ad interiora; facta jam depoſitione augendo reſorptionem producunt podagram retropreſſam, paulo poſt paroxiſmum celebratæ eundem reſuſcitant.

2do.

2do. Alii conantur per catarctica eliminare materiam podagricam; ſed purgantia fortiora ſemper nocent, tam in apyrexia, quam in paroxiſmo; mitiora vero poſſunt dari tam in paroxiſmo, ut ſupra oſtendimus, quam extra paroxiſmum, præſente indicatione. Si extra paroxiſmum dederis ſcopo, ut ajunt, prophylactico, idque ſæpius repetieris, vires ventriculi & inteſtinorum frangendo paroxiſmum accelerabis, vel podagram regularem convertes in anomalam. Si in paroxiſmo exhibueris purgans fortius, depoſitionem ad pedes impediendo, vel jam factam in ſanguinem revocando podagram facies ex regulari pariter anomalam. Si poſt paroxiſmum dederis, metus eſt, ut paroxiſmum reſuſcites.

3tio. Alii ſudoriferis utuntur ad expellendam materiam ex ſanguine podagricam, quæ ſemper nocent, tam in, quam extra paroxiſmum: hic; quia materia adhuc eſt cruda, quam pellendo ad artus ante tempus paroxiſmum reſuſcitant; ibi vero, quia ultra coctionis gradum ſudores movent, violenter ſimul pellendo materiam podagricam in artus, immanes excitant dolores. Aſt licet ſudorifera ſemper ſint noxia, diaphoretica tamen in ſtadio ſecundo paroxiſmi podagrici merito laudat *Cheyne* a).

4to. Alii per diætam lacteam aggrediuntur curam podagræ: aſt male; nam propter partem butyraceam & caſeoſam ventriculum debilitat; unde cauſam podagræ tantum abeſt, ut oppugnet, ut po-

a) Treatiſe on the Gout p. 22.

potius eandem augeant. 2do. An & quia lac alimentum corporis exercitium expoſcens eſſe creditur? a) Podagricorum vero viſcera ſunt debilitata. Ex his patet diætam lacteam podagricis minime convenire, nec niſi eatenus prodeſſe, quatenus diætæ lautiori tanquam tenuior ſubſtituitur. Aſt ut ut lac ipſum podagricis non conveniat, ſerum tamen lactis, maxime vero lac ebutyratum ſtomachicis junctum, iisdem ab omni ævo maxime proficuum eſſe obſervatum eſt.

CAPUT V.

De methodo conſervandi proles arthriticorum ab arthritide.

Experientia conſtat proles arthriticorum fieri arthriticas, arthritidem vero hæreditariam jam formatam, curam radicalem agnoſcere nullam; hinc neceſſe eſt, ut vitium hoc latens, antequam in actum erumpat exſtinguatur, ſicque podagra, ut ajunt, in herba ſuffocetur. Unde ſpero me non inutilem navaturum operam, ſi modum & viam expediam, qua id fieri poſſit. Hoc ſequentibus præſtare conabor.

1mo. Mater tempore graviditatis vitet omnia ea, quæ fætum debilitare poſſent; quod fit fugiendo errorem omnem in ſex rebus non naturali-

a) Grant Beobachtungen über die chroniſche Krankheiten, 1ter Theil S. 167.

libus. 2do. Infantem natum, ſi mater ſit ſana, robuſta, arthritidi minime obnoxia, ipſa lactare poteſt; ſi vero mater fuerit tenera, debilis, hyſterica, arthritidi obnoxia, cæteroquin tamen ſana, & ſatis habens lactis, lactet infantem per tres ſeptimanas, ſic ſemet, ipſumque infantem a multis vindicabit morbis; tribus exactis ſeptimanis optime tradatur nutrici, per octo vel novem menſes, ſolo nutricis lacte nutriatur, omnibus aliis rejectis alimentis, dein per menſem quotidie uncias circiter tres, quatuor panatellæ ſimilagineæ; ſequenti menſe duplum, tertio triplum, imo plus etiam propinari poſſunt; circa finem 15 menſis, additur vaſculum juſculi, ſic fiat ſenſim ſine ſenſu ablactatio.

3tio. Victus ſit ſimplex, eupeptus, copioſus, non tamen nimius, alvus libera ſervanda. In infantibus ab arthriticis parentibus natis, per magneſiam muriæ additis floribus ſulphuris, (quum hi acido, borborigmis, & mala digeſtione laborent), ſi achoribus laborent, illi per duos, tres annos fluere permittantur.

4to. Plurimum faciunt ad corpus infantile roborandum, mundities, frictiones frequentes ſiccæ, vel cum aqua frigida, agitatio ſupra brachium; balnea frigida, quibus ſenſim ſine ſenſu aſuefaciendi; aër purus renovatus cubiculi; frequens exportatio in auram liberam, ſeu frigidam, ſeu moderate calidam; in tenellis veſtitus denſior, in adultioribus veſtitus tenuior, nudipedium, mitra tenuis &c. Caveatur ne gradi incipientes lapſu præprimis caput lædant, quod fit geſtando cucu-

lum more Anglorum contra lapſum parari ſolitum.

5to. Infans a lactatione, quidquid illi exhibetur, adſumit; ſed illius diæta debet opponi morbo, quo infans laborat, vel laboraturus eſt. Quamquam difficile ſit univerſales dare regulas, quas omnibus infantibus applicare poſſis; ſequentes tamen in uſum vulgarem commendare auſim: *a)* Diæta pinguis & butyracea infantibus nocet: *b)* Farinoſa & omnia non fermentata infantibus male cedunt, maxime ſcrophuloſis. *c)* Lac nimis ſpiſſum propter partes caſeoſas glandulas obſtruit. *d)* Nocent condimenta & varietas ciborum; per hoc enim allicitur infans ad ſe ingurgitandum. *e)* Non niſi eſurientes comedant. *f)* Infans ab exercitio corporis nunquam prohibeatur: in eo enim nunquam excedunt; nam quamprimum defatigantur, ſponte dormiunt. *g)* Panis biſcoctus, vel panis albus bene fermentatus, cum juſculo carnis macilentæ, & cum pauxillo carnis ſale conditæ convenit. *h)* Nihil magis confert infanti ac panis albus, fructus horrei, ſerum lactis, v. lac ebutriatum, cui interdum aliquid lactis recentis additur.

Obſervatio. Hactenus dicta, quibuslibet infantibus educandis accommodata ſunt; parentes vero arthritici præter hæc ſuas proles in locis editioribus educari curent. Uſus carnis de die ſemel, & hoc de ſeptimana bis tantum concedatur; vitetur uſus ſpirituoſorum; ad quartum uſque annum tibialia, & calceos non geſtent, qui conſtrictione nocent; maſculi ad duodecimum annum uſque caligis non veſtiantur; balnea frigida frequenter in

uſum

uſum revocentur; corpus exerceant, ſic tota compages roborabitur, ut viciſſitudines aëris, cæteræque morborum cauſæ his non multum noceant, ipſaque podagra in ſemine ſuffocabitur.

CAPUT VI.

De podagra anomala, ejusque cauſis.

Expoſita podagra regulari ſequitur, ut de anomala agamus, quam ut clarius exponere poſſimus, ſequentem ſequi placebit ordinem. Ut agamus 1mo. De cauſis, quæ podagram regularem in anomalam convertere poſſunt. 2do. De claſſibus podagræ anomalæ. 3tio. Denique de variis ejusdem larvis.

Cauſæ podagram regularem in anomalam convertentes ſunt: 1mo. Tempus intercalare male tranſactum. 2do. Male medicatio in ipſo paroxiſmo. 3tio. Defectus virium. 4to. Complicatio podagræ cum aliis morbis. 5to. Tophi, rigiditas artuum, cum debilitate viſceris alicujus, ligatura artuum, tibialia nimis ſtricta &c.

Tempus intercalare male tranſigitur, ſi podagricus cauſas excitantes non vitet, ſed in iis, quaſi luxurietur: ſi enim vires deterguntur, & tantus fit proventus materiæ podagricæ, ut eidem coquendo, extricando, ad ſuperficiem cutis, vel artus propellendo, vires ægri ſint impares; unde fit depoſitio ad interiora.

Inepta medicatio in paroxiſmo fit, ſi ad dolores artuum mitigandos phlebotomia celebretur, vel detur purgans validum, aut emeticum, vel externe adplicentur adſtringentia, v. actu frigida ad eryſipelas podagricum.

Defectus virium producitur, vel per ætatem, vel per podagram inveteratam, vel mala medicatione, nempe phlebotomiis, purgantibus intempeſtivis, vitæ lautæ ſpirituoſæ ſubitanea mutatione in tenuem, lacteam, vegetabilem, aqueam, vel per alium quemcunque abuſum ſex rerum non naturalium, exhaurientem.

Complicatio cum aliis morbis. Prout variolas regulares & benignas, quiſcunque morbus complicatus facit abnormes, ita etiam podagram (quæ vel ob levem etiam errorem anomala ſit) quælibet ægritudo complicata, a recto tramite abducit, anomalamque reddit.

CAPUT VII.

De diviſione podagræ anomalæ, & in ſpecie de podagra imperfecta, ejusque cura.

Podagra irregularis dividitur in ſex claſſes. 1mo. In podagram imperfectam. 2do. Vagam. 3tio. A nimia copia materiæ podagricæ natam. 4to. In internam. 5to. In inertem. 6to. In complicatam.

Ar-

Arthritis imperfecta, ſeu incipiens, conſiſtit in ſola diatheſi arthritica, quæ nobis denotat prodromos paroxiſmi podagrici, indicantes materiæ podagricæ inſignem copiam in ſanguine jam præſentem. Hos prodromos hic deſcribere juvat, ut arthritidem imperfectam, cum aliis ægritudinibus errore vere practico ne confundas. Sunt vero ſequentes: bradipepſia, diſorexia, anorexia, dolores colici leves & tranſitorii, diſuria, & hæc omnia ſine manifeſta cauſa, alvus nunc conſtipata, nunc diarrhæica, urinæ nunc copioſæ limpidæ, hyſtericarum adinſtar, nunc parcæ bilioſæ cum ſedimento nunc albido-mucoſo, nunc lateritio; hypochondriaſis, quærelæ continuæ, & quaſi quoddam delirium circa ſanitatem, mœror, dedolatio, adverſatio laborum corporis & animi, de die ſomnolentia, noctes tamen inſomnes, ſomnus non reficiens, ut a ſomno magis langueant, habitus corporis externus ſanus, imo pinguior apparet; (ad hoc ultimum maxime attendat medicus oportet: nam ſimilia ſymptomata ab aliis etiam cauſis oriuntur ab arthritide diverſis, ſed ſemper cum evidenti corporis macie conjuncta deprehenduntur) adnata flaveſcit.

Cura, ſi nulla deprehendas naturæ molimina evacuandi, vel deponendi materiam podagricam ad loca conſueta, præmiſſa emeſi catharſive, vel utraque, ſi indicatio adfuerit, dantur ſolventia, aperientia, initium faciendo a mitioribus; exercitium corporis, maxime itinerationes proſunt, vitæ genus, ſi podagræ favens fuerit, mutandum. Hic commendantur uſus thermarum, maxime diſſitarum; hic omnia fere antiarthritica proſunt, quorum præcipua nobis ſunt: ſambucina, antiſcorbuti-

tica acria, cum amaris, radice nempe ari a), vel cum purgantibus np. radice jalappæ, vel rheo, vel cum ſalibus, b) Antimoniata, flores arnicæ, ſal volatilis oleoſus ſylvii, flores benſoe per ſe, vel cum ſpiritu ſalis ammoniaci, ſal ſuccini, liquor cornu cervi ſuccinatus, caſtoreum, camphora, ſpiritus mindereri, gummi reſina guajaci, extractum aconiti; reliquis omnibus fruſtra tentatis magna pollicetur radix gratiolæ, extractum cicutæ, veſicantia; c) obſervatu dignum eſt. quod podagra imperfecta, ſub uſu horum antiarthriticorum raro convertatur in podagram regularem, ſed ſi curetur ſenſim ſine ſenſu evaneſcat materia arthritica, ſi per alvum, urinam, maxime vero per diaphoreſim exantlata, tuncque commendamus ægro regimen antipodagricum. Si vero in podagra imperfecta ſuperveniant quædam conamina naturæ materiam attrabilarem ad artus deponendi, hic in cura ita procedendum eſt, ut in prodromis podagræ regularis diximus.

CA-

a) Grant Beobachtungen über die chroniſche Krankheiten, S. 111.
b) Ill. Præſidis L. B. Antonii de Störk, præcepta medica &c. p. 244.
c) Ill. L. B. Antonii de Störk præcepta medica, p. 245.

CAPUT VIII.

De podagra vaga, & ejus cura.

Arthritis vaga erratice fertur per partes trunci externas, vertebras, coſtas, claviculas, ſcapulam, articulationem maxillæ &c. Modo hanc modo illam occupat partem, hanc deſerit & aliam aggreditur. Hæc ſpecies eſt frequentiſſima & reliquis ſpeciebus curatu facilior, ſed ſæpe etiam periculoſior; ſi nempe recurrat ad vitalia, producit non raro mortem repentinam, quem caſum bis vidi in Noſocomio SS. Trinitatis in binis puellis.

Cura. Innitendum eſt, ut ab internis ad externa derivetur materies podagrica, quod fit, ſi partes, quæ omnium aptiſſimæ ſunt recipiendo & evacuando materiam podagricam, laxentur cataplaſmatibus, fomentis, balneis emollientibus, vel irritentur epiſpaſticis, veſicantibus, dando ſimul medicamenta reſolventia, alterantia, & diaphoretica, inter quæ gummi-reſinam guajaci, extractum florum ernicæ-aconiti, ſulphur auratum antimonii 3tiæ præcipitationis, optima eſſe, non ſemel obſervavimus in Noſocomio SS. Trinitatis & Paſmanniano.

CAPUT IX.

De podagra anomala a. nimia quantitate materiæ podagricæ, ejusque cura.

Nimia copia materiæ podagricæ coacervatur tempore intercalari a luxurie in cauſis excitantibus, unde cum loca conſueta omnem in ſe recipere materiam podagricam non poſſint, ſimul debet ad alia loca deponi, ut non tantum pedes, ſed genua, manus, cubitus &c. ſimul patiantur, ſicque ex regulari fiat podagra anomala.

In hac ſpecie podagræ anomalæ (partes internæ non patiuntur, & igitur tantum refertur ad anomalas, quod non tantum pedes, ſed vix non omnes articulationes occupet extremitatum) eadem requiritur cura, quæ in podagra regulari.

CAPUT X.

De podagra interna, ejus ſpeciebus atque cura.

Prima ſpecies podagræ internæ eſt podagra retropreſſa, quæ eſt omnium ſpecierum periculoſiſſima, ſæpeque cito lethalis, niſi potens artis auxilium mature opituletur: nam facta depoſitione ad ſenſilia nimis organa, oritur dolor immanis, ut functiones vitales ſupprimantur, & mors repen-

a) Grant Beobachtungen über die chroniſche Krankheiten, 1ſter Theil. S. 230.

pentina ſubſequatur a). Podagra retropreſſa deponitur ad partem præter cæteris debilitatam, vel continue irritatam, vel ægrotantem. Non quævis pars æque facilem patitur recurſum materiæ podagricæ, ſed primario ventriculus, dein inteſtina, tum pulmones, deinde ſyſtema uropoëticum; denique encephalon, ſed raro etſi non infrequenter materia podagrica decumbente ad ventriculum vel inteſtina, adſint ſimul ſymptomata adfecti encephali, illa tamen videntur plerumque eſſe ſympathica; nam avulſa materia podagrica ab inteſtinis, encephalon illico liberatur.

Cauſæ podagræ retrogreſſæ ſunt:

1mo. Applicata adſtringentia, vel actu frigida ad eryſipelas podagricum, pro mitigandis doloribus.

2do. Quidquid infringit vires ventriculi & inteſtinorum, nec non reſorptionem materiæ podagricæ ad artus decumbentis promovet: qualia ſunt purgantia fortiora, emetica, phlebotomiæ in paroxiſmo podagrico intempeſtive celebratæ. Huc referri meretur diæta nimis tenuis, nec non ingurgitatio & hinc contracta cruditas tempore paroxiſmi, quæ ventriculum debilitat, materiam podagricam auget.

Materies podagrica retropreſſa ſæpe producit mortem ſubitaneam, aliquando febrem validiſſimam & periculoſiſſimam, ſæpe depoſitionem ad varias partes diverſo eventu, pro diverſitate partium, ad quas fit decubitus.

Quæ cauſæ mortis ſubitaneæ a retropreſſa podagra? Febris depuratoria materiæ podagricæ adhuc crudæ, vel tantum ſemicoctæ partem aliquam deponit ad pedes, ut ſit extra circulationem, quo ipſo reſiduam in ſanguine materiam atrabilarem eo melius coquere, & e corpore eliminare poſſit, ſimulque ipſa depoſita materia coquatur, & ſubtiliſſima ejus pars per perſpirabile diſſipetur; ſi ergo repente podagra retropellatur vires vitæ a nimia copia materiæ morbificæ ſuperatæ ſuccumbere debent, ſubſequente morte inopinata.

In retropreſſione podagræ vix non ſemper prævideri poteſt, ad quod viſcus fiat depoſitio; in illo enim ſpaſmi leves, crampi, caloris moleſti ſenſus, dolores tenſivi, decubitum podagricum præcedunt, ubi ſi podagram in extremis figere, & partes internas roborare poſſis, retropreſſionem evitabis.

Secunda ſpecies podagræ internæ eſt illa, ubi prægreſſis prodromis futuri paroxiſmi podagrici non ſit depoſitio ad artus, ſed ad partes internas. Hujus cauſæ ſunt: 1mo. Defectus virium. 2do. Artus materia tophacea repleti, ut excludant materiam podagricam. 3tio. Pars quædam trunci ægrotans. 4to. Pars aliqua trunci debilitata & irritata. 5to. Complicatio podagræ cum morbis aliis.

Tertia ſpecies podagræ internæ eſt, ubi materies podagrica pro parte ad artus, pro parte vero ad partes internas decumbit. Hujus cauſæ ſunt: 1mo. Vix non eædem, quæ præcedentis

ſpe-

ſpeciei. 2do. Magnus proventus materiæ podagricæ in ſanguine &c.

Cura in prima ſpecie variat pro diverſitate viſceris, ad quas depoſitio facta eſt, de qua in cura podagræ larvatæ fuſius dicetur.

De cura in ſecunda ſpecie idem obſervandum, quod de prima ſpecie diximus.

Cura in tertia ſpecie, ſi e. g. materies podagrica artus & una ventriculum occuparet; (quod omnium frequentiſſimum) hic artus fovendi balneis, cataplaſmatibus, fomentis emollientibus tepidis: interne propinandum podagragogum, ex quibus Philonium Diſpenſ. Londin. cum vino Canarienſi, vel Tocaino optimum eſt a): horum uſus continuatur uſque dum podagra conſueto more decurrat.

CAPUT XI.

De podagra inerti, ejus cauſis atque cura.

Podagra iners dicitur illa, ubi ætate vel alia quacunque ratione vires vitæ enervatæ ſunt, ut præſente licet magna copia materiæ podagricæ, febrem depuratoriam, vel plane non poſ-

a) Grant Beobachtungen über die chroniſchen Krankheiten, S. 239.

poſſint, vel tantum imperfectam producere, qua plenaria deſpumatio ſanguinis non fit, ut etiam tempore intercalari aſſidua tententur febricula, dolore artuum levi, & ut Sydenhami verbis utar: *Artus habent fere undiquaque contractos atque impeditos, ita ut quamlibet ſtare poſſint, forte etiam aliquantiſper procedere, greſſu tamen ita claudicante & permoleſto prorepunt, ut etiam cum ambulent, quieſcere videantur, & ſi ultra vires ambulare perſtiterint, quo pedibus rectius valeant, quanto magis ipſos ambulando confirmant, & dolori excipiendo minus obnoxios reddunt, tanto, morbi fomes nunquam per hoc omne intervallum perfecte diſſipatus, viſceribus periculoſius imminet, cum in pedes ita libere nequeat effundi, qui hoc morbi tempore vix nunquam ſunt doloris expertes, ſed ſenſatione aliqua plus minus moleſta ſemper tentantur, dolor hæmorrhoidalis, diſorexia, diſpepſia, flatulentia & ſ. p.*

Cura in hac ſpecie eſt tantum palliativa, quæ conſiſtit:

1mo. In diæta cardiaca, vinoſa, nec exceſſu, nec defectu peccanti.

2do. Exercitio corporis, primo frictione, vectione; dein viribus magis auctis equitatione; tandem obambulatione: ſi vero tanta ſit debilitas, ut motum ad ſui corporis ſanitatem conſervandam facere nequeant, utantur frictione, ope ſetæ huic uſui adaptatæ (vulgo Fleiſchbürſte) more Anglorum; & aliquanto plus vini, quam ſecus ſoliti erant, bibant. Ventriculum præmuniant a depo-

ſitione

ſitione materiæ podagricæ, uſu pulveris Ducis Portlandiæ, vel melius infuſi corticis peruviani vinoſi, addito pauxillo rhei. Si alvo laborant obſtructa, ſumant ſulphur; ſi vero depoſitio ad ventriculum jam facta ſit, hic Philonium Diſp. Londin. & vinum Canarienſe indicatur.

CAPUT XII.

De podagra complicata, ejusque cura generali.

Complicatur podagra cum variis morbis febrilibus & non febrilibus. De complicationibus frequentioribus, aliquid dicendi ſcopus eſt: complicatur itaque

1mo. Cum febre inflammatoria, quam bene dignoſcere debes; nam ſi adſit febris inflammatoria, eaque notabilior, non habito reſpectu ad podagram, methodum adhibes antiphlogiſticam, ſicque ſublata febre inflammatoria, podagra regulariter decurret; ſi vero febris inflammatoria deſit, tu tamen pulſus duritie (quæ non raro major eſt ac in genuina inflammatione) ſeductus, eam ſubeſſe credis, phlebotomiamque celebrabis, podagram multum exacerbabis.

2do. Cum febre bilioſa. 3tio. Cum febre pituitoſa, cum podagrici ſimul ſint habitus plerumque molles, paſtacei, vitæque genus pituitæ generandæ faveat.

4to.

4to. Cum febre putrida. 5to. Cum reliquis arthritidis ſpeciebus, unde etiam non raro cum arthritide venerea, hinc fit, ut arthritis genuina pro venerea, & hæc pro illa, non infrequenter ſit habita, propter magnam ſymptomatum analogiam, namque febris, & dolores oſteocopi, vel partium carnoſarum &c. de die mitiores, ad veſperas & noctem exacerbantur, circa auroram remittunt; ſed hæc ſymptomata adſunt & in arthritide genuina, & forte conſtantius, quam in ſyphillitica, ſæpe ſyphillitidi ſupervenit arthritis genuina, cujus ratio eſſe poteſt, vel epidemia regnans arthritica, vel methodus medendi, diætaque cui ſyphillitici ſubjiciuntur e. g. diæta lactea, vel ſola vegetabilis, cui antea adſueti minime fuere uſus copioſus & protractus decoctorum ſanguinem purificantium, frictiones mercuriales, diuturna domi commoratio, & defectus conſueti exercitii, mœror &c. cum videant ſuas res turbatas &c. quæ omnia corpus debilitando arthritidem ſuperinvitant, unde fit non raro, ut convenienti medendi methodo & diæta ſublata ſyphillitide, ſupermaneat arthritis ad omnia mercurialia rebellis, antiarthriticis vero facile debellanda, quæ certe ſyphillitica non eſt; hinc Cl. Prof. Max. Stoll maximo jure arthritis ſyphillitica ad optimam etiam methodum antiſyphilliticam, convenienti ſub diæta rebellis, ſuſpicionem movet, eam tranſitum feciſſe in arthritidem genuinam: unde ſepoſitis antiſyphilliticis, morbum felici ſucceſſu antiarthriticis adgreditur.

Quæ de podagra regulari vel anomala huc uſque diximus, valent de quacunque alia ſpecie

ar-

arthridis genuinæ regularis, vel anomalæ, ut eas ſigillatim proſequi non ſit operæ pretium, potius earum loco conabor exponere Cap. ſeq. differentiam arthritidis regularis ab anomala.

CAPUT XIII.

De differentia arthritidis regularis, ab anomala in genere.

Arthritis regularis differt ab anomala 1mo. Arthritis regularis primo pedes; (quod frequentiſſimum) dein manus, genua, cubitum, humerum, coxendicem & omnes alias articulationes petit: anomala vero truncum corporis, ſeu partes internas. 2do. Symptomata arthritidis regularis, in qualibet artu fere eadem ſunt *np.* dolor, tumor creberrime, rubor ſæpe, non raro ardor & tophi, ſi arthritis ſit vaga, dolor vagus, tumor albus quaſi œdematoſus. Symptomata vero arthritidis anomalæ ſunt varia, & diverſiſſima pro diverſitate partis internæ, ad quam decumbit: ſic ſi decumbat ad encephalon, poteſt producere omnes capitis dolor, & eorum propria ſymptomata; idem de pulmone & reliquis viſceribus obſervandum, ut certe nullus ſit morbus ſub cujus larva arthritis anomala aliquando non luſerit; per quas quantas clades humano generi non induxit? Quarum certe pleræque averti, vel ſaltem præcaveri potuiſſent, ſi ipſa arthritis larvata prætervifa non fuiſſet. 3tio. Arthritis regularis eſt opus naturæ ſeſe a materia morbifica liberan-

rantis, taliſque criſis ſemper deſideranda, tanquam ad conſervationem vitæ neceſſaria; anomala vero ex naturæ fruſtratione oritur, raroque absque periculoſiſſimo exitu ſuam ludit tragædiam.

CAPUT XIV.

De Signis diagnoſticis arthritidis larvatæ, a morbo ſub cujus ſchemate ludit.

Antequam de arthritide larvata agerem, juvabit exponere ſigna diagnoſtica arthritidis larvatæ, a morbo ſub cujus ſchemate ludit, ut in ſequentibus lectorem huc mihi relegare liceat, nec in quavis larva hæc eadem deſcribere ſigna non parva lectoris & mei moleſtia cogar: ſigna illa erunt ſequentia:

1mo. Si præceſſerit arthritis regularis; cui evaneſcenti ſtatim, vel ſaltem non longe poſt ſupervenit præſens ægritudo.

2do. Si arthritide non penitus evaneſcente, at eadem multum mitigata, præſens comparuit ægritudo.

3tio. Si arthritis regularis non præceſſit, ſed una invaſit ægrum cum alio morbo, aſt hic illa ingraveſcente mitigatur, & illa evaneſcente ingraveſcit.

4to.

4to. Si vero arthritis anomala ſine prægreſſa, vel concomitante arthritide regulari oriatur, hic attendas, an præceſſerit cauſa prædiſponens, & excitans pro ægritudine, quam dubitas num ſit arthritis larvata. Si non præceſſit, attendas:

5to. An ſubjectum olim arthritidem paſſum fuerit? Vel ſaltem ad arthritidem prædiſpoſitum? An & cauſæ excitantes, vel etiam prodromi arthritidis præceſſerint? An non arthritis ſub hac larva epidemice ludat? An non ſuperveniat arthritis regularis, cum magno morbi levamine? An morbus hic non alternet cum arthritide regulari? Hæc ſi adeſſe deprehendes jure concludes arthritidem eſſe larvatam.

6to. Si morbus methodo propria tractatus ne hilum quidem emendetur, ſub uſu vero antiarthriticorum in melius vertatur, ex his ſignis diligenter penſitatis, dignoſces arthritidem larvatam, a morbo ſub cujus ſchemate ludit.

Larvæ arthritidis anomalæ tot ſunt, tamque multiplices, ac morbi partis internæ, ad quas decubitus fit, quarum frequentiores deſcribere conabimur eum ſequentes ordinem, ut exponamus eas ſecundum viſcera ſub quorum morbis frequentiſſime ſeſe occultant; unde 1mo. ſub ſchemate morborum abdominalium. 2do. Sub ſchemate morborum thoracicorum. 3tio. Sub ſchemate morborum encephali, & nervorum. 4to. Denique ſub ſchemate morborum cutaneorum deſcribemus.

CAPUT XV.

De arthritide larvata ſub ſchemate morborum abdominalium.

Arthritis larvata ludit ſub ſchemate ſequentium morborum abdominalium:

I. Sub ſchemate *ventriculi diverſo modo depravati;* nullam partem internam frequentius invadit, nullam diutius tenet, nullam gravius adfligit, nullam ſæpius reviſit arthritis anomala, ac ventriculum; facto decubitu arthritico ad ventriculum ſequentia obſervantur ſymptomata; anorexia, (ſæpe tamen appetitus voracior) bradipepſia, nauſea, vomitus ſæpe moderatus & chronicus, ut bis ter circiter de die vomant, ſæpe vero vehemens & citiſſime exhauriens; cardialgia, flatulentia, ſenſus ponderis, repletionis jejuno etiam ventriculo, ſenſus frigoris in ventre per menſes durans, reſpiratio impedita, oſcitatio, cephalalgia, vertigo, mæſtitia, interdum ſcotomia, morbo provecto ſupervenit pallor faciei, imbecillitas univerſalis a) & niſi tempeſtate frigida mature mutata in calidam, vel medela exquiſita revocetur arthritis regularis, dolore, languore, inedia confectus æger poſt multos menſes occumbit.

Diag-

a) Muſgrave de arthritide anomala. p. 55.

Diagnoſis fit ex obſervatione ſignorum cap. XIV. expoſitorum.

Cauſa hujus anomaliæ eſt primo, debilitas ventriculi nativa vel acquiſita. Secundo, ægritudines ventriculi. Tertio quiſcunque ſtimulus ventriculo diutius applicatus, præſente notabili copia materiæ arthriticæ in ſanguine.

Cura. Si cauſa recurſus podagræ ad ventriculum ſit ſaburra, vires adhuc bonæ, vomituriones inanes adſint, primo ſaburra excutiatur; dein enemate alvus moveatur; tum interne propinentur podagragoga. Si vero cauſa recurſus aliud quid fuerit quam ſaburra, vel ſi ipſa etiam ſaburra, aſt adſint vomitus enorme exhaurientes, animi deliquium, frigus extremorum, hic illico opium exhibeatur ex multiplici cauſa np. a) qua vomitum ſiſtens, b) qua cardiacum, c) qua ſudoriferum, materiam podagricam ad ſuperficiem corporis pellens. Si vero vomitus opio non obediat, dentur adſtringentia cum aromaticis, hauſtus vini canarienſis, tocaini, tinctura cinnamomi, potus diaphoretici, ex ſambucinis, aceto antiſeptico, camphora, ſpiritu mindereri; palmam cæteris hic præripit Philonium diſp. lond. cujus loco dari poteſt theriaca andromachi ſed dupla doſi, audatur & potus aquæ glacialis. Externe pars antea arthridide obſeſſa, laxetur balneo, cataplaſmate &c. emolliente, vel irritetur (quod melius) epiſpaſtico, veſicante; ad abdomen ſcuta ſtomachica, actu frigida, adſtringentia applicantur. His adhibitis podagra vel deponitur ad artus ceſſantibus omnibus ventris moleſtiis; vel ſenſim ſine ſenſu diſſipatur e corpore.

Prophylaxis fit roborando ventriculum, ſic dictis ſtomachicis, & uſu aquæ martialis, obſervando ſimul regimen antipodagricum. Si his non obſtantibus ſæpius hæc redeat anomalia, fonticulos ad brachium, vel genua ſuadet Musgrave a).

II. Sub ſchemate *colicæ chronicæ*, in quibusdam vere & autumno podagræ adinſtar exquiſitæ redeuntis; in aliis oritur maxime autumno, & niſi materiam arthriticam ad artus revocaveris, per totam durans hiemem, pervigiliis, vomitu frequenti, dolore diro intolerabili, pulſu tamen naturali diu cruciato ægro mortem infert: facies hujus colicæ eſt eadem, quæ bilioſæ, cum qua ſæpe confunditur.

Cura eſt eadem, quæ vitiorum ventriculi, dum ea raro ſola, ſed plerumque male ſimul adfecto ventriculo, vel & diarrhæa & differentia ſit conjuncta; ſi vero ſola foret neque dolor nimium excederet, opiatis abſtinendum, vel ſaltim eadem parçius propinanda ſunt.

III. Sub ſchemate *diarrheæ*, quæ aliquando critica, (ſed raro) ſæpiſſime ſymptomatica.

Cura, ſi critica, eſt eadem, quæ criſeos cujuscunque; ſi ſit ſymptomatica, curatur ut colica arthritica, ſi iisdem non cedat fiatque chronica, curatur: 1mo. Exercitio corporis, maxime vero equi-

a) De Arthritide anomala p. 56.

equitatione, balneis frigidis. 2do. Medicamentis tonicis diætaque ſimili.

IV. Sub ſchemate *dyſenteriæ.*

Cura, ſi ſit ſimplex eſt eadem, quæ colicæ, de qua, ut & de complicata dyſenteria legendum eſt, opus vere Hippocraticum (cui par, *non oriens vidit aut recumbens*) Cl. Prof. *Max. Stoll* a).

V. Sub ſchemate *hæmorrhoidum*, quæ ſunt chronicæ cum alvo libera, levantur ab effluente ſanguine piceo, & mucoſo, ſponte vel hirudinibus detracto; hæmorrhoides hæ ſunt ſæpe criticæ, præprimis ſi ſint fluentes, ſic enim materies arthritica eliminatur, tuncque vices agunt arthritidis regularis; ſæpe ſunt ſymptomaticæ licet ſint fluentes, per plures ſeptimanas, menſes durantes, tandemque in fiſtulam ani rebellem, mora gangreneſcentem terminantur, cui toties optata ſupervenit mors. Vidi hunc caſum in noſocomio SS. Trinitatis, in viro quadragenario, ſtrenuo potatore temperamenti atrabilarii, qui a. 1784. initiante Februario infeſtabatur doloribus artuum vagis; quibus brevi evaneſcentibus ſupervenit teneſmus, dolor colicus, cephalalgia, febricula levis, ſtillicidium ſanguinis picei mucoſi ex inteſtino recto; omnia hæc ſymptomata circa veſperam exacerbabantur, circa auroram remittebant, ut de die tantas æger non moveret querelas, appetitus fuit voracior; inconſulto medico, initian-

a) Rationis medendi Tom. III. de natura & indole dyſenteriæ.

te morbo phlebotomiam bis celebravit cum exacerbatione mali. Die 14. morbi in noſocomium delatus ſub uſu ſolventium, & ſelectiſſimorum antiarthriticorum non multum profecit; aliquoties tamen ſubortis artuum doloribus levabatur per 2. 3. dies, aſt iisdem evaneſcentibus; morbus iterum detonabat ac ante, usque dum 4to. morbi menſe acrimonia rodente inteſtinum rectum exulceraret, fiſtulamque produceret rebellem ad optima remedia, quæ mox gangreneſcebat ſuperveniente diſſolutione ſanguinis, & hinc hæmorhagia narium non ſiſtenda, facies Hippocratica, mors.

Indicatio in hæmorrhoidibus arthriticis ſi ſint criticæ, eſt ut in qualibet criſi; ſi vero ſymptomaticæ, eſt ut in omni arthritide anomala. 1mo. partem affectam quantocius liberare, 2do. effectus remanentes tollere, 3tio. recidivam impedire.

Pars adfecta liberatur materiam arthriticam ad artus revellendo, vel ſi hoc fieri non poſſit, reſolvendo, attenuando, e corpore expellendo; prius tentatur artus laxando emollientibus, vel eosdem irritando veſicante: interne propinando antiarthritica: poſterius fit iisdem antiarthriticis, viribus ægri commenſuratis, an & veſicans ad os ſacrum applicari poſſet eo ſcopo, ut evocetur materies arthritica?

Effectus tolluntur diverſo modo pro diverſitate effectuum.

Re-

Recidiva præcavetur partem roborando, & regimen obſervando antipodagricum.

VI. Sub ſchemate *Hypochondriaſis* cum materia, ſeu *melancholiæ*, imo & *maniæ*; nam hæ ægritudines ſuborta arthritide curantur; nec eſt infrequens futuros arthriticos fieri prius hypochondriacos cum, vel ſine materia, vel hemorrhoidarios, qui morbi ſuborta podagra regulari diſparent.

Cura fit ſolventibus, ſaponaceis, amaris, mellitis eccoproticis, victuque ſimili, exercitio corporis in aëre libero, itineratione ad thermas diſſitas ſulphureas, potuque earumdem aquarum thermalium in grato amicorum conſortio; ruſticatione ſub uſu ſeri lactis, aquarum medicatarum ſolventium, reſolventium. e. g. ſedlicenſium, ſelteranarum &c.

VII. Sub ſchemate *hæmorhagiæ* uterinæ, ſi materies arthritica deponatur ad uterum, oritur ſenſus ponderis, doloris, major ſanguinis affluxus propter continuam irritationem, hinc hæmorrhagia, in utero vero gravido non raro abortus.

Cura, ſi adſit orgasmus humorum, pulſus plenus, fortis, durus, fiunt venæ ſectiones, injicitur enema emolliens, dantur antiphlogiſtica eccoprotica, an & potus aquæ frigidæ? Externæ partes antea arthritide regulari obſeſſæ foventur emollientibus tepidis, vel irritantur veſicante, fomentum ex aqua glaciali vel adſtringentibus

ad regionem pubis, injectiones aquæ frigidæ in uterum: ſi ad hæc arthritis caſtra non moveat, hæmorrhagia pergat, ægra nimium debilitetur, danda ſunt medicamenta adſtringentia.

VIII. Sub ſchemate *fluoris albi:* ſi materies arthritica deponatur ad genitalia muliebria, oritur fluor albus cum muco ductili, pendulo, ſtatim in initio acri rodente, flavo vireſcente, viridi; hinc cave ne fluorem album habeas pro venereo ex eo, quod in initio illico rodens, flavo-vireſcens ſit, & quod dolores veſpertini, nocturnive, de die ſilentes adſunt, vel de die ſunt mitiores, de nocte exacerbantur, circa auroram remittunt: nam hæc arthritidi etiam genuinæ conveniunt. Hæc cautela ratione curæ magni momenti eſt, nam fluor albus venereus, antiſyphilliticis optime curatur, quibus fluor arthriticus peſſime exacerbatur, obſervante Cl. Prof. *Max. Stoll*, Præceptore meo ad cineres uſque venerando.

Cura fit materiam arthriticam ad proprium locum reducendo, quod fit dato primo purgante tonico, v. g. rheo, dein propinatis antiarthriticis cum rheo, marte, balſamis nativis, ut bis ter alvus nyctemeron moveatur, loca antea arthritide obſeſſa laxentur emollientibus, vel quod melius eſt, irritentur veſicante; ſi reduci non poſſit ad loca conſueta, continuantur antiarthritica cum tonicis balſamicis & blande alvum moventibus, donec fluor ceſſet.

IX. Sub ſchemate *carcinomatis*, vel *ſcirrhi* uteri; ſæpe ſi deponatur arthritis ad orificium uteri, producit tumorem durum ſcabrum, dolentem, ſcirrhum mentientem; eum tamen non eſſe, ſed potius arthritidem larvatam patet, quod ſuperveniat arthritidi repente ceſſanti, ſuperveniente arthritide initigatur dolor, & arthritide per totum corpus diſperſa ceſſat, ſub uſu antiarthriticorum penitus reſolvitur, & diſparet.

X. Sub ſchemate *tumoris* magni in regione uterina, ut imponat pro graviditate: eſſe vero arthritidem larvatam, convinceris, ex rationibus Nro. IX. expoſitis. Vidi ſimilem caſum in noſocomio SS. Trinitatis, in duabus puellis, & una vidua; juvabit ex iis unius ſuccinctam hiſtoriam huc inſerere:

Puella 20 annorum, temperamenti ſanguinei, legitime menſtruata, ante diu ſana anno 1784. menſe Februario corripitur arthritide vaga, cui 10 morbi die ſupervenit febris bilioſa, qua curata perſtabat arthritis rebellis, vel ad optima remedia; circa ſextam morbi ſeptimanam arthritis miteſcit, aſt regio pubis ea proportione increſcit; elatio hæc hypogaſtrii nobis in principio ſuſpicionem moverat de graviditate, quam tamen veram non fuiſſe, ex ſequentibus eluceſcet. Circa octavam morbi ſeptimanam, ægra arthritide libera & cæteroquin ſana, ſi tumorem hypogaſtrii excipias, revertitur ad ſuos: poſt duas ſeptimanas incidit in febrem tertianam duplicatam, quæ præmiſſis præmittendis cortice peruviano, debito modo exhibito non auſcultabat; aſt

exortis doloribus arthriticis omnes artus, ſternum, lumbos, diriſſime vexantibus, ut vel a tactu e longinquo intentato ejularet, febris tertiana ſponte evanuit, una cum tumore hypogaſtrii, qui ſub febre ne hilum quidem emendabatur, puella hæc ſub uſu ſambucinorum, ſtibiatorum, florum arnicæ ab omni arthritide liberata ad ſuos rediit. Ex his patet ludere arthritidem, non tantum ſub ſchemate tumoris, ſed etiam febris intermittentis.

XI. Sub ſchemate *Nevritidis:* quæ quomodo dignoſcatur a genuina, cap. XIV. expoſui.

Cura eſt antiarthritica.

XII. Sub ſchemate *diſuriæ*, *ſtranguriæ.* Diagnoſis patet ex cap. XIV. Cura eſt antiarthritica.

XIII. Sub ſchemate *caruncularum uretræ*, nam ſi ad eam decumbat materies arthritica, eam conſtringit ut exhibeat inæqualitates catetere detergendas, vel ſæpe illius applicationem impedientes, quæ habentur pro carunculis.

Cura fit antiarthriticis.

XIV. Sub ſchemate, *Gonorheæ ſiccæ*, vel *humidæ*, effluente ex urethra materia mucoſa, pendula, flaveſcente, vireſcente, aliquid ſæpe cruoris obſolete rubri ſecum ſimul educit, cum dyſuria, & ſtranguria; ſi fuerit ſicca, nihil niſi dyſuriam, & ſtranguriam conqueritur æger, ſine omni materia effluente.

Diag-

Diagnoſis gonorheæ arthriticæ a venerea eſt difficilis, propter analogiam ſymptomatum, & quod non raro utraque in eodem ſubjecto ſimul adeſt, præſente namque gonorhæa ſyphillitica in corpore arthritico, materies arthritica in ſanguine oberrans, vel jam depoſita, locum deſerit, atque ad urethram tamquam partem ægrotantem, & ab acrimonia ſyphillitica continue irritatam, allicitur: hanc ſpeciem gonorheæ ſolis antiſyphiliticis non curabis, optime vero antiſyphilitica jungendo cum antiarthriticis debellabis.

Cura gonorheæ arthriticæ meracæ (quam cognoſces, & a venerea dignoſces, ſignis a nobis capite XIV. expoſitis) fit antiarthriticis, ut in fluore albo diximus.

Obſ. Gonorheam arthriticam meracam, in ſeniculis obſervare non eſt infrequens.

XV. Sub ſchemate *vermium* ludit maxime arthritis nondum formata, ut ad ſuperficiem corporis ablegari poſſit, ſed œſophagum, ventriculum, inteſtina oberrans producit ſyllogem ſymptomatum verminoſorum; quem tamen non eſſe convinceris, dum videas ceſſare eam ſuborta arthritide & antiarthriticis penitus profligari. Hæc de arthritide anomala latente ſub larva morborum abdominalium, nunc ſequitur ut exponamus ejus larvas ſub ſchemate morborum thoracicorum.

CA-

CAPUT XVI.

De arthritide larvata ſub ſchemate morborum thoracicorum.

Arthritis larvata ludit

I. Sub ſchemate *catarrhi*, *tuſſis*, & *peripnevmoniæ.* Diagnoſis deſumitur ex ſignis Capite XIV. expoſitis. Indicatio eſt, pulmones quantocius liberare, reducendo materiam arthriticam ad artus, vel ſi id fieri non poſſit, alia via evacuare: dein effectus remanentes tollere; tandem recidivam præcavere. Revocare tentamus arthritidem primo, viribus ad debitum moderamen redactis, interne dando antiarthritica, initium faciendo a mitiſſimis, & ſi ſputa adſint ſimul cum anacatharcticis, nam per ſputa, magna pars, ſi non omnis materiæ arthriticæ evacuatur. Externe ad locum antea arthritide tentatum, applicentur veſicantia; omnia colatoria ſerventur aperta. Si his omnibus fruſtra tentatis, arthritis ad artus derivari non poſſit, altera nobis ſupermanet indicatio, np. materiam arthriticam evacuare, hoc fit antiarthriticis, & anacatharcticis (ſi ſputa adſint) qualia ſunt ſambucina cum nitro, ſtibiatis, extracto florum arnicæ, gummi ammoniaco, reſina guajaci. Notari meretur, quod arthritis ad pulmonem depoſita, rariſſime poſſit ad artus revocari, ſed plerumque evacuatur ſputis, & diaphoreſi, quod non ſemel vidimus, in noſocomio SS. Trinitatis, & Paſmanniano.

II.

II. Sub ſchemate *pleuritidis*, hic indicatio & cura eadem, quæ in peripneumonia, cum hac differentia, quod ſputis non judicetur.

III. Sub ſchemate *phthyſis pituitoſæ.* Diagnoſis formatur 1mo. Ex ſignis Capite XIV. expoſitis. 2do. Quod phthyſis arthritica, amet ætatem mediam, & ſenilem; genuina vero plectat ætatem juvenilem; in arthritica ſputa ſunt mucoſa pendula, ſpermati ranarum non abſimilia, in genuina vero ſunt purulenta. Febris hectica in phthyſi arthritica eſt mitior, & tardius ſupervenit. 3tio. Phthyſis arthritica, antiarthriticis mature adhibitis, ſine magno labore ſanatur; neglecta vero, frequenti tuſſi, pulmones exulcerat, hæmoptoen, & dein phthyſin veram ſuperinvitat.

Indicationes ſunt eædem ac in peripnevmonia arthritica; unde & cura eadem, cum hac tamen differentia, quod in phthyſi arthritica nulla ſit inflammatio, in peripnevmonia vero arthritica ſæpe adeſt, vel ſaltem metus eſt, ſupervenientis phlogoſis; unde ut in phthyſi arthritica dantur antiarthritica expectorantia, cum tonicis, e. g. flores arnicæ, cum polyg. amara, Lich. Island. vel cortice. Conveniunt ſimul externe, ſi revulſio ad loca conſueta veſicante fruſtra tentata eſt, fonticuli, ſetacea, ruſticatio, equitatio, quæ in phthyſi genuina ſine morbi exacerbatione in uſum trahi non poteſt.

IV. Sub ſchemate *hæmoptoes;* materiam arthriticam ad pulmones depoſitant, ſubſequitur oppreſſio thoracis, tuſſis, hæmoptoe ſine cauſis ma-

ni-

niſeſtis, ſanguis rejectus non eſt coccineus, ſed ſpumans, (ſaltem raro) potius obſolete ruber, febris ſæpe nulla; hanc hæmoptoen nec phthyſis, nec aliud ſubſequitur incommodum, niſi aliena acceſſerit medicatio. Hanc larvam arthritidis, non ſemel vidi feliciter curatam, & quidem bis in ſubjectis ad phthyſim prædiſpoſitis, ex quibus ſequentem hiſtoriam, huc inſerere placuit: Aurifaber annorum 20. cum prædiſpoſitione corporis phthyſica anno 1784. menſe Majo, corripitur febre intermittente tertiana duplicata, cui brevi comitem ſe adjungit arthritis vaga, artus & integumenta capitis oberrans. Prima Julii in noſocomium SS. Trinitatis delatus, ex febre intermittente convenienti methodo convaluit, perſtante arthritide rebelli; mox de repente ſupervenit hæmoptoë valida, cum pulſu pleno, forti. duro, evaneſcente penitus arthritide; repetitis pro neceſſitate phlebotomiis, ſub uſu antiphlogiſticorum perfecte convaluit, arthritide non ultra recurrente, & ad hocuſque tempus perfecta fruitur valetudine. Ex hac hiſtoria videre eſt, materiam arthriticam vagam, in pulmone figi, hæmoptoën excitare, cum eaque e corpore expelli poſſe ſub convenienti methodo medendi, perfecta redeunte ſanitate.

Indicatio hæmoptoën ſiſtere; grumos ſanguinis expectorare; recidivam præcavere. Hæmoptoë ſiſtitur. Si adſit febris, cum viribus vitæ exorbitantibus, eam prudenter deprimendo, methodo antiphlogiſtica generoſa, quiete, ſitu corporis, &c. quo facto, ſi hæmoptoë non ceſſet, tentanda erit revocatio arthritidis ad loca ſonſueta

ta, applicato nempe veſicante, datisque interne antiarthriticis mitiſſimis, e. g. emulſo leviter camphorato, cum potu aquæ frigidæ. His nihil juvantibus, imminente, vel jam præſente cheneangea, ligatura extremitatibus injicitur, & interne dantur adſtringentia, cum potu aquæ frigidæ, quæ ſi non juvent, mors ſubſequitur.

Alteri Indicationi, np.: ut grumi ſanguinis expectorentur, ſatisfaciemus leniter expectorantibus. Ultimæ vero indicationi ſatisfaciemus pulmonem roborando, & regimen antipodagricum obſervando.

V. Sub ſchemate *Aſthmatis chronici*, ſæpe continui, ſæpe vero periodici, *hoc* poteſt eſſe, 1mo. vernale, vel autumnale, vel utrumque ſimul, podagræ adinſtar regularis recurrentis ſemel vel bis in anno; tempus intermedium transigitur ſine omni, vel ſaltem leviſſima difficultate reſpirationis. 2. diurnum; aliquando veſpertinum, nocturnumve, ut omni die, vel omni alterno die, ſtato tempore recurrat, febris adinſtar intermittentis larvatæ, pro qua non raro imponit. 3tio. convulſivum, ubi paroxismus aſthmaticus, de die ſilens, ſub ſomni tempus redit, vel ſi de die adfuerit, aſt tolerabilis, nocte exacerbatur, cum terrore expergeſiunt, lecto exiliunt, ad feneſtras properant, liberam captantes auram, ſæpe vero ſurgere non poſſunt; ſtrangulantur, liveſcunt, ore ſpumant; mentis impotes fiunt, pulſus tenuis vix micans, mox poſt aliquod tempus ad ſe redeunt; nec præter laſſitudinem, & ſpirandi difficultatem quidquam ſentiunt incommo-

modi. Aſthma arthriticum ; mihi aliquoties videre contigit in noſocomio practico & SS. Trinitatis, ex quibus unius hiſtoriam hic ſuccincte proſequar.

Chirurgus annorum 22 Aſthmate protopatico, chronico continuo, de nocte arthritidis adinſtar exacerbato, jam per ſeſquialterum annum laborans, cæteroquin ſanus ; anno 1784. ineunte Novembri, in noſocomium practicum recipitur, ubi Cl. *Profeſſor Maximilianus Stoll*, facto accuratiſſimo ægri examine, habita ſimul ratione juvantium, & nocentium aſthmatis hujus indolem, ejusque cauſam proximam determinare non poterat; (nulla enim præceſſerat arthritis) & a reliquis indicationum fontibus derelictus, ex aliqua analogia morbi præſentis cum doloribus arthriticis, morboque ſtationario arthritico, indicationem deſumſit curam aggredi antiarthriticis mitioribus; ſub quorum uſu mox comparuere dolores arthritici, cum reſpirationis aliquo levamine, ex quo confirmabatur Cl. Vir in ſua, quam primitus formaverat diagnoſi, eſſe nempe aſthma arthriticum; hinc continuabat uſum antiarthricorum, ſed cum lenioribus non cederet morbus, propinabat fortiora, np. reſinam guajaci cum extracto ejusdem aquoſo, dein flores arnicæ, tum & veſicantia inter ſcapulas, ſub horum uſu diuturno ſupervenit arthritis febrilis, intra 14 dies terminata, aſthma perfecte judicans. Ex hac hiſtoria patet, quam difficilis ſit diagnoſis arthritidis larvatæ protopaticæ. Ubi ab omnibus derelictus indicationum fontibus, analogia, & cognita indoles morbi ſtationarii tibi acus adinſtar erit magneticæ in formanda indicatione.

In-

Indicatio in aſthmate arthritico eſt, pulmonem liberare, effectus a morbo remanentes tollere; recidivam impedire. Pulmo liberatur, revocata arthritide regulari; ſi hoc non poſſit, materiam arthriticam reſolvere, attenuare, e ſanguine eliminare; prius tentatur, interne datis antiarthriticis, & ſi aſthma humidum fuerit, ſimul anacatarcticis; externe applicando veſicantia, ad locum antea arthritide obſeſſum. Si vero arthritis fuerit vaga, tum convenientius eſt applicare veſicans inter ſcapulas, vel corticem meſerei infra inſertionem deltoidis. Reliquis indicationibus quomodo ſit ſatisfaciendum per ſe patet.

VI. Sub ſchemate *Hydrothoracis*, ſæpe namque depoſita materia arthritica ad pulmonem, reſpiratio fit aſthmatica, ſubſequitur tuſſis ſicca, vel aquoſa ſpumoſa, decubitus ſupinus & horizontalis impoſſibilis, expergefactio nocturna cum terrore, ut æger lecto exiliat, ad feneſtras properet, recentem captans auram; his ſupervenit œdema pedum, (ſi np. æger phlebotomiis intempeſtivis exhauſtus fuerit). Præſentibus licet his ſignis hydrothoracis, eum tamen non eſſe genuinum, ſed arthriticum cognoſces ex ſignis capite XIV. expoſitis. Curatur ut aſthma arthriticum.

VII. Sub ſchemate *anginæ arthriticæ*.

Cura. Si ſit febrilis, cum viribus vitæ exorbitantibus, methodus antiphlogiſtica generoſa, externe ad collum diſcutientia, & dein veſicans, ad locum ante arthritide obſeſſum, pariter veſicans indicatur. Si his non cedat dantur antiarthritica, initium faciendo a mitioribus.

VIII. Sub ſchemate *ſtrumæ.* Cura tentatur antiarthriticis in - & externis, ſed raro ſuccedit.

CAPUT XVII.

De arthritide larvata ſub ſchemate morborum encephali.

Arthritis larvata ludit non raro etiam ſub ſchemate morborum encephali & quidem

I. Sub ſchemate *Cephaleæ veſpertinæ, nocturnæve,* diriſſimæ, ut noctes agant inſomnes inter ejulatus, & vix non in furorem rapiantur præ nimio dolore, qui conſtrictione capitis levatur, commorationem in lecto non patitur, hinc plures horas extra lectum agunt; tanta ſimul eſt ſenſuum intenſio, ut lucem, ſtrepidum, vocem altiorem, ſine exacerbatione doloris non ferant, dolor de die mitiſſimus vel nullus, redit omni veſpera, vel omni alterna veſpera ſtata hora cum vel ſine frigore, ſubſequo calore, circa mediam noctem ſudore largo remittit, vel intermittit, ut poſſet imponere pro febre intermittente larvata, quam tamen non eſſe docent: 1mo. Ejus alternatio cum arthritide; 2do. cortici peruviano non cedit; 3tio. antiarthriticis ſanatur. Cephalea hæc nocturna ſæpe habetur pro ſyphilitica, præcipue ſi adſit ſimul dyſuria, licet arthritica, & male antiſyphiliticis ſubjicitur. Obſervatur in ætate media vel ſenili, craſſis, plethoricis. &c.

In-

Indicatio eſt, caput liberare; revocando arthritidem ad loca conſueta; vel ſi hoc non poſſit, ſolvere, attenuare, evacuare materiam arthriticam: prius tentatur præmiſſa (ſi ſit neceſſe) phlebotomia, propinando dietim eccoprotica, cum antarthriticis; externe vero applicando ad loca antea arthritide obſeſſa veſicans, vel ſi antea arthritis vaga fuerit, veſicans potius ad nucham quam ad artus applicabitur, vel etiam cortex meſerei, ad inſertionem deltoidis: poſterius tentatur iisdem antarthriticis, & ſimul eccoproticis nec non veſicantibus, at non artubus, ſed nuchæ applicatis.

IIdo. Sub ſchemate *vertiginis chronicæ.* Cura eadem quæ cephaleæ.

III. Sub ſchemate *apoplexiæ.* Cura eadem quæ apoplexiæ calidæ, cum hac differentia, quod hic veſicantia citius applicantur, & reſtituta deglutitione, præmiſſisque evacuationibus, illico dantur antiarthritica, mitiora eccoproticis maritata; licet hæc omnia ſumma cum diligentia adminiſtrentur, plerumque tamen fato cedunt. Ego ſaltem hanc larvam, in noſocomio SS. Trinitatis ter vidi, ſed ſemper lethalem.

IVto. Sub ſchemate *epilepſiæ*, cujus proprietates ſunt. 1mo. Quod ſæpius redeat; ſæpe omni ſeptimana ſemel, bis, non raro omni die & quidem plus vice ſimplici. 2do. in quibusdam functiones animales non abolentur, ex ſenſibus etiam externis auditus ſupereſt; in aliis omnes functiones animales ſilent, ac in epilepſia genui-

na. 3tio. Stadium epilepſiæ genuinæ alterum np. *ſuporoſum* deſideratur in epilepſia arthritica. 4to. Sexum fæmininum plectit præ virili; ego ſaltem in conſtitutione arthritica, quam per integrum annum obſervavi, inter viros eam nunquam, inter fœminas vero non ſemel vidi.

Diagnoſis epilepſiæ arthriticæ formatur, ex proprietatibus modo dictis, in conſiderationem ſimul trahendo ea, quæ Cap. XIV. dicta ſunt.

Cura in paroxiſmo eſt tantum palliativa, ut in epilepſia genuina, adhibendo ſimul odoramenta antihyſterica. Extra paroxiſmum vero methodus antiarthritica in uſum trahitur; præ cæteris tamen efficaciora vidimus gummireſinam guajaci, flores arnicæ cum ſulphure aurato antim. tertiæ præcip. cum uſu balneorum frigidorum, & regiminis antipodagrici.

V. Sub ſchemate *choreæ ſancti Viti;* cujus ſymptomata graphice deſcripſit Sydenham a), quibus addi merentur ſequentia adhuc ſymptomata: np. aphonia per vices rediens, vel continua: non minor mentis ac corporis mobilitas, ut ſubito ſine cauſa mox in cachinnos, mox in fletus erumpant &c.

Curatur purgatis primis viis dando antiarthritica, inter quæ palmaria ſunt, flores arnicæ per ſe, vel cum extr. rad. valer. dein extr. aconiti, in auxilium ſimul vocando ignem electri cum

a) In ſcheda moni. de novæ febris ingreſſu p. 526.

cum, ut conjunctis viribus præſtarent id, quod ſeorſim non poterant: hac methodo vidi plus vice ſimplici choream St. Viti in noſocomio practico feliciter curari. Sub horum uſu diuturno judicatur morbus arthritide ſuperveniente vel diaphoreſi largiore.

VI. Sub ſchemate *opiſtotoni.* Curatur antiarthriticis & veſicantibus ad nucham applicatis.

VII. Sub ſchemate *paralyſeos* artuum, *hæmiplegiæ*, *paraplegiæ.*

Cura: purgatis primis viis interne dantur antiarthritica, externe adplicantur veſicantia, frictiones partis paralyticæ bis ter de die cum linimento ex una parte tinctur. cantharidum, & duabus tribusve partibus ſpiritus ſerpilli.

VIII. Sub ſchemate *hypochondriaſis ſine materie* ſeu *hyſteriæ;* cujus cauſa proxima, non ſola irritabilitas peccans, (ut creditur) ſed ſimul materia arthritica volatilis, notante *Cl. Prof. Maxim. Stoll.* Hæc materies volatilis ſi deponatur ad œſophagum facit globum hyſtericum, ſi ad ventriculum vomitum hyſtericum, & ſic pro diverſitate partis diverſiſſimos producit morbos, omnes ab eadem cauſa productos, nec niſi forma a ſe invicem differentes.

Indicatio in paroxiſmo eſt nervos componere & materiam arthriticam diſſipare, quod fit ſic dictis antihyſtericis np. caſtoreo, moſcho, camphora, liquore c. c. ſuccin. liquore anod.

 min.

min. Hoffm. &c. addito ſimul opio: extra paroxiſmum indicatio eſt recidivam præcavere; quod fit regimine antipodagrico, & medicamentis tonicis; interque palmaria nobis ſunt cortex peruvianus, mars & gummata ferulacea.

IX. Sub ſchemate *morborum nervinorum* quorumcunque, præprimis in irritabilioribus & arthritide obnoxiis, ut *Cl. Profeſſor Stoll*, latente omni alia cauſa morbi nervini, ſuſpicetur aliquid ſubeſſe arthritici, quod methodus medendi antiarthritica cum ſucceſſu adhibita confirmat.

CAPUT XVIII.

De arthritide larvata ſub ſchemate morborum oculi.

Arthritis larvata ludit aliquando ſub ſchemate etiam morborum oculi, & quidem

I. Sub ſchemate *ophthalmiæ* chronicæ; rubor hic minor ac in genuina, pruritus, dolor in ſignis de veſpera exacerbatur, ſubortis doloribus artuum ceſſat, vel ſaltem mitigatur.

Cura præmiſſa (ſi ſit neceſſe phlebotomia) abſolvitur interne datis eccoproticis, antiarthriticis, np. antimoniatis, extracto fl. arnicæ, aconiti, pulſatillæ nigricantis; externe, colliriis diſcutientibus ex aqua vegetominerali, veſicante

ar-

arthritis fuerit retropreſſa ad locum antea arthritide occupatum, ſi vero fuerit vaga, inter ſcapulas applicato; fonticulis, ſetaceis in uſum vocatis.

II. Sub ſchemate *epiphoræ.* Cura eſt derivans & antiarthritica in- & externe adhibita.

III. Sub ſchemate *lippitudinis chronicæ*, quæ oritur, ſi materia arthritica deponatur ad glandulas meibomianas. Curatur ut ophthalmia arthrit. excluſa plebotomia.

IV. Sub ſchemate *cataractæ.* Vidit *Cl. Profeſſ. Stoll* a metaſtaſi materiæ arthriticæ, una nocte ſubortam cataractam: ſic vidi & ipſe dum hæc ſcriberem, cataractam in homine 43 annorum, potatore inſigni, ſaniſſimo, ſine omni cauſa manifeſta una nocte ſubortam; diligenti facto examine, cauſa nulla detecta, nec ullum in corpore vitium inventum eſt: hinc generalis f rmabatur indicatio tentandi derivationem ab oculo; quæ intendebatur purgante, & dein veſicante inter ſcapulas applicato, quod per aliquot dies apertum ſervabatur: interne propinatur extract. arnicæ; tertio curationis die levis & brevi evanidus interdum ſeſe manifeſtat dolor per totum dorſum & brachium dextrum, cum pauxilla cataractæ emendatione, ut hinc hanc cataractam arthriticam non dubitem eſſe.

Cura abſolvitur eccoproticis & antiarthriticis, externe veſicantibus, fonticulis, ſetaceis &c. ut in ophthalmia arthr.

V. Sub ſchemate *amauroſis*: hanc larvam vidi in noſocomio practico a. 1784. menſe Martio, in lanione 22 annorum temperamenti ſanguinei, qui primo laborabat arthritide vaga, cui ſexto die ſupervenit febris bilioſa, tum arthritis figitur in thorace & abdomine, hisque partibus inflammationem ſuperinducit; methodo antiphlogiſtica, dum inflammationi profligandæ incumbitur, febris bilioſa tranſitum facit in putridam, quæ phlogoſi fracta, propria methodo curabatur. Æger incipit reconvaleſcere, arthritis vero, cujus ſub febre putrida vix ullas movebat querelas æger, nunc artus diriſſime vexat, ſed non diu, poſt tres enim circiter dies penitus evaneſcit, ſuperveniente amauroſi oculi dextri; applicatis ſinapiſmis, veſicantibus, interneque propinato decocto flor. arnicæ, tentabatur revulſio ad pedes, ſed fruſtra, artus equidem levi dolore tentabantur brevi evanido, qui amauroſim ne hilum quidem emendabat; pergebatur in uſu florum arnicæ, ſub quo intra tres menſes amauroſis penitus evanuit, ſine ullis comparentibus doloribus arthriticis.

CAPUT XIX.

De arthritide larvata ſub ſchemate morborum cutaneorum.

I. Sub ſchemate *eriſypelatis chronici*, fixi, rebellis, ichorem tandem fundentis; obſervatur in ſubjectis arthritidi obnoxiis, ſuborta podagra regulari ſanatur.

II.

II. Sub ſchemate *efflореſcentiarum cutanearum; np. achoris, herpetis, macularum quaſi petechialium, vel ſcorbuticarum, puſtularum, eriſipelatis vagi, guttæ roſaceæ:* hi morbi ſunt criſis arthritidis.

Cura abſolvitur purgatis primis viis, ſolventibus, attenuantibus, dilucentibus eccoproticis, & ſimul leniter diaphoreticis, non negligendo regimen antipodagricum.

IV.

MATHIÆ HALLER
POLONI CRACOVIENSIS
DISSERTATIO
DE
RACHITIDE.

CAPUT I.

De rachitide in genere, ejus origine, natura, atque aliis cum morbis analogia.

§. I.

Rachitis, morbus veteribus incognitus, medio fere labente ſæculo decimo ſexto juxta Cel. Boerhave, & intra 1612. & 1620. annum juxta Ill. Roſenſtein, in Anglia, ut morbus novus obſervari cœptus, & a Gliſſonio primum deſcriptus eſt,

eſt, inde per Galliam, Hollandiam, aliasque provincias maritimas diffudit ſe progreſſu tam celeri, ut nulla fere ſit in univerſa Europa ditio, in qua morbus hic non jam obſervatus fuerit, aut actu obſervetur: in diverſis regionibus & provinciis alio donabatur nomine: latinis, rachitis, aut morbus rachitis, ſeu ſpinæ dorſi, anglis de richets, gallis chartre, germanis die engliſche Krankheit, doppelte Glieder, nominatur.

§. II.

Morbus hic, oſſium adfectio eſt. Cur ei recens detecto rachitidis nomen fuerit inditum probabiliſſima conjectura dilucidat Ill. van Swieten, dum ait: quod quia novi hujus morbi obſervatoribus rachis, ſeu ſpina dorſi, varium in modum defigurata viſa fuerit, ita, ut ob flacciditatem ligamentis vertebrarum, & muſculis inductam, rachis introrſum, vel ad latera incurvata reperta ſit, aut & ob oſſeas excreſcentias corporum vel proceſſuum vertebrarum deformis reddita adparuerit, ex hoc ſymptomate, morbum hunc, morbum rachitis, ſeu rachitidem compellitaverint. Verum cum hoc morbo adfecti, magno duroque ſimul abdomine tumeant, oſſa etiam ad articulos protuberent, quæ ideo duplicata eſſe ab inſciis creduntur, cognoſcitur quoque idem hic morbus, ſub nomine hepatis magni, vel duplicaturæ articulorum.

§. III.

§. III.

Ut quondam Hippocrates περί ἱερῆς νόσȣ acerbe conqueſtus eſt, magni morbi comitialis curam relinqui ſacerdotibus, qui tamen nihil aliis morbis plus divini habet, ſed ab iisdem ac alii, excitetur cauſis humanis, ideoque naturalibus pharmacis curandus, ita ab ejus tempore per bis mille & ultra annos acerbius dolemus, nondum eradicatum eſſe funeſtum illud vitium, quo madeſcunt adhuc multa mortalium pectora; ſed

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. — — — — —

Horat.

Quod enim Hippocrates in ſolo morbo Herculeo luguit, hoc nos, qui felicius nos tempus vivere credimus, in pluribus lugemus, & rachitis quoque huic fato ſubjecta eſt.

§. IV.

Mirum ſane eſt, quanta de hoc morbo ſuperſtitioſa vulgi imperitia, a monachis quibusdam in deliriis ſuis magis adhuc obfirmata, fabulata ſit. Perſuaſum quippe ſibi habebant plurimi, malum hoc infantibus ope faſcini, & potentiæ cujusdam præternaturalis, a Cacodæmone mulierculis præcipue annoſis conceſſæ, accidere: unde naturali ſua ſimplicitate, ita a cunis edocti in monaſteria a morbis dæmonicæ originis debellatis famo-

moſa properabant, opem monachorum imploraturi, qui in ſanctuaria confidentes, inde remedia ad debellandos morbos ſtudioſe deprompſerunt, aut & amore proprii emolumenti incitati, remedia externa vel interna ſub nomine ſacrorum turpiter ſæpe adminiſtrarunt. Memini me quondam infantem rachiticum vidiſſe, cui optimus adſtitit medicus, morbum ex arte profligare peritiſſimus, verum curæ diuturnitas aliquid faſcini, & dæmonici ſubeſſe magnam ſuſpicionem annoſæ mulieri adſtanti movit; clam idcirco accerſitus eccleſiæ miniſter mox aderat, diverſisque fuſis precibus, datis benedictionibus, ter puerulum incenſavit aſtutus, atque multum perfricari juſſit, ipſeque perfricuit, relicta in eo loco incenſi quantitate, qua quotidie quater perfumari, totiesque bene perfricari præcepit ægrum: ſic puerulus ille, adhibitis ſimul medici præſcriptionibus convaluit; incenſum illud benedictum, ſuccino, maſtiche, camphora, raſura cornu cervi, baccis, lignove junipero conſtabat, ut dein examinantes cognovimus, & hinc patet omnino frictiones a callido illo religionis miniſtro inſtitui juſſas, ægro profuiſſe plus piis illis ceremoniis ac geſticulationibus, quibus ipſe eas inſtituit; ſic turpiter falluntur, ſed & falli merentur, qui ſalutaria medicorum monita ſpernentes, & humana eorum ſcientia non contenti, imperiti ab imperitis ope ſanctorum miraculis ſe ſanitati eſſe reſtitutos deprædicant, & publicis iconibus nimiam ſuam & ſuperſtitioſam credulitatem vulgare non reformidant.

§. V.

§. V.

Alia illa opinio, qua nonnulli nocturno tempore permutatos a ſpectro quodam ſibi infantes, & ſuppoſitos perſuadent, æque tam ineptæ debetur traditioni, quam monaſticus ille genius credulis multum fidelibus olim inculcavit. Non negamus quidem divinam potentiam hominibus conſimilia mala immittere, aut infligere poſſe, ſed cur tali medio finem ſuum adſequi vellet divinum numen, non omnino liquet, cur innocuos infantes ita flagellaret, ut hi, claudi, curvi, diſtorti, gibboſi, parentum ſuorum pœnas luerent? interim probabilius eſt, divinam potentiam in caſtigandis iis ſe eſſe oſtenſuram, qui eam ludibrio exponere, atque rerum naturalium nexum viriumque ab ea creatarum efficacias pervertere non verentur.

§. VI.

Rachitis ergo non a faſcino, & incantamento: non a divina ira, & aliis ſupranaturalibus, eam tanquam effectum cauſæ ſuæ neceſſario connexum ponentibus debetur, & quamvis poſt ſui ortum totam fere Europam, uti dictum eſt, pervagatus fuerit hic morbus, crebrius tamen obſervari ſolet in locis humidis, humilibus, paludoſis, & uliginoſis; ideo longe excedit numerus ægrorum hoc morbo adfectorum in Anglia, Hollandia, Gallia, Lotharingia, quam in Italia, Hiſpania, & cæteris calidioribus & ſiccioribus regionibus; in eadem regione plures inveniuntur, circa humida loca habitantes, quam circa ſicca,

&

& idem etiam in eadem urbe obvenit. Neque tamen inde inferri jure poſſit, commorationem in locis humidis adæquatam hujus mali eſſe cauſam, cum ſecus ratio, cur non prius jam caput extulerit hic morbus, ſufficiens adſignari non poſſet.

§. VII.

An proprius infantum ſit morbus dubitatur, licet enim Cel. Boerhaave adfirmet, raro ante nonum ætatis menſem, vix unquam poſt biennium vitæ, ſed ſpatio hoc medio frequenter accidere rachitidem, ſunt tamen eximii viri, qui eam ſerius, & primo circa pubertatem, pauci, adhuc poſt evolutionem genitalium, obſervarunt; & videtur omnino ad infantilem præciſe ætatem morbus hic precario reſtringi, etiamſi productioni rachitidis corporis infantilis diſpoſitio multum faveat, frequentius tamen eſt, ut eo tempore, quo prima dentium ſeries prorumpere ſolet, ſe morbus per ſua ſigna manifeſtet. Illud certum eſt, requiri diſpoſitionem corporis, ut aptum ſit concipiendi hunc morbum, quæ diſpoſitio in ſolidorum laxitate, & fluidorum mucoſitate conſiſtere videtur, talis autem diſpoſitio omnibus adeſt infantibus, & eo major, quo nativitati propiores ſunt; ſequitur ergo infantibus eſſe communiorem, quamvis adultiores eodem modo diſpoſiti, nequaquam immunes vivant, donec ad eum corporis ſtatum increverint, ut firmitas ſolidis, & fluidis major denſitas innaſcatur.

§. VIII.

§. VIII.

An potius ſpinalis morbus amet ſequioris ſexus membra, an maribus magis ſit infenſus; quod multi diſputant, non facile deciditur; etenim quotquot lego de hoc malo deſcriptos a diverſis medicis caſus, & inde ſi formem calculum, experior nullam eſſe generis adfecti differentiam, ſed communi ſententia obſervationibus innixa morbus contagioſus non eſt. Verum inter hæreditarios, connatos & endemios referri ſemper debet; nunquam adhuc vidi, nec ab aliis viſum legi, rachiticos parentes proles progeneraſſe hoc malo immunes. Connatum hunc morbum eſſe poſſe, etſi Celeb. Boerhave neget, probat tamen obſervatio rachitidis congenitæ, a clariſſimo Kleinio novis actis naturæ curioſorum Vol. 1. pag. 146. inſerta. Illuſtriſſim. Roſen quidem notat in caſu a Kleinio citato, præter ſymptomata rachitidi propria, alia quoque adfuiſſe ſymptomata, & hinc credit, malum illud non rachitidem, ſed aliam quamdam fuiſſe defigurationem; ego vero non repugno, alia quoque in caſu Kleinii adnotato adfuiſſe ſymptomata rachitidi non communia, ſed quia & ſymptomata rachitidi propria in eo ægro adfuerint, ut ipſe fateri coactus eſt illuſtr. Roſen, cur morbum illum rachitidem fuiſſe negem, non video? Nam complicata licet rachitis cum alio morbo, rachitis eſſe non deſinit. Ipſe illuſt. Roſen infantem certe rachiticum vidit, de quo parentes adfirmabant, malum hoc eidem fuiſſe congenitum, ſed addit, medicum relationibus ejusmodi imperitorum hominum fidem habere non poſſe, probabiliusque eſſe autumat, malum tem-

pore

pore dentitionis primo ſe prodidiſſe; ut credam huic quoque ab ipſo Roſen viſo infanti congenitam fuiſſe rachitidem, me impellit, quod externæ corporis qualitates vitiatæ, defigurationes & ſymptomata in cujusvis oculos incurrentia, & non longo ratiocinio eruenda, ipſi etiam imperiti obſervare facile poſſint; præcipue ſi eundem ægrum a nativitate oculis perpetuo uſurpare cogantur, talis autem eſt caſus a Roſenſteinio notatus: cur enim matris infantem ſuum perpetuo verſantis relationi diffidere deberet medicus, ſi ea conteſtetur, hæc quæ nunc in eo deprehenduntur ſymptomata in externis corporis qualitatibus vitiatis obſervabilia, in infante jam a nativitate fuiſſe deprehenſa? Caſus hi, & his ſimiles me fateor remorantur, ne deciſive adfirmare audeam, infantibus rachitidem nunquam eſſe poſſe congenitam. Endemium morbum eſſe rachitidem demonſtrat copia ægrorum, & ejus dominium conſtans in omnibus regionibus & locis humidis.

§. IX.

Quæſtionem arduam, circa quam magna ingenia mira jam luxuriarunt proponam, eamque pro modulo perſpicaciæ meæ enucleabo, non tamen ea arrogantia ducor, ut credam me illam ex apollinis tripode deciſurum, dicam ſolum, ut ſentio. Quæritur ſi rachitis novus ſit morbus: ut plurimi conſentiunt, & unicus adverſatur Petrus Buchnerus, qui *obſervationem rachitidis novam, non ipſam rachitidem* §. 21. de rachit. ſe communicare declarat, hujusque morbi notitiam ipſi Hippocrati jam palam fuiſſe credidit ex aph.

K 46.

46. Sect. 6. *qui gibboſi ex aſthmate, aut tuſſi, ante pubertatem fiunt, moriuntur*, ac ſi verum eſſet omnem gibboſitatis cauſam in rachitide eſſe quærendam. Si ita noviſſet morbum Hippocrates, mirarer ego multum, cur non plura de eo ſcripſiſſet ſolertiſſimus ſenex, qui tamen in notis ſibi morbis omnes minutias perſpicaciſſime delineavit, mirarer adhuc, quod de hoc gravi, oneroſo, & curatu difficili morbo, non pro ſua conſueta ratione prognoſtica nobis reliquiſſet. Cur Galenus, Cælius Aurelianus, Aretæus Cappadox, Celſus, altum de eo tenent ſilentium? ergo novus eſt morbus, ſed unde novi morbi origo? eſt hic morbus certus quaſi pediſſequus ſolidorum ingentis laxitatis, & fluidorum degenerationis mucoſæ; & ea peſſima humani generis conſtitutio, ex pluribus rationibus enata mihi videtur ſerie annorum, atque primo probabilius inducta eſt, ex mutuo ſeſe conſequentibus generationibus. Primævi noſtri auſteram vixerant vitam, ſed ſanitati omni ex parte faventem. Panis ſecalinus, juſculum cui panis idem incoctus fuit, lac, butyrum, ſerum lactis, caſeus, fructus horti, olera, legumina, caro pauca, totam confecerunt rem culinarem, aromata iis erant cepæ, allium, herbæ gratæ, & ſi propria terra dedit, ſapidum nonnihil aromaticum. Potus iis erat utplurimum aqua, hinc inde vinum. Non diutius his contenti alia quæſiverunt, diverſas carnis ſpecies, omnes tamen ſuccis plenas animalium tam domeſticorum, quam rapacium, omne piſcium genus, quod mira culinari arte diverſis additis aromatibus magis nocivum præparabant, ex diverſiſſimis commiſtis ex omni regno ſimul coctis ſpiſſiſſima for-

ma-

mabant extracta, omni aromatum calidiſſimorum ſpecie condita. Tragemata, dulciaria, ſacharites, & omne quod excogitari potuit menſis adponebatur, atque dum aquis jam inſidere diſceret audax homo, vina calidiſſima ex omni terrarum plano, ſpiritus, thee, caffee &c. adportabantur, ut potui inſervirent, quibus in factis ſolida, ſolidorumque fibræ in talium abuſu relaxari, & fluida ob inertiam eorum degenerare in mucoſam indolem debent.

§. X.

Non autem ſolum ex diverſitate eſculentorum & potulentorum, quæ ipſam machinam de generatione in generationem debilitarunt, concludo ego, ſed ipſiſſimus aër, quem ante ſæcula inſpirarunt anteceſſores noſtri, longe alias facultates, & balſamicas habebat vires, quam is, quo ſucceſſores fruebantur, & nos adhucdum fruimur; exoriente ſole lecto ſurgentes, ſole occidente rurſus ſe quieti commiſerunt, laborum impigri toto die ſolis & puriſſimi aëris deliciis reſtaurati, maxime matutino tempore, dum ex plantis, terra, ſylvis &c. &c. balſamicum exhalat, quod roborando corpora, omnia alia medicamenta longe antecellit. Verum morbus primitias ſuas agnoſcit in populoſiſſima londinenſi urbe, in qua aër, ut in omni alia ſibi ſimili, non dicam deſtructus, ſed ita immutatus eſt, ut vitæ ſuſtentandæ quidem ſufficiat, ſed ad perfectam & longævam ſanitatem ſit ineptiſſimus, tum & ingenti exhalatione hominum, animalium famulantium, excrementorum, cadaverum, adportatarum mer-

cium, ſpirituum & oleorum, quibus renovatio aëris, ventorumque adeo neceſſariorum ad oſcillationem aëris inducendam impeditur. Accedit robur illud, quod motu corporeo & laboribus anteceſſores noſtri adepti ſunt: poſuit creator, ut in ſudore faciei panem lucretur homo, ſapientiſſimum numen voluit, ut corpora noſtra laboribus firmentur, ut eo diutius terram inhabitare poſſimus; hoc divinum mandatum exequebantur ad amuſſim plurimi veterum, donec tandem magnam eorum partem otioſa dies a laboribus diſtraxiſſet, & vitæ lautæ addixiſſet, paulo poſt corpora emollita reddebantur; unde malorum origo, ad quæ ótium ſternit viam, etenim paulo poſt luxuria, animi adfectus, ira, avaritia, cupiditas, corporibus adeo inimica ſubrepſerant, quæ ea plane effœminarunt; ſi addo ſtudia, quæ ut mentem recreant, ita corpus deſtruunt, differentias veſtium, totiusque mutati vitæ regiminis, debilitatem a morbis prægreſſis, coitum ſub morbo &c. non poſſum non eſſe convictus, & quilibet, qui has mutationes, & eorum effectus mecum phyſiologice & pathologice conſiderat, ſenſim ſic inductam fuiſſe filio ſolidorum laxitatem, qui iterum in patrem excrevit, verum multo jam debiliorem avo, ita tandem ſubſequentes generationes debiliores & laxiores ſucceſſiſſe, donec tandem primum ſtamen poſitum fuerit pro rachitide.

§. XI.

§. XI.

Jam autem vel ex his de origine atque natura rachitidis brevi calamo congeſtis præliminaribus elucet, magnopere ineptire eos, qui morbum hunc, pro aggregato ex plurimis diverſis morbis participante habent, cum propriam omnino agnoſcat cauſam, ex qua immediate ejus ſymptomata recte deducantur; licet enim obvenientia in rachiticis phænomena, quamdam habere videantur cum aliorum morborum characteriſticis ſymptomatibus analogiam, inde tamen nullo jure rachitidem ex morborum catalogo expunxeris, cum demonſtrandum omnino ſuperſit, morbos eidem analogos, vel ſaltem analogis ſymptomatibus decurrentes, ab ea, natura cauſave neutiquam eſſe diſtinctos. Morbi autem cum quibus præmiſceri rachitis ab incautis poſſet, ſunt: lues venerea, ſcorbutus, hydrocephalus, hydrops ventriculorum cerebri Whytii, ſpina bifida, adfectio verminoſa, ſcrophulæ, atrophia, & ſimplex oſteoſarcoſis.

CAPUT II.

De non neceſſario ad rachitidem contagii venerei concurſu.

§. I.

Hanc opinionem præ cæteris examinare, cum plurimorum pectoribus tam alte inſederit, mearum eſſe partium ratus ſum, non contradicendi petulanti libidine, ſed veritatis eruendæ amore, in id inquirendum adlectus, quod compluribus absque ullo inquiſitionis negotio dudum perſuaſum eſt, nempe inveſtigaturus ſum, cacochymiæ ex cauſa rachitidis proxima reſultantis qualitates, atque cum ex phænomenis in naturam cauſæ devenire mihi animus ſit, diſquirendum omnino incumbit, ob phænomenorum eorundem aliis etiam in morbis adparitionem, num materies morbi in rachitide, de aliorum morborum materiebus participare jure dici queat.

§. II.

Celeberrimus Boerhaave aphor. 1488. de cognoſc. & cur. morbis dubitando quaſi proponit, an non cacochymia rachitica latente forte leni labe venerea ſit permiſta? Ill. Roſen de lue venerea agens, opinatur rachitidem a labe venerea omnino oriri poſſe, en ejus ſententiam, quam p. 676. edit. novæ his verbis proponit: „ ſi parentes lue venerea laborent, naturale eſt, ut ab

„ iis

„ iis generati infantes hac eadem correpti lue in „ lucem edantur; at cum virus venereum tempo- „ re concepti fætus, aut actuoſum & acre, aut „ inactuoſum & debilitatum eſſe poſſit, effectus „ pariter ex eo in infantem redundaturi diverſi ſint „ neceſſe eſt; ſi ea occaſione virus venereum ac- „ tuoſum & acre fuerit, communiter fætus intra „ uterum matris emoritur, hæc eſt ratio cur infe- „ lices ejus generis matres, aut immaturos fætus „ abortu, aut emortuos enitantur; interdum qui- „ dem vivus gignitur fætus, ſed ulceribus plenus, „ & non obſcura ſigna luis venereæ præſeferens. „ Si virus venereum occaſione conceptionis minus „ actuoſum & acre fuerit: infans quidem quoad ad- „ parentiam ſanus, ſed brevi tempore tumorum „ ulcerumque venereorum copia, malum humori- „ bus ſuis irretitum teſtabitur. Sin autem virus ea „ occaſione, vel ex ſe iners & inactuoſum, aut „ ope remediorum, quæ illud debilitare, non ve- „ ro profligare penitus poterant, cicuratum ſit, „ infantes raro lue venerea prehenduntur. Virus „ in hoc caſu quamdam mutationem ſubit, & pro- „ ducit rachitidem, ſcrophulas, aut alia mala, de „ quibus talem latentem cauſam vix unquam quis „ ſuſpicaretur."

§. III.

Atque ne longus in recenſendis diverſorum autorum nominibus ſim, cum omnium una fere ſit opinio, ita unanimiter invaluit, ut rachitis ſemper fere voluptuoſæ parentum vivendi rationi adſcribatur, atque ſæpius vulgivagæ libi-

dinis inculpentur etiam ii, in quorum vitam aliud non cadit exprobrandum, quam quod rachitide dein prehenſos generaverint infantes, quod an recte concludatur, in præſentiarum diſcutiendum eſt.

§. IV.

Si rachitis certam unde pullulet agnoſcit corporis diſpoſitionem, & determinatam morbi materiam habeat, tunc jam ſub prædicta hypotheſi ſequens valeret concluſio: aut omnes infantes rachitide oblatens virus venereum præbendi, aut propriam non eſſe rachitidis orituræ cauſam hoc contagium, neque quid in concluſionis hujus enervationem contrarii adferri poſſe, facile patet. Sed non ita progrediuntur ſententiæ hujus defenſores, aliam longe eligunt viam, dicunt nempe: materiam certam morbi, pro ratione concurrentium aliarum cauſarum coadjuvantium in corpore, varias ſubire poſſe metamorphoſes, & ita aptam quoque reddi ad varias morborum ſpecies producendas; ultra ajunt, determinatam quamvis materiam morbi proprietates non ſemper habere easdem, & eodem gradu, ſed eas eſſe poſſe ſubin intenſiores, ſubinde remiſſiores, atque etiam ratione hujus intenſitatis, aut remiſſionis, diverſam orituram eſſe morbi ſpeciem; atque ſic utcunque ſatisfactum putant quæſtioni mox propoſitæ. Sed liceat ſalva æſtimatione tantorum virorum diſquirere, num his nihil opponi probabiliter queat.

§. V.

§. V.

Materiam morbi variam, ab eadem cauſa excitante morboſa, pro diverſitate temperiei, idioſyncraſiæ, temporis anni, vivendi rationis, commorationis loco, &c. generari poſſe, ex ægrorum obſervationibus liquet, ſed talis materia proprium ſibi characterem, qua talis conſtituatur, non habet, ſed corporis adjuvante diſpoſitione cum tandem adipiſcitur, exemplum eſto in ſordibus chylopoëſeos officinas primas gravantibus: hæ licet diverſiſſimæ eſſe queant, & varios formare videantur morbos, non tamen qua tales in corpus ingeſtæ, ſed coadjuvante corporis diſpoſitione, reſpectu climatis, vivendi rationis, temporis anni, conditionis aëris, morborum corregentium, temperiei, commorationis, aliarumque particularitatum habito, in corpore primo, hanc quam ſignis conteſtantur nocivam nactæ ſunt indolem.

§. VI.

Sed ſunt aliæ quoque morborum cauſæ, quæ characterem ſuum præſeferunt ſemper, & in quocunque corpore, ſub regimine ſex rerum non naturalium, licet contrario prorſus retinent, etſi aliquando actuoſiores fiant, aliquando activæ minus, in hac cauſarum claſſe omnia contagia, contagium variolarum, morbillorum, contagium ſyphilliticum, epidemicæ conſtitutionis qualecunque, & qualecunque peſtilentiale, continentur. Hæ poſteriores cauſæ exiſtentiæ ſuæ rationem non in corporis coadjuvante diſpoſitione, ſed in con-

tagio habent, licet morbi facies, ejusque decurſus, a corporis ita diſpoſiti aptitudine mutari poſſint; ſicut vero corpora quædam, particulari morbi cauſæ reſiſtentia, aut ſaltem ejus progreſſibus obicem ponentia obſervantur, quæ cauſa, ejus morbi quo tentatur, realis exiſtentia huic corporis diſpoſitioni attribui poſſit, ita quoque de corporibus iis judicandum eſt, in quibus ea obſervatur diſpoſitio, quæ, cauſæ morbificæ actionem adjuvat, non enim hoc ipſo quod eam adjuvet, illam etiam produxit, exemplo ſunt contagia.

§. VII.

His ſtabilitis videtur virus venereum ſemper omnium ſuarum proprietatum aggregatum junctum in ſe complecti, quibus uniformiter agat ex ſe, ſed precocius tardiusve, pluribus vel paucioribus ſtipatum ſymptomatibus ex diſpoſitione corporis, atque ſi quando contingat effectibus ſuis fruſtrari plenarie adplicitum licet hoc contagium, ejus ratio aut adplicationi ejus inſufficienti, aut citæ nimis ejus expulſioni, aut defectui proprietatum huic contagio ſacrarum debetur, neque enim improbabile eſt, œconomiam animalem quamdam habere in immutandis & enervandis his proprietatibus poteſtatem; certum enim eſt habuiſſe olim eam in producendis, tunc nempe, cum morbus hic lugubri fato hominibus innotuit.

§. VIII.

Videmus autem virus venereum cæteris paribus agere ita, ut præſentiæ ſuæ teſtimonium iis-

iiſdem fere ſemper ſignis edat, ergo propriam habeat naturam, unde proprium morbi genus producat, luem nempe veneream, cum omnibus morbo huic ſubordinatis ſpeciebus; porro ſigna quoque rachitidis ſcimus, & hæc cum ſignis luis venereæ conferendo, recte concludimus, rachitidem ab eadem cauſa, á qua lues venerea pendet, & actuoſa præſupponatur.

§. IX.

Sed an non minus efficax, inactiva, & cicurata hæc cauſa rachitidem producere poteſt? non videtur niſi ſub unica conditione dein dicenda producere poſſe. Sit enim virus venereum cicuratum cauſa rachitidis, nunquam erit cauſa ejus propria, & ad ejus conſtitutionem requiſita, ſed accidentalis, ad morbum quemcunque alium prædiſponens eodem jure, uti ad rachitidem, niſi in omnibus rachiticis virus venereum quis agnoſcere vellet, quod durum videtur; probabilius longo eſt materiam rachitidis, a certa huic morbo propria naſci diſpoſitione, quam diſpoſitionem omnes cauſæ viſcerum & vaſorum debilium, inter quas & ipſum virus venereum cicuratum recenſeri debet, producere poſſint. Neque intereſt, an revera quid de contágio venereo proli communicatum ſit, an ſolum parentes per hóc contagium debilitati, neque tamen amplius venerei, generationi operam locarint, in utroque enim caſu corpus generatur, in quo ſyſtema nerveum motorium debile, morbis iis omnibus viam pandit, quos his ſub conditionibus tam crebro oriri videmus. Interea negari non poteſt, ab hac di-

diſpoſitione, coadjuvante uſu ſex rerum non naturalium produci certam materiem, quæ rachitidis potius, quam aliorum infantilium morborum ſit origo, & cauſa totalis, ſecus enim rurſus ratio, cur rachitis præciſe oriatur, nos deficeret, cum ſola nervorum imbecillitas morbi notionem non abſolvat.

§. X.

Credibile igitur magis videtur, contagium venereum ſeu actuoſum & efficax, ſeu inactivum, atque per non divinandas metamorphoſes cicuratum ſit, materiam rachitidi propriam neutiquam ingredi, neque virus hoc proprie rachitidem unquam ex ſe producere, ſed corpus tenerum ad rachitidem per contagium venereum prædiſponi ſolum, a qua diſpoſitione materia rachitidis propria producatur, a materia luis venereæ diverſiſſima. Idem omnino judicium materia ſcorbutica, ſcrophuloſa, ſtrumoſa poſtulat, neque enim materiæ hæ alia ratione, quam venerea, & longe minore activitate ad rachitidem prædiſponere queunt, etſi verum ſit, quod in prædiſpoſitis ad imbecillitatem nervorum, a concurſu talis materiei, velocius nanciſcatur morbus incrementum.

CAPUT III.

De magis veroſimili circa originem rachitidis opinione.

§. I.

Cum certum ſit, morbum hunc rachitidem veteribus fuiſſe incognitum, & uti jam adnotatum eſt, circa medium ſæculi decimi ſexti & deinceps caput extuliſſe, ſponte conſequitur, ſub eo temporis curriculo quamdam corporibus infantilibus, vel congeneratam fuiſſe, vel aliunde acceſſiſſe diſpoſitionem, cui novi hujus morbi debeatur productio, cum ſecus phænomeni ratio, certo duntaxat tempore obſervati ſit inexplicabilis. Quid autem circa tempus, quo rachitis oriri obſervabatur, his corporibus acciderit, perarduum eſt explicare. Corregnantes eodem tempore morbi, ſi epidemici fuerint, aliquam partem in producenda rachitide habere potuiſſe, inde patet, quia morbi ii, pro diverſitate habitus corporis, temporis anni, commorationis, vivendi rationis &c. cum ſe communiter omnibus admiſceant, varia ſub metamorphoſi ludunt, & corpora vel proſternunt, aut ad alia mala prædiſponunt; ſed hæc explicatio rachitidem faceret hæreditariam, morbi enim populariter graſſantis indolem, corpora parentum labefactando, & ad debilitatem prædiſponendo, ipſum etiam vi generationis exiturum fætum, noxia ſua virtute tingere poſſe admittendum foret, ſed hoc utique nullum foret piaculum; ſi enim omnia ſine præju-

judiciis expendantur, non video, cur hæmoptoe, podagra, ſcirrhus &c. meliore jure mala hæreditaria dici poſſint, quam rachitis: in his enim malis recenſitis nihil eſt, niſi diſpoſitio, quam infantes jure hæreditario conſequuntur, morbo ſerius longe & tunc tantum erumpente, ſi infantes adultiores facti, prophaſi parentibus communi ſe exponant, cur autem talis diſpoſitio ad rachitidem hæreditario jure propagari nequiret, ego non perſpicio. Sed aliud hic ſubeſt, cur a corregentium morborum epidemicorum poteſtate rachitis ſuo tempore producta dici non poſſit, nempe quia rachitis epidemica neutiquam eſt, neque unquam epidemica fuit, ſed endemica potius, locorum humidorum, humilium, paludoſorum amica, & quia nulli populariter graſſantes morbi a rachitidis coætaneis ſcriptoribus deſcripti habentur, quibus rachitis, tanquam reſultatum adſcribi jure poſſit; præterea, quod epidemici morbi, a cauſa quadam communi elemento aëreo intertexta oriantur, quam cauſam cum excitare populus non poſſit, ipſi populariter graſſari & ſævire pergant, neque tamen videatur rachitis occultæ tali communi cauſæ per aëreum elementum circumvectæ in acceptis eſſe referenda, cum & morbi duratio, & ægrorum numerus, & ipſe morbi genius oſtendat, malum hoc non eſſe epidemicum, neque etiam ab epidemico morbo probabiliter derivandum, ſed a producta per peculiarem corporis diſpoſitionem ex uſu ſex rerum non naturalium propria cacochymica materia oriundum.

§. II.

§. II.

An eo tempore in quod epocha rachitidis cadit, adparatus alimentarius ita inmutatus & perverſus eſt, ut viſceribus exinde debilitatis, & ſuccos animales elaborare non potentibus nepotibus congenerari debuerit ea œconomiæ animalis debilitas, quæ rachitidis futuræ ſuppeditavit fundamentum? certe hoc improbabile non eſt; ſi perpendamus vaniſſimum illum ciborum delectum, atque ſollicitam ineptiam, qua adparatum alimentarium olim jam ordinare juſſerant longævitatis ſuæ inimici homines, patebit illos novum hunc alimentorum & condimentorum adparatum adoptaſſe, non ut ſtimulo famis ſatisfacerent, aut machinæ ſuæ reſtaurationi unice vacarent, ſed ut palato blandirentur, & torpida ſua excitarent viſcera, inſcii quod ſtimulo ciborum horum neodelectorum mox evanido, plus fibris motricibus demant, quam addant energiæ, unde toti tandem effæminati reſolvantur; multo adhuc veroſimilior hæc conjectura evadit, ſi conſideremus circa epocham rachitidis vi commercii tam vulgaria facta fuiſſe corpora omnino heteroclita in culinis, eaque omni aromatum ſpecie mire condita, in uſum alimentarium ceſſiſſe, ut etiam jam in abjectiſſimis tuguriis ſe ea inſinuaverit vanitas, qua ſeſe lente interficiunt homines, jure turpiſſima ſenſuum mancipia compellandi.

§. III.

§. III.

Quid ſi autem nec ipſa natura, ob tam immenſe multiplicata vi generationis hominum individua, quaſi labefactata, & hinc primordialem fœtuum ſtructuram debite organiſare amplius jam non potens; neque adparatus alimentarii priſca ſimplicitas reformata, quæ vires naturæ tam efficaciter ſuſtinuit antiquitus, & in ſuo vigore conſervavit, neque morbi hominum genus inde a ſua origine adfligentes, & viribus naturæ inimici, neque vanitas, otium, aut animi adfectus, quidſi inquam præter hæc omnia aliud adhuc ſubſit, ubi de rachitidis origine, & cauſa ad eam prædiſponente quæritur, conſideratione dignum? ita certe videtur. Dum omnia ſine præjudiciis expendimus, dum ſcimus rachitidem, ut ſuo tempore oriri potuerit, certam habere debuiſſe prophaſim, non inepte judicamus, conjecturam, quod ſors tamen lues venerea rachitidis prophaſis fuerit, eſſe attentione dignam. Certum quidem eſt luem veneream ad finem ſæculi decimi quinti, jam inter Hiſpanos, Gallos & Italos fuiſſe notam, hinc ſi rachitidis cauſa occaſionalis ſit lues venerea, rachitidem longe debere eſſe vetuſtiorem epocha illa, ad quam ejus initia retulimus; verum ſi conſideretur virus venereum, eo, quod ad oras noſtras delatum eſt tempore, tam fuiſſe virulentum & indomabile, ut œconomiam animalem peſſumdederit rebelle, & omnes corporis functiones perverterit, illas præcipue, quæ noſtræ ſpeciei propagationi dicatæ ſunt, adparebit illico, impoſſibilem fuiſſe eo tempore, morbi hujus aut ſequelarum ejus, in ſeros nepotes transplanta-

ta-

tationem, & communicationem, ergo ſi rachitis occaſionaliter quomodocunque a viru venereo producta, aut quod probabilius eſt, ſi corpora per virus venereum ſint quomodocunque ita labefactata, ut per generationem ad rachitidem prædiſpoſitos produxerint fætus, neceſſarium eſt, ut rachitidis initia in eam incidant epocham, qua virus venereum mitius factum partium genitalium uſum, utrique ſexui admiſerit, & ſub qua epocha licet venereo malo prehenſi generationi tamen operam dare potuerint, quod ab initio luis venereæ, ob organa genitalia deſtructa, ob humores ad generationem concurrentes, depravatos, & vires naturæ ſuccifas omnino erat impoſſibile. Si autem accuratius omnia expendimus, videtur utique eo tempore, quo rachitis orta obſervabatur, luis venereæ periodus omnino fuiſſe mitior, gonorrheæ enim epocha fere in epocham rachitidis cadit, ſcilicet medio labente ſæculo decimo ſexto, anno circiter 1550. plus, minus, ſymptoma hoc lui venereæ acceſſit; credibile hinc videtur proavos, atavosque dum ſe occaſioni concipiendæ luis exponerent, morbi hujus ſequelas eo tantum tempore in nepotes ſuos propagaſſe, quo virus venereum mitigatum, ut generationis operi vacare poſſent, iisdem conceſſit, & poſt labens medium ſæculum decimum ſextum, eo nempe tempore, quo gonorrhea lui venereæ acceſſit, id contigiſſe, neque tamen eos generaſſe tunc ſemper infantes lue venerea confectos aut iis materiale luis venereæ virus communicaſſe, ſed cum ipſi a lue venerea toti debilitati & enervati forent, cum humor eorum genitalis, a ſtabulante in vicinis locis gonorrhaica materia proprietatum requiſitarum paſſus fuerit diſpendium, in-

 fan-

ſantes quoque generaſſe, quorum corpora debilia & imbecillia valdopere fuerint. Hæc autem congenerata debilitas videtur mihi prædiſpoſitio illa, & cauſa occaſionalis futuræ rachitidis fuiſſe, ſub hac conditione a lue venerea pendens.

§. IV.

Poterat autem & ſub alia conditione a lue venerea debilis ille nervoſo ſyſtemati imprimi caracter, etiamſi luem veneream immediate nihil ad hoc contribuiſſe ſupponamus; nullatenus enim abſurda videtur conjectura, homines, poſtquam veneris nepotulos tam ingentibus premi obſervarent calamitatibus, ut ipſi ab his immunes viverent, perditæ tamen ſuæ phantaſiæ ſatisfacerent, aliam viam, qua ſenſualitati ſuæ vacarent adoptaſſe, & ad manuſtuprationes confugiſſe, ex quibus tanta in eos non redundare mala ſibi perſuaſerunt, quamvis contranaturalis hic ſenſualitatis delectus majorem longe toti œconomiæ animali inferat vim, nervorumque energiam multo efficacius pervertat venere vaga quomodocunque demum exercita; interim idem omnino eſſe patet, ſeu jam elaboratum ſemen a viru venereo corruptum, ſeu œconomia animalis per manuſtuprationes enervata, debitis proprietatibus inſtructum ſemen elaborare impotens, adſumatur: ratio enim cur in ſyſtemate nervoſo recenter generatus fuerit homo debilior, rachitidis orituræ author, eadem ſemper erit, quæ tota aliquot Horatii verſiculis tam egregie explicatur.

Dam-

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

CAPUT IV.

Phænomenorum in rachiticis tam ſenſibus obviorum externorum, quam & per extiſpicia obſervatorum internorum brevis deſcriptio.

§. I.

His in ordine dictis dabo modo adæquatam & ſolennem hujus morbi, ut frequenter vidi, ut in diverſis autoribus legi deſcriptionem, enumerabo omnia conjuncta phænomena, & quæ ſtabiliori lege in cadaveribus inventa ſunt; dein morbum in ſua ſtadia definiam, cauſas ſpecialiores, ſigna prognoſtica explanabo, curamque adornabo.

§. II.

Mirum quanta hujus morbi cum dentitione ſit adfinitas, quantum utriusque commercium; ſub eo enim tempore quo dentes e ſuis alveolis emergunt, rachitidis primordia obſervari ſolent, & ſi ſit, qui adhuc immunis ſit, prodeuntibus dentibus, ex eorum colore flavo, fuſco, nigro, ex mobilitate, & facili elapſu, audacter prædice-

re poſſumus futuram rachitidem. Caro totius corporis molliſſima redditur, flaccida & ubique pendula cutis ut in annoſa muliere venuſtatem deſædat, pedibus non facile inſiſtere addiſcunt, crura curvata ſemicirculum, ac in prima quadratura lunæ deſcribunt, caput paucis tectum capillis, iisque tenuiſſimis grandeſcit, ſuturæ a ſe invicem multum diſtant, & locus ille membranaceus inter os frontis & oſſa bregmatis fontanella dictus, qui in omnibus recenter natis ſerius oſſeus fit, fere nunquam oſſeam duritiem acquirit; frequenter madeſcunt ex magna humoris aquoſi exhalatione in capite, nictitant in latera, frequenter verſus poſteriora, raro ad anteriora; oſſa ejus in extremitatibus circa ſuturarum margines excreſcunt in duros nodos, vario modo defiguratum ubique cranium; præmatura ingenii, & ſenſuum internorum evolutio: vidi tamen binos ſtupidiſſimos ſex annos natos rachiticos, eosque ſomnolentos. Facies pallida & inflata, collum craſſum, magnæ venæ jugulares, & carotidum pulſationes in collo etiam oculis viſibiles, glandula thymus maxima, dura, ſed externi thoracis ſtructura peſſima: ſternum primum in oculos cadit, quod ad jugulum nodoſum, prætumidum, & in ſuo deſcenſu inæquale, vel multum introrſum preſſum, frequentius vero magis in gibbum elevatum: & ubi in mucronem cartilagineum deſinit, in duriſſimum o[illegible] prætumeſcit; vidi etiam prætumuiſſe introrſum & illo grandi tumore ſubſtratum ventriculum ſemper preſſiſſe, quare rarum fuit tempus, quo puer non vomuiſſet. Claviculæ & coſtæ præter hoc quod raro naturalem ſuum decurſum conſervent ſed plurimum miro modo flexæ, ad latera compreſſæ ſint, ad articulationes in varios tumores

con-

configurantur; ſcapulæ depreſſæ, prætumidæ introrſum vel extrorſum; reſpirant difficulter, & gravi dyſpnæa laborant, tuſſiunt, & ſunt, quibus poſt longam, & difficilem tuſſim tenaciſſimus mucus inſtar albuminis ovi exprimitur; vidi etiam ſanguinem e vaſculis pulmonalibus cum muco ejectum. Horrendum in abdomine ſpectaculum, quod externe inſpectum adeo inflatum & tumidum eſt, ut crederes tympanitidem adeſſe, verum hic tumor potius ad regionem epigaſtricam & hypochondria obſervatur, quæ tument utraque; dextrum tamen ſemper magis, quam ſiniſtrum, εντερομφαλος, quem etiam aliquoties vidi, antequam adhuc ſuſpicionem rachitidis habui. Adpetitus raro proſtratus utplurimum eſt ὄρεξις βȣλιμος, hepar in ingentem molem excreſcit, lien prætumidum, etiam nonnunquam valde parvum, contractum, durum, ut in hypochondrio ſiniſtro nullus tumor externus videatur. Scrotum in maſculis pendulum, vulva in fæminis rugoſa, alvus varia eſt, nonnullis tenuis, mucoſa, frequens, aliis dura, vix acribus enematibus ſollicitanda. Spina dorſi male diſpoſita invenitur, quod non ſolum, ut omnia oſſa excreſcat, mirabiles flexuras obtineat, vergit introrſum, & viceverſa, plerumque in eo loco, ubi in ſtatu naturali extrorſum vergit, brachia & femora diſtorta, curvata, prætumida ad articulos, paucis: omnia totius corporis oſſa mollia, & ſi dicere licet, cartilaginea redduntur, oſſa ſpongioſa omnia intumeſcunt, & fiſtuloſa, ad latera compreſſa, potius planum, quam cylindrum formant. Omnes articuli prætumidi, flaccidi, pelvis ob oſſa innominata pubis & ilei excreta, anguſta; ob oſſium infirmitatem, & muſculorum inertiam, eundi, inſiſtendi, cor-

 pus

pus erectum tenendi, inpotentia, hæmorrhagiæ, paralyſes, accedit febris, quæ ex genere hecticarum eſt, depaſcens, toti corpori, ſolo capite, & monſtroſo abdomine excepto, ſceleti ad inſtar emaciationem inducens; ultimum ſunt convulſiones, quibus exſtinquuntur. Clariſſ. Buchner, argentoratenſi in puella 16 annorum, rachitica a ſecundo ætatis anno, tribus ſeptimanis ante obitum, hydrophobiæ ſpeciem obſervavit.

§. III.

Verumtamen hic loci notetur, non multa in initio morbi comparere ex dictis ſigna & ſymptomata, incipit ut dixi ſub dentitione, ſerius etiam, & lente valde ſubcreſcunt pejora, quare nonnunquam protrahitur in multos annos & dantur, qui morbum ſuſtulerunt per decem & viginti annos, donec conſumpti fuerint.

§. IV.

Viſis externis, quæ in decurſu morbi adparent, videnda quoque ſunt, quæ extiſpicia docuerant. Grates hic publicas deferre debeo Medico cuidam Viennenſi, quocum mihi ab aliquibus annis mutua intercedit familiaritas, qui mihi ſuper hæc otio fuit. Totum cadaver flaccidum & pendulum, obediens quodcunque in latus vertas, nec frigore brumali facile rigeſcit, calorem diutius retinet quam quocunque alio morbo exſtinctus homo, etenim thermometrum per duas horas a morte eundem caloris gradum in repetitis experimentis monſtravit, quem gradum Rachitici in vita ſub febris exacerbatione habuerant. In an-

tę-

teriis ſanguis nullus, in venis diſſolutus, rutilans, quaſi arterioſus, & omnia vaſa graciliſſima, tota tunica cellularis conſumpta, excepto in capite & collo, ubi gluten inſtar albuminis ovi tenax inventum fuerat inter cellulas. Diſſectis integumentis communibus in abdomine, muſculi albeſcentes, tenues in conſpectum venerant, peritonæum tenuiſſimum diſciſſum ingentem elaſtici aëris copiam ſonoram emiſit, meſenterium & omentum tenue omni pinguedine orbata, ſed dura corpuſcula ubique in illis offendebantur, quæ diſciſſa, mucum ſpiſſum continebant, vaſa lactea extenſa nudis oculis conſpicua, ventriculus diſtentus, maximus, obtumens hepar verſus hypochondrium ſiniſtrum preſſus, aëre plenus, pylorus ampliatus, & ſuccus graſtricus acidiſſimus, cum alcali ſubito efferveſcens, lateribus ventriculi craſſus mucus aqua difficillime diluendus adhæſit, ſpirans acidum. Duodenum verſus umbilicum recta linea deſcendit multum extenſum, ut credidiſſes alterum eſſe ventriculum, jejunum & ileum ſola extenſione, & muco peccarunt, verum ante valvulam tulpii ingens vermium nidus, muco ſpiſſo, albicante arte confectus magna, cui duo teretes magni, & parvi duodecim ejusdem generis inerant, colon ut plurimum ſitu peccat, & extenſione flatulenta; rectum a nodoſo oſſe ſacro adeo arctatum, ut diſſectum digiti minimi molem non excederet. Hepar valde magnum, albeſcens, multis granulis minimis refertum, ponderoſum; veſicula fellea magna, extenſa, quæ non raro vacua, non raro bilem dilutiſſimam, nunquam vero naturalem continet. Lien modo auctus, modo compreſſus, inæqualis, durus, ſaxeus, ſemper vitioſus invenitur, pancreas magnum & du-

rum. Veſica urinaria magna, extenſa, eſus membranæ tamen incraſſatæ, fuit etiam in duos ſaccos; a tumente oſſe pubis diviſa, verſus ſuperiora preſſa; ſpina dorſi, os ſacrum, & coccygis, omniaque femorum, brachiorum & articulorum oſſa tumida, excreta, & non ſolum excreſcentiæ oſſeæ, ſed ipſa ſubſtantia oſſea in cartilagineam mutata, ut levi vi cultri diſcindi potuerint, rara in illis medulla, ſed utplurimum ſerum coloratum. Thorax macilentus exhibet pulmones cum pleura concretos, coloris pallidi, complanatos, lobulorum miram figuram in diverſis diverſam, a tumidis coſtis, & vitioſis, diſtortis, compreſſis arcubus, in iis interdum nihil præternaturale invenitur, ſunt tamen qui tubercula dura, ſunt qui parvas vomicas invenerunt, aquæ coloratæ major copia in cavo, cor magnum; in encephalo præter dicta vitia externa interdum nihil ſe manifeſtat, frequentius tamen meninges arcte cum oſſibus cranii mollibus cohærent, dura mater in ſectis ab hoc morbo cadaveribus, pertinaciter cultro anatomico reſiſtit, vaſa reptantia in corticali cerebri ſubſtantia ampliata, venæ plurimum ſanguine turgent, cerebri compages mollis, nonnunquam diffluens, ventriculi laterales partim humidiores, partim aqua pleniores, tertius ventriculus colorato ſero turgidiſſimus, eſt tamen nonnunquam ubi nihil inveṅias; ventriculum quartum plures offenderunt, muco ſpiſſiore oppletum.

CA-

CAPUT V.

De rachitide in ſpecie, ejusque cauſis, tum proxima, tum remotis.

§. I.

Rachitis paucis definiri non poteſt, ſed ex cauſa ejus proxima, & conjunctis ſymptomatibus late deſcribi. Voco ergo morbum ſpinæ, infantibus communem, a ſolidorum laxitate, vappida & mucoſa humorum inertia, cui acrimonia ſemper utplurimum acida conjuncta eſt, natum, propriis ſuis ſymptomatibus ſtipatum, oſſa adficientem.

§. II.

Varia hallucinati ſunt Medici, ut cauſam proximam determinare valerent. Sententia Gliſſonii diu viguit, qui eam in inæquali nutritione partium conſiſtere credidit, ita quidem, ut plurima nutrimenti pars ad oſſa, minima ad nervos deferatur. Quæritur autem hujus malæ diſpoſitionis cauſa? Si plus nutrimenti adfertur, cur oſſa cartilaginea redduntur? Cur non in duriorem ab adlato nutrimento oſſeo, ſubſtantiam mutantur? cur tam mira anatomica, & tamen non ſemper eadem. Succeſſit dein Majovius, qui in ea opinione fuit, nervis e medulla ſpinali exortis obſtructionem adeſſe, ergo fluidum nerveum per eos fluere prohiberi, debere ergo per eos, qui a cerebro exoriuntur longe majori copia diſpenſari. Quæ eſt illa obſtructio, unde eſt enata?

 Qua-

quare tam longo tempore ſine inferiorum paralyſi vivunt? alia commenta prætereo, quæ de tempore in tempus dominatum geſſerant.

§. III.

Primus Bonnetus in ſepulchreto ſuo anatomico Lib. 2do Sect. 12ma eam quæſivit in ſolidis & fluidis, quem imitatus Boerhave, ejusque hucdum ſinceri diſcipuli omnes, & cum illis ego ſtatuo, eſſe ſolidorum ingentem laxitatem & flacciditatem, humorum vero degenerationem mucoſam, ſpiſſam, cui ſe adſociat acrimonia; acidum vero ſemper docuerant cadaverum ſectiones inſtituta cum humoribus inventis experimenta, felixque per antacida curatio, veneream & ſcorbuticam acrimoniam, pro morbi eſſentia rejicio. Sublatet quidem adhuc huic cauſæ proximæ ingens dubium, nam completa nonnunquam adeſt, & tamen rachitis abeſt; verum ubi ea adeſt, deberet morbus ſemper adeſſe, & ea abeſſe, tanta eſt cauſæ proximæ cum morbo adfinitas: puellæ, quæ chloroſi laborant, ingenti ſolidorum flacciditate, & humorum mucoſa ſpiſſitudine donatæ ſunt, & acrimonia ſaltem in primis viis, ſtabulanti muco intricata, adeo acida eſt, ut ſpontaneo adpetitu in abſorbentes terras, calcem, vel in fæda ferantur, ut in propriis etiam devoratis fæcibus nonnullæ ſummas delicias invenerint, quæ ergo eſt ratio, cur his oſſium epiphyſes non excreſcant? cur non fiant rachiticæ? an forte acrimonia in ſecundis viis jam humores adficiens, ut in rachiticis eſt, tantum rachitidem efficit, & in chloroticis in ſolis primis viis inepta adhuc eſt? an in chloroſi, quæ circa menſtruorum obve-

venit tempus, firmiora jam facta oſſa, rigidiores muſculi, nervique compactiores, materiæ morbi efficacius reſiſtunt? viſceraque quæ rachitidi ſubjecta ſunt, ampliorem nacta firmitatem excipiuntur? an debilis character ſemini virili imeptum nutrimentum primo Rachitidis ſtamina ſavent? magna veriſimilitudo: etenim nervi ab origine ſua debilitati, nullum amplius facile admittunt robur, dum tamen mars, chloroticarum flaccidis muſculis brevi temporis ſpatio tonum, & mucoſæ humorum indoli majorem compactionem & rubedinem conciliat, ergo cauſæ proximæ abſolute adjungenda eſt nervorum a ſua origine inducta debilitas.

§. IV.

Inſons in utero materno conceptus homunculus, hanc nervorum debilitatem ex parentum vitiis jam luere incipit, & eo magis luit, quo vitia fuerint ſceleratiora. Parentes, qui præmatura venere etiam puriſſima, eaque frequenti, licita aut illicita uſi ſunt, progenerabunt proles ad hunc morbum diſpoſitas, & nemo facile id negare audebit, qui conditiones ſeminis, utpote humoris totius fabricæ elaboratiſſimi, cum conditione nondum firmati in juventute corporis comparat. Optimi adlati ſanguinis, ingentis liquidi nervei ad teſtes pro ejus elaboratione adfluentis diſpendium, frequens muſculorum ſub venereis ludibriis convulſiva actio, quantum debilitabunt machinam, quæ ſanguine, ſpiritibus eget, ut evolvatur, evoluta confortetur, confortata tandem ſui ſpeciem proferat. Verum in nimia ejus depertitione, non ſolum ea quæ generationi dicata

cata ſunt viſcera, ſed & tota chylopoeſos officina, ſenſus interni & externi hebetiores fiunt, & pulmonibus non curanda infliguntur vulnera. Docuit ea vitia, quæ nimium ſubſequuntur ſeminis deperditionem ex aſſe Celeber. Tiſſot in libello, quem de onania condidit, quo totam fabricam debilitari humanam demonſtrat, ſed in tanta machinæ debilitate ipſum quoque ſpirituoſum ſemen aliquid amittere, quod futuro homini robur abnegat, neceſſum eſt. Ad hanc cauſam prædiſponentem convoco omne genus vitiorum, in quibus ſe quondam volutarunt parentes, quæque inſeparabilem ſecum conjunctam gerunt debilitatem; ſunt tales, qui frequentius gonorrhæa, aut graviore adhuc ſyphilliticæ adfectionis ſpecie laborarunt, in quibus ut venereum virus eliminetur vel invertatur, alii ſimul, & melioris generis humores una educuntur, vel ſaltem multum & veneno, & antitodis medicamentis deſtruuntur; illi pariter, qui nimiis ſtudiis, & vel maxime lucubrationibus nocturnis circa objecta ardua ſuas peſſumdederunt vires, & in provectiore ætate nuptias celebraverant; horum corpora ſtudiis attrita, humoresque inſpiſſati non poſſunt id ſpirituoſum utero fœmineo infundere ſemen, ex quo robuſtus enaſcatur homo, ſed totus in ſua compage maxime nervea deſtructus naſcetur fætus. Tale quoque evappidum ſemen ſub coitu in uterum immittunt illi, qui vel ex gravi morbo acuto mox ſurgunt, qui morbo chronico, ſpecialiter conſumptivo laborantes rem cum muliere agunt, & illi parentes, quorum Deus venter eſt, quique in otio, lauta tamen diæta ſuos conſumunt dies, ſuam progeniem rachiticam ante dies exſtingui vident.

§. V.

§. V.

Sunt incolæ populoſiſſimarum urbium, in quibus aër alioquin, ut jam dixi, ad firmitatem corpori conciliandam totus ineptus eſt, ſi præterea eorum vivendi ratio perpendatur, perſpectu facile eſt, quantùm ſe machina debilitet & deſtruat. Mane in molli lecto adhuc ad decimam & ultra horam inveniuntur, ſumto jentaculo, quod præprimis in abuſu Coffée, & lactis conſiſtit, ſedentes, & inutilem librum, ut tamen fallant horam, donec prandium adponatur, legentes, ſine omni corporeo motu quieſcunt, adponuntur modo omnis generis exquiſitiſſima fercula, inter ea frequentiſſima, quæ corpori ſumme ſunt offenſa aromata, compoſita ex omni regno, dulcia, mellita, ſaccharata, pinguia, fumo & ſale indurata, opipara, quibus opplent ventriculum, vina ſtimulantiſſima ex omni regione adlata, dulcia, arte confecta; ita finiunt duas tresve, ſi conſodales & compotatores adſint, horas, & cum ab egregio paſtu quieſcere oporteat, ideo luſus inſtituitur ut quieti exſpectent horam ſpectaculi, qua, ſua ingrediuntur carpenta, tanta fabricata arte, ut ab omni motu liberrimi tantum emetiri poſſint iter. Perpeſſo ſpirituum, qui ſub ſpectaculo diſſipantur labore, humores diluendi ſunt potibus theatis, & mens recreanda luſu ſedentario, qui ante duodecimam nocturnam raro, frequentius poſt finitur. Spuria fames tunc jam iterum urget, cui iisdem ac in prandio ſatisfaciendum eſt, ſubrepit denique a tantis laboribus diurnis ſomnus: ita incipiunt menſem, ita finiunt annum, o pulchrum vitæ regimen, ſub quo etiam robuſtiſſimum corpus tandem ſuccumbit! Etenim ad perfectam ſanita-

tem

tem requiſitæ actiones ſic ſenſim vitiari debent, & vel maxime determinatus tonus fibrarum, qui vaſibus omnibus & viſceribus ſufficiens addit robur, quo æqualis circulatio, ſecretio & excretio, & functionum in viſceribus aptitudo conſervatur. Verum in otioſa, lautaque vita, omnis fibrarum tonus amittitur, vaſa relaxantur & debilitantur quo inepta ſunt ad fluida, quæ talibus ingeſtis ſpiſſiora jam facta ſunt, propellenda, ideo in vaſis minimis viſcerum abdominalium primo, dein etiam aliorum ſtagnant, functiones lædunt, ſecretiones difficilius procedunt, actiones ad quarum uſus ſecreti humores deſtinati ſunt, hebetantur, & ſtagnantes humores degenerant in mucoſam acrem indolem. Semen eſt humor ex ſanguine ſecretus, ex mucoſo ſanguine, quale ſecernetur ſemen? quid adhuc de ipſis dicam nervis; qui æque ac muſculorum fibræ totum ſuum robur in hoc perverſo vitæ genere perdunt; eſt nervis quædam non explicanda virtus, aliquibus elaſticitatis gradum eam vocare placuit, inſita, qua fit ut ab objectis debite adficiantur, ea adfectio vero, dum virtute ſua elaſticitatis privati ſunt, tanta eſt, ut ſenſatio fiat talis, quæ totam machinam pervertit, quod toties hyſtericæ fæminæ practicos docent; ob has rationes infeliciores ſunt nati ex altiore & ditiore ſtirpe infantes, quorum numerus multum exſuperat rachiticos inferioris ſortis infantes.

§. VI.

Has omnes prædiſponentes cauſas Boerhave in Aphoriſ. 1482. poſuit, quas complementi loco proferam; „ Rachitis maxime infeſta eſt li-
„ beris,

„ beris, quorum parentes, laxa & debili condi-
„ tione corporis, otioſi, molles, opipara menſa,
„ cibis pinguibus, ſacharatis, pane pauco, vinis
„ dulciſſimis, & aqua multa calida uſi ſunt. “
Plura de his cupienti non comparandus Boerhavii commentator Illuſtriſſ. van Swieten ad hunc Aphoriſmum ſatisfaciet, qui etiam malam gravidæ matris diætam, vel ſi ea gravi adfligatur morbo, quo multum debilitatur, pro cauſa prædiſponente ponit, & ita eſſe ex dictis palam eſt, unde etiam Oſterdick Schacht Capit. 6to de Rachitide „ frequens abor-
„ tus, an & rarior diſponit? „ reſponderi poteſt.

§. VII.

Naſcitur ita ex inerti maſculino ſemine in utero materno conceptus, & debilior adhuc factus, ſi mater ſub tempore graviditatis libidinibus iisdem, quibus ſe deſtruxit pater, indulſit, fætus; vel ſi ſub ſancto hoc tempore potibus diluentibus, theatis, coffée, lacte, otio uterum relaxavit, ſanguinem pro nutritione fætus deſtinatum, corrumpit, & traditur ineptæ utplurimum, ut nutriatur, & educetur, nutrici. Certe prudentia ſuadet, ut ſubſtituatur nutrix, quam ut ex vitioſo matris lacte, vitioſior evadat recens natus, & ſi ſors tulerit, ut bonis qualitatibus gaudeat electa, ex qua ſugit pabulum, excreſcit quandoque tenellus in firmum, omni peccato parentum immunem heroem: ſed hic labor, hoc opus eſt, ut ea ex communi ſorte extrahatur, quæ omnibus virtutibus bonæ nutricis donata eſt; ubique fere deſcripta habentur ſigna, quibus utuntur Medici in nutricum electione, verum cum quædam particularia

no-

notanda ſint, dum rachitidem prætimemus in infante a vitio parentum, vel quod ii in ſua juventute eodem morbo adfecti fuerint, ea paucis hic adnotabo: Primo debet eligi talis, quæ ſimilem corporis conſtitutionem habet, ac mater, & ſit ætatis a 24to usque ad 32dum annum; tempus a partu optimum eſt, ſi menſis tertius ſit elapſus, in aliis circumſtantiis anno juniorem a partu, quia lac dilutius, magisque ſeroſum eſt, quam elapſis menſibus pluribus; verum diſpoſitione ad rachitidem elaboratum lac confortabit longe melius; præeligo bene coloratas, & quæ potius in colorem nigrum vergunt, capillis nigris, & nigricantibus ciliis & ſuperciliis donatæ ſunt, quæque ruſticano labore tempore graviditatis ſuum corpus exercitarunt: urbanas, pallidas, ruffas rejiciendas ſemper ſuadeo, plerumque in his lac in acidum promptiſſimum eſt; ubera parum a pectore pendula, lacte plena, non nimis magna, papillas exſtantes fuſci coloris, areolam amplam coloris profunde fuſci, aut potius nigricantis; lac ex leviſſimo cæruleo album, inodorum, ſubdulce, non ſpiſſum, minus tamen aquoſum habeat; morboſas omnes, ex ore fætentes, malis gingivis, carioſis dentibus defædas, quarum ſudor acidum, vel alium perverſum odorem ſpargit, exulceratas, albo fluore, ſcirrhis, rachitidis ſtigmatibus laborantes, nemo prudens ſuſcipit. Electa bona, moribus & corpore deſcripto ſana, non facile mutet vitæ regimen, farinacea quibus adſueta fuit, olera, legumina, carnes, & ea aſſatæ omnis generis conducunt nutrici, & vel maxime, ſi corpus conſuetis ſuis laboribus exerceat. ruri ubi aër ſerenus & ſanus, in regione, quæ collibus, & planis agris, & pratis variat, in ſpatioſo cubi-

biculo orientem reſpicienti, a paludoſis & fœtidis locis diſſito, jam plurimum reficientis habet; & lac confectum hoc vitæ genere, pro alumno contra rachitidem verum antidoti titulum meretur.

§. VIII.

Verum uti bona nutrix ad rachitidem diſpoſitum infantem aliquando eximere poteſt, ita pluries cauſa rachitidis in nutricibus quærenda eſt; ſacro concutior horrore, ſi a ſana matre, infanti ſuo ubera denegari inaudiam, & heu! inaudimus hoc tempore frequentiſſime. Neſcio, quæ regio primam pepererat monſtroſam matrem, quæ omnem exuit humanitatem, ut crudelior beſtiis, non conceſſerit pabulum, a natura tamen deſtinatum ſuo, quem ejus uterus nutrivit prius, infanti. Refert nobis græcus orator Demoſthenes, coram judice accuſatas & reas fuiſſe matres in Græcia, quæ ſanctum hoc maternum munus neglexerant, & Cæſar etiam romanas mulieres hoc crimine ſuſpectas in jus prehendit. Tacitus Germanos laudat, & eorum invincibilem florente romana republica fortitudinem, inter cæteras habet cauſas, quod omnes materno lacte educati fuerint. Poſt Strabonem ingens Hiſtoricus Chardinus, in Georgia, perſarum imperio ſubjecta provincia, populi pulchritudinem lactationi maternæ adſcribit; hoc ſanctum naturæ decretum, adeo vilipenditur noſtro tempore, ut multæ ſibi vitio verterent, ſi obedirent. Diſcant matres, quæ incolunt regiones, in quibus jura, ſcientiæ, artes florent, a barbaris: aſt quo humanitate magis efferatus eſt populus, eo diligentius huic juri naturæ obſequitur. Chinenſes præmiis donantur; in diverſis

aliis barbarorum provinciis, ad diverſas dignitates evehuntur lactantes matres, & ipſi denique antropophagi proprio materno lacte educantur. Scio quidem diverſas eas, quas adferunt excuſationes, ſed inter omnes frequentiſſima eſt, quod pectoris morbo laborent, vel immineat ab humorum nutritiorum depertitione, conſumptio. Sed hoc dubium ſolvit Mortonus Capitulo de Phthiſi: qui macilentas, ad phthiſim diſpoſitas, obſervavit per lactationem ab illo conſumptivo morbo exceptas manſiſſe. Propria lactatio juvat & matrem, juvat & infantem; ne longus ſim in aſſerti demonſtratione, Commentaria Illuſtriſſ. van Swieten de Morbis puerperarum & infantum legenda ſuadeo; eas ſolummodo excipio matres, quæ morbo hæreditario, vel acrimonia humorum laborant, cæteris omnibus lactationem conſulo, etenim ſi nutrix ſubſtituatur ſanæ matri, morboſa illa eſſe poteſt, & infantem a ſanis etiam parentibus natum, rachiticum efformare. Dum nutrix eligitur, raro advocatur Medicus, utplurimum graviſſimum hoc negotium ſoli ſtolidæ & ineptæ committitur obſtetrici, quæ ſi dentes & gingivas inſpexit, totum jam opus conſummavit, & ita nonnunquam debilis, phlegmatica, quondam rachitica, venerea, ſcorbutica, arthritica, epileptica, ſcirrhoſa, cancroſa, &c. &c. pro dandis uberibus ſuſcipitur, verum infans cum lacte ſugit ipſum morbi characterem, & ſi graviore non puniatur malo, ſaltem certo certius fit rachiticus.

§. IX.

Alia adhuc magni momenti patrantur vitia, in infantum educatione, quæ infantibus jam diſpo-

ſpoſitis rachitidem excitant, & Boerhaave in Aphor. 1484to ea conſtringit ad ſequentia: præprimis ad moram in aëre humido & frigido, ad quietem, & neglecta cum infante exercitia, ad victum humidum & frigidum ex pane non bene fermentato, ſacharatis, dulcibus, mellitis, fructibus horæis, ex potu aquoſo, calido; ad ſorditiem, balnea, unguenta ſaturnina, mercurialia fomenta aquoſa, tepida; ad morbos chronicos, febres autumnales, ulcera &c. &c. Omnes hæ cauſæ non poſſunt non relaxare ſolida, & fluida mucoſa reddere, muſculos ſuo privare vigore, & nervis ſuam demere energiam.

§. X.

A debilibus parentibus natus, beneficio materni lactis privatus, miſeræ nutricis curæ traditur: primum quod culpo, ſunt faſciæ quibus tenellus ſtudioſiſſime obvolvitur. Ut ſileam centena, quæ a male adplicatis faſciis obveniunt mala, cauſam rachitidis frequenter ſubeſſe tantum demonſtrabo: in utero materno liberrime aquis innatavit, natus firmiſſime ſtringitur, cui non adſuetus dolet, ejulat, inde læditur digeſtio, & læditur magis, quia privata eſt adminiculo, quod a libero extremitatum, & omnium muſculorum exercitio faſciis conſtrictorum, ei accedere deberet; verum mero lacte nutritur, ſed lac indigeſtum naturam ſuam ſequetur, & in acidum utpote cauſam rachitidis degenerabit; inæqualis circulatio, membrorum diſtorſiones, oſſium incrementa, in multis vaſis ſtagnatio, ſtagnantium degeneratio in mucoſam indolem, quæ rachitidis natura eſt, inde intelliguntur.

§. XI.

Frequens hujus morbi cauſa excitans, in aëre cubiculi invenitur; raro ſpatioſum & amplum infantibus conceditur, arctum ergaſtulum ſufficiens creditur, in quo adhuc ſi numeroſior ſit familia, plures ſimul infantes una cum conductis ancillis continentur, nec aëri libero acceſſus, nec ejus neceſſaria renovatio conceditur; ſi modo cogitemus, quanta ſit excretio inſenſibilis perſpirationis, excrementorum alvi, urinæ, &c. &c. quæ diu a negligentibus adſtantibus in cubili relinquuntur, putridis ſuis vaporibus elaſticitatem aëris deſtruunt, & reſpirationi reddunt ineptum. Clariſſ. Ballexert in tali aëre obſervavit, infantes nec ubera ſugere potuiſſe; plurimum in eo patitur nervorum ſyſtema, quare in templis, in magnis congreſſibus, præſertim æſtate, debiliores animo linquuntur, & epileptici paroxiſmo ſuo tentantur; reſolvit ita deſtructus aër ſolida, & ſummam iis inducit flacciditatem: *(quod talis aër privatus ſuis, hoc publicus omnibus diſpoſitis non ſolum minatur, ſed & promovet).*

§. XII.

In locis humidis, paludoſis, maritimis, & fluviis propinquis, plures numerantur rachitici, quam in montanis & ſiccis, & qui infantes in ſubterraneis ſpeluncis, quas quondam aquæ inundarunt, educantur, fere omnes evadunt rachitici: idcirco Viennenſis ditio, quæ verſus Septentrionem ſita eſt, & Danubii inundationibus expoſita, feracior hujus morbi mater mihi videtur; plures ego inveni in Leopoldina, & eo urbis margi-

gine, qui fluvio vicinus eſt, habitationes, in quibus ipſis muris ob ingratam & fœdam exhalationem variegato colore pictis, craſſum, ſubpinque, ex virideſcenti cæruleum, inſtar lanuginis, intolerabilem fætorem ſpargens adhæſit gluten, quod non ſolum veſtes, & duriſſima ligna cito ſolvit, & corrumpit, ſed & ipſam ferri ſuperficiem in rubiginem mutare capax fuit; & ſi ruri rachitici deprehenduntur, huic cauſæ, & malæ diætæ, vel & ipſis ſordibus adſcribendum eſt, ſi ex paupertate preſſi, vel laboribus impediti lintea natibus infantum ſuppoſita renovare non poſſint: quod vitium ſæpe inter urbanas, & ipſas etiam magnatum familias ſe inſinuat, dum grave ſtirpis educandæ negotium ſoli mulieri auro conductæ, confiditur, jacet ſæpe infans ſuis in ſpurcitiis per horas & nova, quæ ſubponunt lintea, ſemihumida, totum corpus, ac ſi tepidum fomentum leniter alcalinum adplicuiſſes, macerant, nerviſque omnem tonum abalienant; hanc cauſam adaugent alimenta, quam ii, quibus materno lacte in libero aëre veſci fas eſt, raro experiuntur; verum ii, qui a parentibus tanquam profani projecti, & nutrice aliena educantur, huic legi ſubjacent. Lac maternum ſolum ſufficit ad famem domandam, per menſes, & ſi vires majores conſumentes ſuccreverint, novit maternus amor ex lacte præparare innocua lacticinia, ut nutriatur infans, qui ſolis conſtat maternis humoribus. Verum omnis nutricum, & mulierum chorus negligenti arte præparant ex farina cum lacte igne inſpiſſatum notum illud commune, nomine alimenti indignum, venenum infantum, pulticulam dictum: ſumunt lactis quantum placet, & ut tempori inſpiſſandi parcant, immenſam farinæ quanti-

titatem addunt; vim ignis, ut glutinoſa farinæ pars attenuaretur, non diu ſpurcum illud compoſitum experitur, ideo manet paſta duriſſimæ concoctionis, qua nihil actuoſius excogitari poteſt, quod adeo vaſa minima obſtruere, & glandulas obturare poſſit, male concocta in acidum degenerat, quod ſolida relaxat, & rachitidis completa ſit cauſſa. Spiſſum illud pabulum, ipſa dura meſſorum ilea nonniſi ſumma cum difficultate ſubigunt, quid tenelli tenerrima viſcera? Suadet Illuſtriſſ. van Swieten, ut farinæ loco panis biscoctus pulticulam ingrediatur: difficile vero eſt, ut præjudicio adeo radicato privari poſſint, diverſas inveniunt excuſationes, quibus decipiunt prudentem medicum; et ſi adeo pertinacem offendas cuſtodem, non velim conſulere ut ulterius urgeas, ne majoris momenti excogitando adhuc periculoſiora tentet. Suaderem ego, ut ſaltem farinam prius in ſartagine ferrea torreant miniſtrantes, quo artificio ſuam mucilaginem abundantem deperdat, & plurimum lactis, parum vero farinæ accipiant, diuque ſupra ignem excoquant; juvat etiam alterna pulticulæ, & juſculi, cui fermentatus panis incoctus, & ad pultis conſiſtentiam coctus eſt, mutatio.

§. XIII.

Non ignobilior rachitidis cauſa eſt infantum educatio ſine lacteo alimento ex uberibus fœmininis educto: hos vocant Germani die Waſſerkinder, deteſtandus ille mos, ut homo indignus homine æſtimetur: ſumunt diverſi diverſa decocta mucilaginoſa, hordeum, oryzam, althæam, liquiritiam, addunt paſſularum ſpecies, caricas,

fa-

ſacharum &c. &c., miſcent parum vaccini lactis, & ita alimentum & potulentum artificiale confectum datur infanti recenter nato, qui clamare, ejulare, poculum ab ore removere incipit, quia huic alieno potui prorſus non adſuevit; ut quieſcat, ſileat, formantur ex pane biſcocto & ſacharo, linteo obductæ turundæ, quas ori imprimunt, ut diu noctuque nociva illa dulcia ſugat: verum dulcia, ſacharata, mellita, ſua ſaponacea vi relaxant ſolida, & in fluidis mucum generant, ideo hæc Boerhaave inter rachitidis cauſas frequentiores recenſuit. Fomenta aquoſa laxantia, unguenta oleoſa, mercurii aut ſaturni adeo nervis inimici illinitio, balnea tepidæ aquæ infantibus adhibita ob eandem rationem intelliguntur. Ubi tandem adultiores ætate infantes alia adſumere cupiunt, ingenti copia fructuum hortorum ſaginantur, qui ſi maturi fuerint abuſu ſolo nocent, inducendo debilitatem & nervorum atoniam; dum vero corrupti, vel immaturi vorantur, acido ſuo auſtero inficiunt humores; chronicis morbis vel febribus intermittentibus diu perpeſſis, quæ vel ſummam poſt ſe relinquunt debilitatem, vel abdominis non facili negotio reſerandas obſtructiones, eluctantes infantes, rachiticos evaſiſſe, docuit Fonſeca. Scabies & achores, cæteraque exanthematum infantilium genera, mala arte retropulſa, ut & ulcerum fluxus, qui frequens ex auribus eſt, inhibitus, ut omnem morbum, ſic etiam rachitidem inficiendo humores acrimonia, progenerant; has cauſas obſervatores reliquerunt rachitidem excitaſſe. Ita in nervoſo ſyſtemate debilitatus infans vivit vitam languidiſſimam, & ex ſolidorum inertia degenerant fluida in tenacem mucum; ex mala diæta, vel ſpontanea aſſump-

torum, & inquilinorum humorum corruptione, acrimonia imprægnatur corpus: totum hoc compoſitum vocari poteſt cacochymia rachitica, uno abſente nunquam eſt futura rachitis, unde manifeſtum eſt, cauſam rachitidis proximam, ex concurſu plurium omnino cauſarum eſſe deducendam.

CAPUT. VI.

De rachitidis ſignis diagnoſticis, & prognoſticis.

§. I.

Completa cacochymia rachitica diu, interdum non tam diu deliteſcit in corpuſculo infantis, ſi mala diæta continuata quotidie actuoſior evehatur, & primum quod amat deſtruere, ſunt firmiſſimæ totius corporis humani partes, oſſa nempe; & inter illa ſibi ſeligit duriſſima, in quæ furit, dentes, quos colore defædat nigro, & carie deſtruit; dein adgreditur oſſa femoris, tibias, quas fere in cartilaginem, ſi ita loqui fas eſt, mutat, tandem plane in omnem partem flexibilia, ut inepta corpori ſuſtentando fiant, ſolvit, & eorum extremitates excreſcere facit; vel frequentius oſſa exſiccando & muſculos conſumendo immobiles articulos reddit. Inde nata eſt celebris rachitidis diviſio, in perfectam, & imperfectam: hanc adeſſe dicunt, quando epiphyſes quidem intumeſcunt, ſed ægri adhuc incedere valent: illam, dum non amplius inſiſtere pedibus poſſunt, ſed continuo ſede-

dere, vel decumbere coguntur miſeri. Quod de oſſibus pedum dictum eſt, hoc ſuccreſcit in oſſibus innominatis, in coſtis, ſcapulis, claviculis, in humeri oſſibus, ulna, radio, & carpo, in metacarpo & metatarſo, in digitis, omnibus oſſibus cranii, totiusque ſpinæ, quæ in extremitatibus in fungoſum os excreſcunt, & in nodos & tophos mutantur: in medio oſſa cylindrica plerumque exſiccata cum ſint, docent, cur tam facile ſi cogantur incedere, frangantur.

§. II.

Multas aſſignarunt Authores, & diverſiſſimas rationes, cur cacochymia rachitica adeo infeſta ſit primario oſſibus, & inter omnes ea mihi adhucdum arriſit, quod participet plurimum de acida acrimonia; nihil vero eſt inventum, quod adeo rodat terreſtre oſſium elementum, quam acidum, quod illud conſumit, & duriſſima oſſa nulla vi flexibilia, in flexibilem cartilaginem mutare valeat ita, ut etiam in pavimentum projectum reſiliverit. Illuſtriſſ. van Swieten de rachitide: Repetii experimenta in aqua forti diluta, & veritate convictus ſcribo, ſed acida eſt acrimonia in rachiticis, ergo nullum ſubeſt miraculum, cur primo adgrediatur oſſa; promoventur adhuc oſſium excreſcentiæ, ſi pedibus inſiſtere & procedere cogantur, quia tunc totus truncus oſſibus inferioribus mollibus incumbit, quo longitudine imminuuntur, ſed in proceſſibus vel extremitatibus intumeſcere debent compreſſa. Manus vero, cum ſedent, inſtar ſuſtentaculi maxillæ inferiori imponunt, & ſuſtentant grave caput, quare easdem

excreſcentias experiuntur: verum eadem acrimonia corrodit quoque & conſumit muſculorum carnem, inde altera motus impotentia, & extenuatio maxime extremitatum perſpicitur, cur caput erectum ſuſtinere nequeant, cur reſpiratio difficilius procedat, ex deſtructo muſculari ſyſtemate, & vocis tarditas, ſeroque modulata lingua ex nervis torpidis, ingenium vero perſpicax ex cerebri mollitie explicatur.

§. III.

Ingens hepar, prætumidum abdomen, inteſtina turgida, a debilibus fibris facile dilatandis, collectisque flatibus, adpetitus ingens a prædominante acido in ventriculo, viſcerum obſtructiones & glandularum infarctus a ſpiſſis mucoſis circulantibus humoribus obſtruentibus, a quibus etiam illa ſtertoroſa reſpiratio aſthmatica, & in diverſis locis inventum gluten habetur; hæmorrhagiæ ex acri ſanguine debilia vaſa erodente, & ſomnolentia ex muco cerebrum comprimente inducitur. Dum acer ille humor in minimis oſſeis lamellis, quæ mirabilem illam cellularem ſubſtantiam formant, oleum colligentem, ſtagnat, diuturnitate temporis majorem adhuc nanciſcitur acrimoniam, qua medullare oleum inficit, & totum os deſtruit, unde oſſis eroſio peſſima, & ejus exfoliatio; quod malum cum a cauſa interna fiat, & os peſſumdetur ab humoribus interne adfectis, ſpina ventoſa dicitur; qui ex rachitide emergunt, utplurimum profundis ad oſſa ſtigmatibus prægreſſi mali ſigna præſeferunt; ſed emergunt tantum, ſi ſpina ventoſa jam accedens topice os adficiat, etenim pluribus malo

com-

communicato ipſe ſanguis a majori oleoſa corruptione abſorpta, totus deſtruitur, & febris, quæ inde accenditur, toti corpori ſceletinam depaſcentiam inducit, qua blande nonnulli finiunt diem, alii convulſivi moriuntur.

§. IV.

Quæri hic poteſt cur prima mali veſtigia eluceſcant circa dentitionis tempus? oportet ut omnia phænomena rite perſpiciamus, quæ ſub dentitione contingunt: dum dens ex ſuo alveolo prorumpit, gingivas findendo ſummum excitat dolorem, quo gingivarum caro intumeſcit, plus rubet, inflammatur, & frequentes convulſiones oriuntur ob doloris vehementiam, ſed ad locum inflammatum major eſt humorum adfluxus, in ore eſt ſaliva, hanc deglutiunt, ideo haud raro diarrhæam ſub dentitione experiuntur dentientes; ergo cauſa eſt quærenda, vel in dolore vel in inflammatoria febre, vel in deglutita ſaliva. In dolore non eſt, quia in eo nervi ſunt tenſi, in rachitide vero relaxati, niſi eam admittere velis rationem, quod ſub dolore multum irrequieti clament, & ventriculi coctionem impediant, quo fieret, ut non concoctus alimentaris humor, & irritatio inflammatoria cacochymiam rachiticam jam latentem evolvat; in febre inflammatoria, nonniſi ſub dicta ratione cauſa latere poteſt, cum morbus inflammatorius & cacochymia rachitica, ſint ſibi diametraliter oppoſita; ergo ratio eſſe debet in deglutita majori copia ſalivæ, quæ ſua virtute ſolvente, & attenuante, omne aquoſum ſolvens, omne attenuans vincit remedium, in qua natans ventriculus omnes ſuas muſculares vires

amit-

amittit, & ad concoquenda alimenta ineptiſſimus fit, a vaſis vero lacteis reſorbetur ſaliva, quæ in ſecundis viis æque, ac in primis, omnia vaſa & viſcera, cunctaque oſſa reſolvit, etſi infans ad rachitidem ſit diſpoſitus, hocce tempore certo certius eam excitat.

§. V.

Multum & non ſine ratione hæſitamus, dum primordia hujus adfectionis adſunt, an pro rachitide habendus ſit morbus, an pro hydrocephalo, an pro verminoſo abdomine, pro lue, pro ſcorbuto, vel ſimplice oſteoſarcoſi. Cauſæ prægreſſæ, dominans in familia malum, quod parentes, natu majores fratres, aut ſorores eodem malo contaminati ſint, vel quondam eo laborarint, tardior inceſſus, & facilis lapſus, decumbendi amor major, ſuſpicionem movet; confirmamur, ſi dentes fuſco nigrove colore vitientur, & carioſi facti fruſtratim excidant; certiſſimi reddimur, dum plura ex prioribus deſcriptis ſymptomatibus adſunt. Vide ſupra Capitis 4ti §§os priores.

§. VI.

Malum hoc inter Medicorum flagella habetur, tædioſæ curæ ſemper eſt, & ut plurimum periculo plenum: tota nervorum compages relaxata, muſculorum inertia, fluidorum degeneratio in mucoſam ſpiſſitudinem, & adjuncta acrimonia rachitidem ſpecificans, quantam involvunt ideam complicatam! Oſſium excreſcentes tophi, diverſas functiones etiam vitales lædentes viſcerum deformitates, & ubique obvenientes degenerationes,

quam

quam difficulter, ſi unquam, medicamentis curari poſſunt! tenera ætas omnium medicamentorum inimica, in pharmacis aſſumendis, quantum clamore, lacrymis debilitatur! Cuſtodum pigritia, matris & adſtantium indifferentia, vel & præjudicia, pauperum impotentia quantum retardant, & eam inceptam quoties non peſſumdant! Perfecta ſi adeſt, integra non curatur: etſi medicus indefeſſa ſua induſtria, diurno nocturnoque labore optimis remediis cacochymiam emendet, tamen deformitates oſſium, & malam conformationem viſcerum in naturalem ſtatum redigere impar eſt. Imperfecta vero, quæ hæreditaria non eſt, mature advocato medico obedit, ſi æger ſe promptum ad ea, quæ decent facienda adhibeat, & interna, & externa. Si vero in imperfecta a vi externa, caſu vel lapſu, lædantur partes, in quas acre rachiticum deſedit, ſubito in perfectam mutatur, & in perfecta ſi accedit febris lenta, facies rugoſa; & collapſa, oris graveolentia, certa mors inſtat, & præ foribus eſt, ſi pedes contabidi frigeſcere, & vividi oculi obfuſcari incipiunt. Obſervavit ſimul Cl. Buchner in hiſtoriis ægrorum ſeptimum annum & undecimum, & annum pubertatis, qui nobis eſt decimus quartus, criticum eſſe; vel enim in hiſce ſolvitur rachitis in ſanitatem, imperfecta in perfectam mutatur, vel perfecta in mortem tranſit.

CAPUT VII.

De rachitidis curandæ methodo.

§. I.

Curam mali in diæteticam, pharmaceuticam, & chirurgicam diſtinguo; ſingulam in ordine ſecundum indicationem edicam. Ad diæteticam omnes ſex res non naturales convoco: atque primo de ipſo aëre, qui conducit huic morbo, primum agam.

§. II.

Inter cauſas aërem humidum, tepidum, nebuloſum, elaſticitate privatum retuli; nullus enim illo aptior eſt, ut ſolvat fibras, & corpori invincibilem torporem inducat; magna ergo circumſpectione dignum, ut in infantum educatione medici ad aëris qualitatem, quem inſpirant in ſuis cubiculis, invigilent: quem renovare & ſuis humidis particulis privare timent cuſtodes; ſpatioſum & orientem reſpiciens altis feneſtris inſtructum cubile ſeligatur, calor ejus menſuretur talis, ut in thermometro Fahrenheitiano ſemper tranſcendat parum gradum 60mum, nunquam infra eum verſetur; omni die, ſi faveat tempus ſiccum, per horam & ultra apertæ ſint feneſtræ, ſi pluvioſum & nebuloſum ſit, aperiantur portæ, quæ cum aliis cubiculis ubi purus eſt aër communicant, & intra hoc tempus in alio cubiculo conſervetur infans. Si ſiccus eſt aër, licet frigidus, juvat, ut bene indutus per horulam extra domum in libero aëre circumportetur; calidiſſimus & ſicciſſi-

ciſſimus, exſiccat mucoſum corpus, & medicamenti ad inſtar juvat; ideo non poſſum non ſatis laudare hanc medendi methodum, qua multi utuntur, dum ſub radiis ſolaribus penetrantiſſimis liberrime infantes in apertam rhedam immiſſi, circumvehuntur, etenim non ſolum calor, quod humida diſſipet, & ſolida firmet, ſed & ipſe motus, quo corpuſculum concutitur, plurimum boni in hoc morbo adfert; humidus vero cubiculi exſiccari poteſt, incenſo ligno juniperi frequenter repetito, vel fumo, qui ex maſtiche, olibano, ſarcocolla, ſtyrace &c. &c. carbonibus injectis exſurgit.

§. III.

Alimenta & potulenta relaxantia, dulcia, mellita, farinacea non fermentata, tepida, theata, interdicantur; lac maternum, vel ſi hoc requiſitas dotes non habeat, bonæ nutricis, ſufficiens nutrimentum præbet, per primos menſes; ubi vero infans prægrandis, hoc non contentus; pulticula ex arte, qua ſuaſi præparata; & panatellæ exhibitione nutriri poteſt: ſollicite omnia ex ſacharo confecta caveantur, ne infans his adſuetus, reſpuat meliora. Si dentes emergunt, dare poſſumus panem biscoctum, quem ſupra omnia amabit, quia dulciora nondum novit, & ſi inciſorum & caninorum rudimenta adpareant, teneræ carnis fruſtulum, quod totum utplurimum exſugunt, præbemus, mediæ ſic naturæ elaboratus chylus, corpus firmat, & ſanitati reſtituendæ favet; adultioribus rachiticis omnis victus lacteus, farinaceus, omne juſculum, malum auget; ex regno animali, maxime rapacibus, iisque potius

aſſa-

aſſatis, quam coctis nutriantur, quibus promptior in alcali eſt natura,; rachiticæ acrimoniæ oppoſita; ea, quæ terreſtri principio abundant, fibris muſcularibus, & oſſeis majorem ſemper firmitatem reſtituunt, ideo ſicca alimenta aromatibus leviter condita tanti uſus ſunt. Aqua pura ex monte & ſaxis proſiliens, rubro vino nonnunquam acuata, ſitim exſtinguit, & corpus roborat.

§. IV.

Ante decimum menſem nondum incedere poſſunt, ut motu corporeo roborare corpus poſſint, nec ſuadeo ut prius pedibus inſiſtant, ſi jam rachitidis ſtigmata adpareant, quia cartilaginea adhuc oſſa femorum & crurum, flexibiliſque ſpina dorſi, totius corporis pondus ſuſtinere non poſſunt, unde faciliores diſtorſiones, & oſſium peſſimæ conformationes, morbum ante tempus excitant. Morbus tamen conducit: ergo bonum eſt, ſi in libero aëre præſertim ſicco & calido tranſportentur diu; ſi biennes jam fuerint, omnis exercitatio, quæ corporeum motum requirit, & quo infantes delectantur, iisdem concedatur, nihil enim eſt, quod humidum tantopere diſſipat, quam is muſcularis motus, qui cum delectamento fit; ſi vero ob debilitatem, curſum, & alios luſus, qui muſcularem motum exigunt, perferre non valeant, equo ex ligno confecto inſidentes, vel rhedæ impoſiti, in libero aëre circumducantur.

§. V.

Quod veſtimenta concernit, præplacet ſi a prima nativitate nunquam faſciis obvolvantur, ſed

ſed libere omnibus utantur membris, & toga ex flanella vulgo dicta confecta totum corpus & extremitates tegente, induantur, quæ humidum exhalans imbibit, ſua aſpredine vaſa ad majorem exhalationem irritat, hacque irritatione fibris majorem elaſticitatem conciliat; ſemper vero omnia veſtimenta optime exſiccata ſint oportet, & lintea, quæ natibus & genitalibus ſupponuntur, ſtudioſiſſime renoventur pura & ſicciſſima, poſſuntque adhuc medicata reddi, ſi prius fumo perluſtrentur. Neceſſarium etiam præceptum de lectulo tenendum, qui omni die aliquoties libero, calido & ſicco exponatur aëri, ut omne humidum diſſipetur, quod ab exhalatione infantis, urinæque conſpurcatione, linteaminibus, ſtragulis, pulvinaribus inhæret; culcitra & pulvinaria gratis herbis cephalicis ſub umbra exſiccatis impleri poſſunt, ex quibus ſpiritus rector exhalans muſculis robur, & nervis ſpiritum & elaſticitatem miro modo attribuit; caveri tamen debet ab iis vegetabilibus, quæ viroſum odorem, vel & nimis penetrantem emittunt ſpiritum, qui tenellos nervos facile convellere, vel plane conſopire poſſet; flores ſambuci, violarum, roſarum, herbæ meliſſæ, levior mari & majoranæ ſpecies, ſalvia, pulegium, hyſſopus, thymus, & ſerpillum in hunc ſcopum ſufficiunt.

§. VI.

An balnea frigida a rachitide præſervent, & præſentem curent, ego definire non audeo; etſi ſciam Lapponicum populum ſuam progeniem a primo ætatis anno, ſingulis diebus ter in glaciem, donec fere congeleſcat, immittere, & dein

N in

in aqua calida balneare, ut robuſtos ad bellandun efficiant cives, & ex hiſtoria noverim Scythas & primos Germanos, ſuos recens natos in flumin immerſiſſe, ut eos fortes, ad omnes labores im pigros redderent, quod de Hibernis pariter Cele berrimus Locke anglus teſtatur; tamen ſi teneran recens nati ſtructuram cum effectibus aquæ frigida comparo, valde dubito, an non plures hoc agen di modo trucidati fuerint, quam roborati, ut ſic i ſtrenuos bellatores adoleſcerent; hoc certum eſt omne frigus inimicum eſſe infantili ætati, & humi dum frigus inimiciſſimum: quod plurimos nervorur morbos, convulſiones, epilepſias in momento exci tare valet, & certo certius ad arthritidem primur ſemen minimis vaſis immittit, quæ in adultiore æta te in non eradicandum malum prorumpit.

§. VII.

Licet autem frigidorum balneorum uſus, re ſpectu ætatis illius teneræ infantilis, ſuſpectus nob videatur, non ideo ſuis ſub cautelis adplicitum fr gus, & morbi hujus charactere ſemper contraindic ri, adſerere animus eſt. In dubiis obſervationibu edocti ſumus, frigus aliquando in corpore ſtimuli v ce fungi, præcipue in ſanguifero ſyſtemate fibraru muſcularium contractilitatem augere, eſſe ſimul fort ter adſtringens, atque ſic virtutem tonicam in tot ſyſtemate exercere; tantæ autem efficaciæ rem dium in rachiticis contraindicari, neminem ſibi f cile perſuaſurum arbitror. Anne igitur aquæ frigid applicatio tam noxia ſemper eſſe poſſit? Utiqu corpus infantile, aqua frigida ope ſpongiæ pe lue-

luere, & ablutas partes perfricare ſedule, ut vaſorum oſcillationes incitentur, ſiccis demum veſtibus infantem obvolvere, periculo tanto magis carebit, quo potentius vim frigoris, motui per frictiones excitato, junctam, nervei muſcularisve ſyſtematis priſtinam energiam reſtituturam, prævidemus.

§. VII.

Dum curam internam adgredimur, eam ſecundum indicationes inſtituimus, ut primas vias a muco congeſto, & acrimonia liberemus, & dein ea medicamenta, quæ cacohymiam rachiticam emendare poſſint, exhibeamus. Notari autem hic debet, ſolum tumidum abdomen non eſſe ſaburræ indicium, ſed effectum morbi, ideo male ageret is, qui eouſque evacuare tentaret, donec concideret abdomen, quod ſymptoma ſolum iis medicamentis, quæ toti morbo dicata ſunt, cedit. Evacuatio ſub initium curæ ſemper neceſſaria eſt, quia debilis officina chylopoietica ingeſta ſubigere plane non poteſt, unde ſemper in primis viis ſordes quædam nidulantur, quæ expelli primo debent, ut medicamenta ſecundas vias facilius, & minus mutata ſubire poſſint. Sunt qui cum emeticis incipiunt, ſunt qui purgantia præmittunt: emetica ſolum ventriculum evacuant, ſed purgantia totum inteſtinorum tractum ſimul; habent quidem vomitoria hoc boni in hoc morbo, ut concutiendo totum corpus, vaſa referent, mucum attenuent, & evacuationes, ut narium mucum, perſpirationem, urinam, cæteros omnes, excepta alvo, adaugeant; verum ſi conſideras vaſorum ingentem laxitatem, viſcerum debilitatem, motum

ſub vomitu humorum maximum verſus cerebrum molliſſimum, inducor, ne ob periculum hæmoptoes, viſcerum dilacerationis, humorum in capite extravaſationis exhiberi author ſim, & præferam purgantia innocua, quæ ſine his turbis plenis diſcrimine eliminent ſordes, & primas vias depurent. Varia autem ſunt, quæ ſuadentur purgantia, rheum & omne mirobalanorum genus, agaricus, aloe, ſalia media præeminenter celebrantur, rheum autem ob roborantem ſuam virtutem omnibus antecellit, ſi cum antacido, diverſa pro ætate doſi combinetur; dein ea propinentur, quæ cacochymiæ medentur, hic iterum diverſa extolluntur. Celeberrimus Antonius de Haen in omnigena morborum facie feliciſſimus olim Practicus, oſtracodermatibus ſolis multas abſolvit rachiticorum curas, quæ infantibus duorum annorum ad ſcrup. j bis in die exhibuit; ego ipſe ſic rachiticum reſtitu vidi. An ergo oſtracodermata habent aliquid ſpecifici? Vix non credam: ſaltem rachiticorum acidum abſorbent, & inſtar ſalis medii mucum incidunt, & ſuo terreſtri principio oſſibus firmitatem reſtituunt; in eundem uſum veniunt lapides cancrorum, teſtæ ovorum, creta, & omnia abſorbentia acidum; tamen ſemper uſu comprobata oſtracodermata primum merentur locum.

§. IX.

Rubia tinctorum mira radix adſtringens i multorum experimentis, ſola oſſa adgreditur quæ colore rubro grato ſpectaculo condecorat in callo experimentum clariſſimum eſt, ubi variegato colore luſtrabatur, ſic in uno ſpatio ru

ber

ber, in altero albus obſervatus eſt. Levret primus ea rachiticos curavit; bis, ter de die ad ſcrup. j., drachma ſemis exhiberi poteſt, & in infuſo ad unciam ſemis, vel drachmas vj., in ſubſtantia præferenda eſt. Saxifraga in Anglia experimentum ſubivit, & ad grana xv. bis in die data, frequenter reſpondit. Alumen ob ſuum acidum vitriolicum, adſtringens, roborans, in libra j. aquæ vel ſeri lactis ad grana iij. ſolutum multum laudatur, & ad hanc familiam omnia referenda ſunt martialia & chalybeata, in ſubſtantia, vel eorum præparata exhibita, quo ipſum ens veneris a Boyleo hoc nomine inſignitum pertinet: non eſt vero præparatum cupri ſed ferri, ideo potius vocari deberet ens martis, quod ad grana jv., v., & ultra in aqua adſumitur. Si ætas fert, optime mihi arrideret vinum rubrum medicatum, ex limatura ferri non rubiginoſa, cortice peruviano, rubia tinctorum, herba meliſſæ, cortice cinnamomi, radice gentianæ confectum, prius expurgato corpore, & muco in ſecundis viis attenuato per ſalia media, & flores ſalis ammoniaci martiales, abſorbentia, ſaponem venetum, amara, ut abſynthium, carduum benedictum, gentianam, calamum aromaticum, & antiſcorbutica; his & ſimilibus ad tempus exhibitis exſpectatus eventus utplurimum ſequitur, dein ad dictum vinum medicatum, quod fibras roborat, nervos exſtimulat, confugimus; ſi vinum aſſumi nequit, aquæ ferratæ, ut ſpadanæ ditioribus, & pauperibus aquæ ſtegnicenſes ſubſtituantur. Verum etſi hæc omnem laudem mereantur remedia, nulla nonnunquam his fit benigna mutatio; ſuadeo tunc ut methodum Illuſtriſſ. L. B. de Störck imitemini, & periclitemini extractum

conii maculati, quod tenerrimi infantes ſine omni noxa perferunt, ſi unius anni infanti granum j. aut ij.; ſi prius tulit in unciis iv. aquæ ſolvatis, & grato ſyrupo edulcoratis, aut corrigatis ejus nidoroſum fætorem, ut ſpatio 24 horarum totum aſſumatur, pulchros effectus inde non ſolum teſtatur immortalis ejus inventor, ſed & omnes boni, qui id remedium in experimenta vocarunt.

§. X.

Non poſſum hic loci præterire aſam fœtidam, quæ ſola binos rachiticos fratres curavit, quæ ſumma commendatione digniſſima eſt in pilulis aſſumpta. Methodus Illuſtriſſ. Roſenſteinii etiam omni indicationi ſatisfacit, qui ſalis alcalini fixi drachmas iv. in libra j. aquæ deſtillatæ ſimplicis ſolvit, & hujus ſolutionis, pro ratione ætatis, guttulas 20, 80, 100 in poculo aquæ mane, & pomeridie propinavit, quatuor continuis diebus, dein totidem diebus a remedio exhibendo abſtinuit, poſt quos rurſus eodem ordine progreſſus eſt, donec nulla amplius acidi ſigna invenerit, demum ad ſtomachica deſcendit, ut viſcera chylopoietica roboret; extollit pilulas confectas ex offæ Helmontianæ granis novem, fellis tauri grano j., & pulvere radicis ari grano j., ut v. vel vj. pilulas aſſumat æger; ad finem ubi ſolus tonus deficit, complebit corticis peruviani protractus uſus.

§. XI.

Chirurgica ſunt, frictiones cum panno laneo, fumo maſtichis, olibani, ſtyracis, benzoes,

ſuc-

ſuccini, florum ſalis ammoniaci martialium, camphora penetrato; ter de die totum corpus, ſollicite vero extremitates, abdomen & ſpina dorſi ſtrenue perfricetur, nihil magis humores ſtagnantes movet, concreſcentes attenuat, inertes muſculos ſtimulat, & flaccidos nervos roborat, & ſuperfluum diſſipat. Iterum commendo vectionem in rheda aperto ſub ſole in aëre ruſticano, circa prata & montes, & etiam agros, qui noviſſime aratri vomere fiſſi ſunt, ex quibus ſpiritus longe nervinus exhalans omnes effæminatos refocillat; in eundem etiam uſum venit navigatio ſereno & ſicco cœlo; laudo etiam eum motum, qui in aëris Oceano abſolvitur, nempe oſcillationem: non eam intelligo, quæ in cunis infantum fit, & quam valde improbo, quod ea non ſolum digeſtio lædatur, & lac quale ſuxerant infantes facile in ventriculo coaguletur, coagulatum evomatur, ſed plurimum patitur tenerum infantis encephalon, quod hoc concuſſu, & horizontali decubitu humores facile verſus caput ruant, quibus præternaturalis ſomnus ex ſtupefacto cerebro obvenit; ſed intelligo eum motum, qui fit dum funibus in altum adligatis pendulæ cunæ adhærent, & alio fune ad latus cunarum adligato ad latera adſtans trahit, quo modo inſidens omnem elaſtici aëris vim experitur, atque hoc motu multum roboratur. Quod adhuc corpora humidis privat ſunt ſicca balnea, quæ utplurimum ex arena craſſiore parantur artificialiter, ſi in fornace arena calefiat: tale balneum naturale in canicularibus diebus a ſolis radiis in arena habetur, cui inſident rachitici.

§. XII.

Veſicantia, fonticuli, dropaciſmi, & cætera attrahentia chirurgica, cum non roborent, non medentur morbo; ſolummodo ubi rachitis ex ſcabie, achoribus, herpete miliari, ficoſo, tinæa, ulcere, retropulſis originem ſuam habet, locum merentur, quia impura & acria liquida ad externa revocant. Ad excreſcentias epiphyſium & oſſeos tumores, reſolventia cum ſtimulo emplaſtra & unguenta adplicari debent, emplaſtrum diachylon cum gummatibus, cicutæ &c. Unguentum nervinum cum camphora, ſtyracis cum ſpiritu ſalis ammoniaci &c. Vidi egregium effectum ex ſequente: ℞. Unguent. Styrac. Unc. j., Aſæ fætidæ Spiritu Cochlear. ſolutæ Drach. j. ſem., Spiritus ſalis ammoniaci drach. j., Olei ſtillat. Cinamom. gutt. xv. M. f. Unguentum, D. Uſui; vel plumbo in lamellas contuſo excreſcens pars comprimi poteſt, hic multis multa ſunt, ſemper vero ſit artis magiſter, ne dum difformitates oſſium curare ſtudet, majores & periculoſiores comprimentibus ſuis machinis progeneret.

V.

V.

JOSEPHI SARTORII
LEODIENSIS
DISSERTATIO
DE
CATARRHO.

Catarrhi vocabulo veteres circulationis ignari humorum intelligebant ad ſubjectas corporis partes defluxum, qui varia pro diverſitate loci ſortiebatur nomina. Deſtillationes has græci *κατάῤῥȣς* & *κατασυγμȣς* vocabant. Recentiores autem cognito circulari ſanguinis motu communioribus pectoris morbis catarrhum adſcripſerunt. Morbus hic epidemicorum more ſæpe graſſatur, ſæpius negligitur, & in alios pergraves funeſtosque pectoris morbos abit. Hanc ideo materiam de catarrho diſquirendam ſuſcepi, quod ſat noverim diverſas ejus ſpecies atque facies variis, quin & oppoſitis medendi methodis tractandas, minus adhuc dilucidatas eſſe, & ob id ipſum complures recto tramite nonnunquam ad funera ducere poſſe, fors jam ſæpius duxiſſe. Non logi-

cam tamen, ſed verbalem hujus morbi dabo definitionem, aut potius latam ejus deſcriptionem.

Catarrhus tuſſis eſt veſperi noctuque ingraveſcens cum ſenſu quaſi delabentis ad pectus acris tenuisque materiei, quam concomitantur ſputa nulla, vel pauca, primo aquoſa, dein mucoſa, cum vel ſine febre. Verum ut catarrhus dici poſſit, hæc ſola tuſſis maxime urgens & ſub ſenſus cadens phœnomenon eſſe debet; etenim ſi præter tuſſim veſperi noctuque ingraveſcentem aliud pergrave & evidens ſymptoma ſimul adeſſet, ut in pleuritide, peripneumonia, aſthmate, hæmopthiſi, phthiſi &c. &c. obſervare licet, jam non catarrhus, ſed pro natura febris tuſſim concomitantis ac ſymptomatum prædominantium, hoc illove nomine compellaretur morbus.

Catarrhus ſimplex.

Tuſſis illa catarrhalis, quæ ſæpenumero ſternutatione, gravedine, coryza, raucedine ſtipatur, ortum habet ab acri tenuique ſero internam tracheæ, bronchiorum, pulmonum ſuperficiem vellicante, adeoque e copioſiori ex glandulis per modo nominatas partes diſſeminatis excretione. Nonnulli morbos pleroſque catarrhi nomine ſimiliter compellarunt, videlicet diarrhœam ſeroſam, catarrhum inteſtinorum; fluorem album, catarrhum dixerunt uteri. Hic vero de iis ſpeciebus, quæ ſolos excipiunt pulmones, agemus.

Ut præviam ſimplicis catarrhi notionem habeamus, neceſſe eſt in memoriam revocare inau-

numeras glandulas Morgagnio deſcriptas per tracheam, bronchia, bronchiorumque ramificationes diſſeminatas eſſe, has minimis ſuis emiſſariis membranam, nerveam internam perforare, eamque tenui blando, pellucido, non coagulabili muco humectare. Hæc eſt præcipua catarrhi ſedes, dum per frigus æſtuanti corpori applicatum ſupprimitur tenuiſſimi perſpirabilis ſanctoriani ſecretio, & ad aſperam arteriam, pulmones, maxime ad haſce prius dictas glandulas repellitur.

Directis experimentis invenerunt celeb. Sanctorius, Keilius, De Gorter, aliique de ſtatica medicina ſcriptores perſpirationem inſenſibilem dictam minui, dum ſubitum & inſolitum frigus partes corporis afflaret. Verum omnes partes oris interni, faucium, laryngis, aſperæ ateriæ &c. perpetuo rore ex ultimis illis emiſſariis exhalante madent, foventur, & longe plus perſpirare videntur, quam reliqua corporis externi ſuperficies. Dum ergo ultimi meatus illi excretorii frigore conſtringuntur, vaſa, quæ liquidum exhalaturum adferebant, auctis circa finem reſiſtentiis, magis dilatantur & tument, dum interea manet, imo potius augetur liquidi per hæc vaſa motus. Verum cum hæc vaſa adferentia tutius recondantur, non tam cito, nec tam valide poterunt conſtringi a frigore, quam meatus excretorii in exteriori ſuperficie poſiti. Tumebunt adeoque & dilatabuntur emiſſaria, & ob hanc cauſam reſeratis poſtea meatibus exhalantibus, vaſa hæc dilatata pergent majorem copiam humorum, ſæpe craſſiorum transmittere.

Evidenter id apparet in coryza, levioris catarrhi ſpecie; membrana enim nares internas inveſtiens tunc ſæpe ſubito ſic tumet, ut reſpiratio per nares integra tollitur, hinc & aperto ore dormire cogantur: poſtea præcedente pruritu ac ſternutatione ſequitur depluvium lymphæ tenuis, acris, ſalſæ, vicinas partes arrodentis, quæ benignitate naturæ mitior ſenſim ac ſpiſſior evadit. Prout jam ſimile malum varias infeſtat partes, varia parit ſymptomata: in naribus ſternutationem & coryzam; in tonſillis, pharynge, larynge, anginam catarrhalem; in aſpera arteria, bronchiis, pulmonibus, tuſſim noſtram catarrhalem, quæ quandoque reſpirationis adfert impedimentum, prout magis minusve partes affectæ tument. Hinc catarrho laborantibus illæ luctæ, & jactationes, & inſomnia laborioſa, dum dormiunt, quæ videntur difficiliorem trajectum vitalis liquidi per pulmones indicare.

Non obſcura ex his habetur ratio, cur debilioris conſtitutionis homines ſæpius & validius his morbis affligantur: firma enim minus in his vaſa, obſtructis emiſſariis, facilius diſtenduntur, nec tam cito in priſtinam diametrum redeunt, unde quandoque horum locorum vaſa ſic degenerant, ut pergant diu & valide humores per has vias expellere, ſicque totum emungatur corpus, ut in verum maraſmum incidant ſimiles ægri.

Præmiſſis his, dum inſpiratus frigidus aër internam illam tracheæ, bronchiorum, pulmonumque ſupprimit exhalationem, emiſſariorum ibidem poſitorum conſtringit extremitates, hinc tumores a tergo urgentes alias ſecernendi, jam non ſecernun-

nuntur, ſed accumulantur, vaſa extendunt, diverſa ratione irritant, fit accumulatæ materiei colluvies, quæ ſi diutius inhibeatur, acrimoniam parit, & tuſſim noſtram catarrhalem invitat eo acrius, quo debilius aggreditur temperamentum, quo majori copia colligitur difflabile ſanctorianum, aut quo jam ſæpius catarrho laboraverit pectus. En habes catarrhi ſimplicis ſedem & ſcaturiginem, ſuppreſſam videlicet aſperæ arteriæ, pulmonum, totiusve corporis exhalationem, atque ejus ad pulmones decubitum.

Catarrhus ſimplex incipit plerumque cum ſenſu quaſi ponderis in capite, quandoque & obtuſus capitis dolor adeſt, præcipue circa frontem, lacrymantur oculi, nec raro ſubſequitur coryza, ſternutatio oritur. Febricula adeſt, ſed exigua, perobſcura, errabunda, plerumque nulla. Imminuitur olfactus, vocisque ſuavitas, quam preſſo pede excipit nonnunquam reſpiratio difficilis; tuſſitant continuo, & tuſſitatione moleſta, in initio ſicca, dein pauca, mucoſa; tandem plura & puriformia exſpuentes catarrhum coctum dicunt aut maturum.

Morbum hunc, quum a frigore calenti corpori admiſſo ortum habeat, vulgus rei medicæ ignarum, calidiſſimis remediis tentare ſolet; ſed periculoſæ res eſt aleæ: ita enim urgendo loca obſtructa majoris circulationis impetu, antequam emiſſaria reſerata ſint, valida inflammatio ſæpe naſcitur, & aucto tumore partium, levis ex ſua natura morbus, ſæpe admodum periculoſus evadit. Tales catarrhi ſimplices optime curantur,

ſi

ſi facta diæta convenienti, potus aquoſi, tepidi, leviter aromatici magna copia ingerantur, tepidiusculus obſervetur aër, nares, fauces, trachea pulmonesque tepidæ aquæ halitu foveantur frequentius. His enim omnibus conſpirantibus reſerantur conſtricta a frigore emiſſaria, omnes diluuntur humores, attenuantur, & vaſa ſic diſponuntur, ut facillime illos transmittere poſſint, dum ſimul levi ſtimulo aromatico, multa aqua diluto, ad blandam diaphoreſin, tanti in his morbis uſus, diſponitur corpus.

Tuſſim quod ſpectat ſedandam, non vacat periculo anodinis atque narcoticis illam aggredi: nec minus periclitatur, ſi quis liquoribus ſpirituoſis, calidisve medicamentis idem moliretur: etenim ſæpe numero non paucis e vulgo inconſultioribus peſſime ceſſit, qui calidis remediis tuſſi obicem ponere niterentur, affectus pleuriticos ac peripneumonicos invitabant, atque inſana hac ſapientia morbum ſua natura leviſſimum & facile ſanabilem in periculoſum, nec raro lethalem transformabant; etenim horum actione excandeſcit ſanguis, panditur, turget, ſicque facta ſibi ampliori mole, quam ut per anguſtas diametros meare queat, obices ponit circulationi, hinc ſtaſes & ſtagnationes proferunt, ac ſub hiſce ſtaſibus obſtructi vitæ fontes fatalem præmonſtrant diem. Nec hallucinantur minus (& ſi magis cum ratione inſanire videantur) qui provocatis ſudoribus copioſis morbi cauſam exterminare ſatagunt.

Abſit tamen quin opiata, confectionesve opio refertas, pilulas per eminentiam catarrhales dictas, pilulas de ſtyrace, aliaque hujusce

ge-

generis medicamina rejicere contendam: indiſcriminatim quidem adhibita plurimum nocere, & vitam cum morte levi negotio permutare poſſunt: ſervata vero per aliquot dies adæquata diæta, nulla phlogoſi præſente, nullo calore, nullaque febre, omnem indicationem & curam abſolvunt, licet mihi ob alia ingredientia opio ipſo minus arrideant: ſomnum certo certius papaveris illa lacryma, opii nomine inſignita conciliat, pulmones agitatos pacat, diaphoreſin blandam provocat, ſuppreſſam reſtituit cum euphoria & evaneſcentia omnium ſymptomatum.

Cæterum catarrhi ſimplices ſat cito curantur, ſæpius vero repetiti, diutiusve protracti multiplici ratione nocent, nec raro in libitinæ cenſum deducunt. Etenim violenta ac diuturna tuſſi catarrhali totum ſuccutitur corpus; conquaſſantur pulmones, ſanguis ad encephalon omni momento determinatur; vires ventriculi concoctrices imminuuntur, debilitantur, & ob natam debilitatem ſyſtema gaſtricum ſuam non valet conferre ſymbolam: continuis præterea ſuccuſſibus illis infringuntur pulmonum functiones, generatur cachexia, reſtitat continua tuſſis, inſurgit lenta febris, ac paulatim extenuato corpore, vera tabe pereunt ægri, quod jam monuerat Celſus dum dicit: a) *frequens autem deſtillatio in corpore tenui longoque, tabem timendam eſſe teſtatur*: licet autem tales catarrhos non ſequeretur pulmonis exulceratio, poſſunt tamen exhaurire corpus. Ob-

a) Celſus Lib. II. c. 7. p. 58.

Obſervavit enim celeb. Huxham a) quod, *plures quotidie per longum tempus immenſam muci ſalſi, dulcis, vel etiam plane inſipidi copiam rejiciunt per tuſſim, cui nec fœtor ineſt, nec purulenti aliquid, glandulis nimirum cum ductibus aſperæ arteriæ relaxatis nimium. Hoc tamen ſæpe licet ægros diutius trahens, haud lethale minus ſit, quam ſi vel ipſam ſaniem expuiſſent.* Igitur non ſemper totius corporis extenuatio copioſis talibus & diuturnis ſputis inducta ponit ulceroſam diatheſim, nec omnis labes pulmonaria ab ulcere dependet; quin imo phthiſis ulceroſæ caſus rariores ſunt, quam vulgo putatur; & certe b), *ſi tuſſis cum febre pertinaciter afficiat ægrum, & nullis cedat remediis, in tabem migrat, etiam ſi ſanguis non ſpuatur.*

Catharralibus fluxionibus obnoxii ſibi ipſi ſatisfeciſſe male perſuadent, morbumque prævertere autumant, ſi modo corpus continuo foveant tepore reliqua flocci pendentes: at fallaces hæ præconceptæ opiniones multorum cenſentur ſatellitium malorum. Tepidiuſculus enim ille aër magis ac magis debilitat corpus, cutis in proprio quaſi vaporis balneo plurimum emollitur, pori relaxantur, & minima occaſione data repellitur perſpirabile ſanctorianum. Hinc poris ſubito occluſis, retentisque iis halitus, quibus alias per cutis ſpiracula patebat exitus, hæc vel illa morbi ſpecies in ſanguine ſuccenditur, prout generalis conſtitutio, quæ tunc temporis obtinet, vel parti-

a) Huxham. de aëre & morb. epidem. vol. alter. p. 4.
b) Bagliv. prax. med. Lib. I. p. 114. de tuſſi.

ticulares humorum dyſcraſiæ in hanc illamve ſpeciem potentius determinaverint.

Igitur, qui ab hiſce malis, catarrhalibus imprimis fluxionibus, immunes haberi volunt, perſpirationis illum exceſſum non ſubito, ſed ſenſim & gradatim imminuant: ſubitas enim frigoris & caloris viciſſitudines nocere, ſed ſenſim mutatas anni tempeſtates impune ferri, jam ab omni ævo obſervarunt medici: verum non modo perſpirationis imminutione miſerias has prævertere, ſed & corpus roborare, longævitatique favere poterunt: incomparabilis enim Reaumur a) minuendo naturalem inſectorum perſpirationem, illorum vitam prolongavit, nec ſine ratione credidit in hominibus idem tentari poſſe; in frigidis regionibus, ubi minus perſpirant homines, plures longævi admodum inveniuntur, quam in regionibus calidis; qui a teneris annis aëris injurias, modice tantum veſtibus tecto corpore, tolerare didicerunt, ſani vivunt & robuſti: contra quibus nimia cura corpus munitum fuit contra frigus, leves etiam aëris viciſſitudines illico ſentiunt, & a minima corporis nudatione male excipiuntur.

Patet ex his ratio, quare Celſus, qui ſana et firma corpora exercitiis uti voluit, & interdum balneis, interdum aquis frigidis muniri ſic, et abſque noxa ſubitas aëris viciſſitudines tolerare

a) Memoir. pour l'hiſt. des inſect. Tom. II. pag. 48. &c.

re poſſent, imbecilliores monuerit a) *ut caveant meridianum ſolem, matutinum & veſpertinum frigus, itemque auras fluminum atque ſtagnorum, minimeque nubilo cœlo ſoli aperienti ſe committerent, ne modo frigus, modo calor moveat, quæ res maxime gravedines deſtillationesque conciat.* Simul apparet cur dixerit Hippocrates, b) *frigida velut nix & glacies pectori inimica, tuſſes movent, & ſanguinis eruptiones cient & catarrhos excitant.* Ad feliciorem ergo ſalubritatem vitanda ſunt hypocauſta calidiora, temperies aëris ſenſim & per gradus ſibi familiaris reddenda, corpus levioribus aſſueſcendum veſtibus, imo diæta inſtituenda cum exercitatione corporis tam in cibo quam in potu frigida.

Catarrhus inflammatorius.

Iis anni conſtitutionibus, quibus epidemica graſſari obſervantur inflammatorii generis morbi, viget & ipſe catarrhus inflammatorius, ſeu febris catarrhalis inflammatoria, cujus primaria cauſa ea ipſa eſt, quæ pleuritides, peripneumonias, aliosque hujusce proſapiæ inflammatoriæ morbos incuſat, perſpiratio videlicet ſuppreſſa, & ſanguis vel phlogiſtica diatheſi imbutus, vel ab ipſa inepta medendi ratione in ſimplici febri catarrhali per inflammantia medicamina accenſus.

Morbi hujus ni bona legitimave inſtituatur diagnoſis, toties in lethum abire vix non omne me-

a) Lib. I. c. I. pag. 20. & Cap. II. p. 22.

b) Aph. 24. Sect. V. Chart. Tom. IX. p. 209.

medici fatentur. Quanti igitur interſit hanc ab aliis ſpeciebus diſcernere, iis facile patebit, qui illius perſcrutabuntur naturam. Equidem nullo non tempore naſci poteſt catarrhus inflammatorius: verum quandoque epidemicorum more, ea inprimis anni parte, quæ inter ver atque æſtatem ambigens, utriusque quaſi fibula eſt, infeſtat. Frequentius invadit tempeſtate brumali; ubi frigidus aër calidam excipit auram, ubi frigidæ noctes relative ad tempus diurnum ſubveniunt, calido temperamento, præ reliquis & ſanguineo præditos aggreditur, ipſa febris concomitantis natura ut plurimum diagnoſim abſolvit. Etenim aliæ ſpecies ſunt vel ſimplices cognitu minime difficiles, vel originis gaſtricæ, præprimis bilioſæ: ſed hujus generis catarrhus alio obſervatur tempore, bilioſo videlicet: illa enim anni tempeſtas, quæ favet pleuritidi bilioſæ, febri bilioſæ, rheumati bilioſo &c. huic ſimul favet catarrho; febris ipſa a priori multum diverſa, de remittentium genere participans manifeſtas habet exacerbationes: exin liquet catarrhum inflammatorium reliquis, gaſtricis præcipue poſtmodum dicendis ſpeciebus, toto cœlo differre, contrarias quin & oppoſitas expoſcere indicationes, unum adeoque præ alio, niſi in perniciem ægri, aſſumi non poſſe.

Verum e medio ſæpius rapiuntur ſimiles ægri, quum fallaci lenitate morbi ſubducti, lanceolam, ſacram hic ſalutis anchoram, admovere recuſant; diverſas catarrhi ſpecies minime disquirunt; morbum conclamant non periculoſum, hinc & nullis indigere remediis: at ſi tuſſis violentia torqueantur nimis, ad hoc illudve jam jam gentilitium, & catarrho ſacrum medicamentum

 ſub

ſub eadem diæta & aura promiſcue confugiunt; aut quod pejus, calida ſpirituoſave haurientes, quem reſtringere conantur, ignis fomitem alunt. Morbus inde profundiores ſenſim radices agit, in veram quandoque peripneumoniam deſinit, vel fallacius ſubrepens in pleuritidem occultam Baglivii vergit, quæ, ut poëta canit, facta gradatim tuberculorum ſuppuratione, *ad ſtygias certo limite ducit aquas* a).

Qui novit, quid ſit agendum in pleuritide & peripneumonia, ille quoque facile intelligit, quid ſit in hoc catarrho moliendum, quum eadem ſit ægritudinis ſpecies ac ipſa pleuritis aut peripneumonia inflammatoria. Hinc medentis erit fibras relaxare, ſanguinis conſiſtentiam æquo majorem, & verum perſpirationis ſanctorianæ obſtaculum diluere, fors & lanceola detrahere: pediluvia ipſa tepida, etſi pernitioſa diutius ab ignaris repudiata fuerint, ſummo ſimul hic erunt ſolatio, quum febris reprimant impetum, capitis mitigent dolores, tuſſisque inhibeant violentiam.

In primis catarrhi inflammatorii exordiis nocet omne genus narcoticorum & expectorantium, niſi ſola emollientia eo tunc nomine compellare velis; quamdiu enim phlogoſis adeſt, tamdiu ſola viget indicatio humorum modificandi motus, fibrasque nimium tenſas relaxandi; diſcuſſa vero phlogoſi propinandum erit anodynum veſpertinum, quod pulmones tunc a tuſſi ob contractam conſuetudinem agitatos certo componet. Nec pro-

a) Ovid. epiſt. ex ponto lib. 1. epiſt. 3.

promiſcue haurienda erunt expectorantia, quæ ita in cruditate morbi materiam morbificam altius impingerent, & pulmonum tuberculis anſam præberent. Verum præterlapſo inflammationis ſtadio, ſi moverentur ſputa, aut iis nimium gravarentur pulmones, concedendum erit expectorans medicamentum pro varia indicatione nata varium.

Catarrhus gaſtricus.

Qua tempeſtate vigent gaſtrici morbi, ea non infimam ſedem habet catarrhus gaſtricus, qui multas alias complectitur ſpecies prout materies in abdomine contenta varia eſſe ſolet. Syſtematis autem gaſtrici crudum, pituitoſum, verminoſum, bilioſum & hujusce generis vitium varium catarrhi gaſtrici diviſionem non ita exhibet, quam quidem diſtinctionem binorum ſtadiorum ſumme neceſſariam, unde indicationes eruemus, & benignitatem aut malignitatem morbi declarabimus.

Triplex potiſſimum cenſetur origo cacochyliæ ſyſtema gaſtricum onerantis. 1mo Retentum perſpirabile ſanctorianum inditis humanæ machinæ legibus ad primas vias plerumque refluens. 2do Virium aſſimilantium debilitas & ingeſtorum nimia tenacitas, quæ binæ cauſæ ſeorſim agere, vel & ſimul concurrere poſſunt. 3tio Defectus vegetabilium recentium, abuſusve carnium fumo, ſale, aëre præprimis induratarum. Hæc enim alimenta difficilius ſubigenda, ut ſunt farinacea multa, per omnem Germaniam adeo uſitata, & legumina, piſa, fabæ, lentes &c., vel cibi pingues, craſſi, fibroſive ſæpius prævalent viribus aſſimilantibus, hinc ventriculus & inteſtina indi-

geſtibili materia tunc gravari neceſſario debent. Non ita tamen hæc intelligenda ſunt, quaſi omne vitæ genus, omne temperamentum, ſexum, ætatemque ſpectarent; diſparitas enim habetur, & quotidiana obſervata dictum confirmant: ſed ut primum viribus mutantibus prævalent vires aſſumtorum certo certius ſequitur ingeſtorum degeneratio, pro indole & natura ingeſti varia.

Non ignotum medicis habetur materiam in ſyſtemate gaſtrico nidulantem pro varia vi, varia ægri idioſyncraſia, regione, tempeſtate, varia imprimis curatione, diverſiſſimos ſpecie morbos, ſymptomataque innumera, facie quidem diverſa, ſed ut ramos unius ejusdem arboris ſecure reputanda, ſimulare poſſe: hicque egregie valere magni Boerhavii effatum: *unde etiam ſtatim apparet hos morbos varietate quidem infinitos, ratione ſymptomatum tamen ex origine non adeo compoſita pendere, neque tam varia medicamenta medendive methodum requirere.* a) Horum phœnomenorum rationem exponunt plerique ex conſenſu partium, quem inter pectus & ſaburræ metropolim duplicem ſtatuunt, continuitate nimirum membranarum & communione nervorum: probabiliori jure contendunt alii particulas ſaburrales jamjam intra humores circulantes adactas ad partem magis debilitatam deferri, hanc vellicare, & quacunque demum ratione male excipere.

Catarrhi ſimplicis gaſtrici diagnoſis petitur ex anni tempeſtate, ægri temperamento, aſſumtis

a) Aph. 1056.

tis & præſentibus coinquinati ventriculi notis, ex ipſo tuſſientis ſono, vere ſtomachali, gravi, profundo, velut ex imis elato. Plerumque thorax non dolet, niſi quid pulmonici ſimul adſit, aut tuſſi diutius exagitentur pulmones; dolet autem ſub ipſa tuſſitatione & paulo ante eandem ſtomachus; tuſſis in inſpiratione profundiori non ingraveſcit ut in pectorali, exacerbatur tamen, & crudelius poſt paſtum vexat ægrotantem.

Hæc Catarrhi ſpecies, quam benignam cenſemus, ubi tuſſis catarrhalis ſolummodo ſympathica eſt, pulmonibus aut integris, aut ita parce læſis, ut repurgato ſtyſtemate gaſtrico etiam ſuapte conſaneſcat æger, duplicem habet indicationem, ſaburram nempe evacuare, & ſtomachum repurgatum corroborare. Si materies infra evacuationem reperiatur, hæc fluida & mobilis erit reddenda, niſi turgeſcentia ſumma adeſſet: præſtabit id uſus remediorum incidentium ex terra foliata tartari, tartaro vitriolato, arcano duplicato aliisque hujus indolis ſalibus mediis, ſuperbibendo uncias aliquot decocti e radicibus graminis, taraxaci, cichorei &c. &c. addito melle vel oxymelle ſimplici, quæ ſat bene nauſeoſum dictarum radicum caſtrant ſaporem. Si tunc linguæ ſedimentum minus tenax, ructus nidoroſi, nauſeæ frequentes, flatus, borborygmi &c. materiæ indicent mobilitatem, hæc exturbanda erit, & ſtomachicis abſolvenda curatio.

Verum ubi labes hæc ſimul pulmones inquinat, alia ratione procedendum erit, & diſquirendum quanam ratione inficiatur pectus. Si morbus malignitatem necdum fuerit adeptus, præmiſ-

miſſis modo notatis, mixtura quædam ſalina cum oxymelle ſquillitico & ſtibio diaphoretico non abluto conducet: decocta pariter convenient graminacea, vel ex aliis ſaponaceis herbis radicibusve parata: his ſi ægre moverentur ſputa, kermes ut plurimum curam abſolvet, vel ejus loco refracta admodum doſis tartari emetici in aqua quadam conveniente ſoluti: ſemper tamen cavendo ne ſimilibus congratulemur ægris, priusquam ex integro priſtinum robur recuperaverint.

Patet ex his omnia divulgata pectoralia, ut ſunt lambitiva, decocta mollia, lenia, mucilaginoſa, lubricantia, oleoſa, non ſolum non lenire tuſſim hanc catarrhalem, ſed & eam confirmare, quum hæc fibras jam nimium relaxatas macerarent potius, & ſaburram primarum viarum generarent, aut jamjam adaugerent præſentem. Periculoſæ inſuper res foret aleæ, ſi narcotica ingererentur, opium præprimis, quod diverſis modis cacochyliæ favet: etenim laxitatem fibris inducit, & ex laxitate inſurgit ſaburra. Evacuationes primarum viarum hic ſumme neceſſarias ſiſtit, niſi ex rigiditate aut ſpaſmo ſupprimerentur, ut ſat edocuit cel. Stoll a). Actiones nervorum infringit, & ex actione nervorum impedita cito tum in ventriculo, tum alibi generatur ſaburra b).

Non abſimili ſæpe ratione detrimentum infert lanceola in catarrho ſimplici gaſtrico admo-

a) Stoll. rat. med. Pars 2. de Colica pictonum.
b) Haller ſecond mem. ſur l'irritabilité 182. 183. 185.

mota, quæ vix non ſemper primariam præbet malignitatis occaſionem: etenim quotiescumque venæ ſectio morbi cauſam non tollit, corporis vires in morbis ſaburralibus aſſidue ſervandas facile vincit, violat, frangit: *nihil*, inquit illuſt. van Swieten, *magis ad firmiorem curationem conducit, quam ſi firmæ fuerint ægri vires, illæ ergo omni ſpe ſervandæ ſunt* a). Præterea miſſo cruore laxatur tota corporis compages, hinc fomitis morbidi aggeſtio, viſcerum imbecillitas & promptior ſaburræ intra maſſam humorum reſorptio: *nam depletis majoribus venis facillime poterunt minimæ venæ bibulæ abſorptos humores majoribus venis tradere* b), inde inficientur humores, languebunt ſyſtematis gaſtrici functiones, imperfecta manebit digeſtio, manebit & imperfecta nutritio ob ſenſim inductam corpori cachexiam facillime præpediendam, difficillime ſanandam. Diametraliter ergo phlebotomia catarrho ſimplici gaſtrico adverſa eſt, dum absque phlogoſi ſordibus turgent præcordia, imo *expertus aſſero non una vice, plus nocuiſſe ſanguinem, ubi non oportuerat miſſum, quam non miſſum, ubi oportuerat* c).

De genere evacuationis in catarrho ſimplici gaſtrico nullus eſt qui dubitet: emeſim purgantibus palmam præripere jam ſæpius ipſa monſtravit natura, & obſervatio docuit: faſtidium, ructus ingrati, nauſeæ, frequentes ſat teſtantur

 ven-

a) Van Swieten Aph. 598.
b) Idem Aph. 554.
c) Stoll. rat. med. Pars 2. pag. 98.

ventriculi labem. Refutanda ergo methodus illa, quæ catharticis morbum una emeſi ſolvendum debellare nititur: penitus enim eradicare valet hic vomitorium, quod nequidem repetitis vicibus præſtare poteſt catharticum: hujus adeoque talis eſt neceſſitas, ut, niſi ſaburra per ſuperiora foras amandetur, in ſentinam complurium morborum ſit abitura, quæ crucem figent medico toto durante medicationis tempore, & ægrum in non leve periculum conjicient. Legenda de his cel. Profeſſor. Stoll. rat. medend. pars prima pag. 55. & ſeq.

Catarrhus malignus.

Tuſſim catarrhalem malignam compellamus eam ægri conditionem, ubi, ablata licet ſympathicæ tuſſis cauſa, & correcto ſtomacho, latens, acris, pituitoſa, bilioſa, aliaque alte infixa materies vellicat idiopathice pulmones, etſi non inficias eamus hos ſympathice ſimul inſultari poſſe. Catarrhus hic ex febre maligna reconvaleſcentibus vix non gentilitius tunc maxime obſervatur medicis; ſi neglecta prima febris malignæ, vel etiam ſimplicis catarrhi gaſtrici tempora fuerint, ſi ſerior adhibita fuerit medicatio, vel mala medendi ratione tractarentur ſimiles ægri. Catarrhos hos vidit ſæpius laudatus praxeos medicæ Profeſſor Stoll, ubi minus & multo minus liberalis erat in concitanda emeſi; vidimus & hoſce catarrhos in iis, qui ſerius ad noſocomium deferebantur progreſſo jam diutius & multum provecto morbo maligno, vel dum evacuatione ſanguinis ab

ab ipſomet ægro celebrata materies e primis viis intra circulantes humores reſorpta fuerit.

Cæterum catarrhus malignus quacumque demum ratione productus non minus ſæpe lethalis fit, ac ſi indelebili viru contaminarentur ægri: & ut aſſerti comprobem veritatem, breviter ſed vera fide ea mala exponam, quæ teſtis ocularis vidi in nobili quadam virgine ante duos annos catarrho ſimplici gaſtrico correpta, & ex mala, fors non intellecta medicatione, orci faucibus tradita.

Debilis hæc, mobilis admodum, ſummeque irritabilis puella, ſex circiter annos nata catarrho ſimplici gaſtrico vexabatur, & tuſſitando multum pituitæ rejiciebat: (etſi male certe ex ſola pituita per ipſam tuſſiendi actionem rejecta concluderetur ſemper pituitam peccare, eamque tuſſi rejectam ipſius cauſam eſſe) ad hoc ſyrupum diacodii ſimplicis copioſſime hauriebat, invehebatur continuo tuſſis, nec mutabatur medendi ratio, donec intra vaſa & humores adacta materia, jam pulmones in proprio ſinu foverent tuſſis idiopathicæ cauſam, & vera tuſſi convulſiva torqueretur. Paroxysmum inſtantem præſentiens ſtabat immobilis, & preſſa timore jam noti mali, omni ratione inſtantem tuſſim præpedire conabatur: at diu reſiſtere impos continua tuſſicula agitabatur, liveſcebat facies, & vix non ſuffocabatur inter meras tuſſitationes, corporisve brachiorum præprimis agitationes, donec finito paroxyſmo copioſe reiiceret ductilem quamdam, tenacem, pituitoſam materiam. Sub eodem ſemper uſu ſimplicis ſyrupi diacodii crudeliter amabilem hanc

puel-

puellam agitabat tuſſis, quæ paulatim miteſcere cæpit, tandemque finire. Verum morbo apparenter ſublato ac in veram malignitatem verſo, alia ſubveniebant certe non minus triſtiora; ſed

— — — — — Sero medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras.

Præterlapſa enim una alterave ſeptimana proſternuntur ægræ vires, ſenſuum externorum facultas omnis ſuſpenditur & mens ſoporoſa ſui conſcia non eſt. Ad hæc aperitur vena, reſectis capillis cucupha ex herbis nervinis imponitur, corpus unguento nervino fricatur, lingua ſpirituoſis ſaccharo inſtillatis humectatur, & cardiaca ſimul ingeruntur, applicatis dein ſanguiſugis & veſicantibus. Parum inde refocillata per cubiculum languida, tremula, & corporis ſuſtinendi impotentia membra trahebat. Succeſſu temporis debiles incipiens colligere vires, jam per ſe ſat commode greſſum & vitam agebat, ſed cum tanta mobilitate, ut minima occaſione data vix non tota perturbaretur. Multis ſeptimanis hæc rerum conditio perſtabat, ſibi ſemper ſimilis & oblivioſa valde, tandem per ſex octove dies denuo decubuit, ac convulſa primo, dein ſoporoſa migravit.

Satis ſuperque demonſtratum ex his habetur, quot & quanta infortunia ſint ex catarrho ſimplici gaſtrico neglecto aut male tractato oriunda: tenellum id raptum e vivis corpuſculum, ſuis adeo deſideratum teſtatur. Cæterum, quod catarrhi ſpectat malignitatem quacumque demum ratione inductam, aliud hic proferri nequit, niſi huic mederi debere ea ipſa remedia, quæ febri prin-

principali dicata ſunt. Morbo penitus fugato, quum noctu ſubinde tuſſitant ægri, indagandum erit num materia adhuc adeſſet emeſi in reconvaleſcentia excutienda: qua tum expulſa reconvaleſcentibus nihil agendum erit, ſed res potius tempori tunc medicorum principi committenda: cauſa namque tuſſim excitans ejus tunc ſæpe naturæ eſt, ut corporis reſtituto vigore aut ſponte immutetur, aut ſola vi vitæ e corpore eliminetur.

Catarrhus dentientium.

Tuſſim dentientium catarrhalem talem obſervant medici, ut in initio exiſtiment reipſa catarrhum adeſſe fors perfrigeratione natum, veſpertina deprehenditur febricula, veſpertina nocturnaque tuſſis & exacerbatio: plurimum emendatur, aut plane evaneſcit alvo ſponte fluente vel ſpontaneo vomitu, ſi non fluat alvus: nollem tamen quis crederet ano catove expulſos humores ſyſtematis gaſtrici ſolam ſemper & unicam eſſe progeniem, adeoque tuſſis dentientium catarrhalis unicam haberet cauſam in ventriculo idiopathicam: diverſa enim ratione excitari poſſe ſequentia docebunt.

Dentibus erupturis arcus maxillæ ſuperior, qui ex convergentibus alveolorum lamellis conſtituitur, incipit latior fieri, ſenſim a ſe invicem ſecedentibus his lamellis, ut denti erupturo locus fiat. Eo tempore internum, quaſi in ipſa maxilla pruritum ſentire videntur, dum perpetuo faciem, nares imprimis fricant & mentum. Ve-

rum

rum enim vero dentitione magis provecta, emerſurus dens jam mole auctior & major factus gingivam ſemper tumidam reddit, inflammationem (in dentitione difficile) inſignem in eadem parit, atque eam perrumpere omni vi conatur: hinc nata harum partium irritatione ingens fit in os ſalivæ profluvium, hanc deglutiunt dentientes, & deglutitam vel ano expellunt, vel ſpontaneo vomitu inter meras moleſtasque tuſſitationes ejiciunt; ita quidem ut catarrhoſi dentientes eo uſque videantur, donec expulſa illuvie, tuſſi ad aliquot ſaltem horas carere experiantur: & hac quidem ratione tuſſis dentientium catarrhalis excitari poteſt quemadmodum in catarrho gaſtrico diximus: ſed aliud quid hic ſubeſſe videtur, quæ hanc tuſſim in dentientibus excitare valeat.

Omnium nempe quæ in dentientibus obſervantur phœnomenorum explicatio petenda eſt ex natura febris dentientium: dens exitum quærens gingivas tendit, inflammat & febrim accendit; hæc a prodeunte dente gingivam irritante pertinet ad febres inflammatorias cum topica locali gingivarum inflammatione: hinc & tuſſis dentientium catarrhalis ob humores ad phlogoſim diſpoſitos, & ob nimiam mobilitatem infantis, qui vix non totus quantus nervoſus eſt & irritabilis, fors & ob nimiam vaſorum pulmonalium criſpaturam excitari poteſt, quin inde afficiatur ventriculus.

Notandum tamen erit ſub ipſa dentitione alia ſubvenire poſſe, quæ tuſſim catarrhalem generare valerent, quin ab ipſa dentitione depende-

deret; unde ſollicite monet Sydenhamus a) dum febres epidemice graſſantur, an febris illa ad conſtitutionem epidemicam referenda ſit, an vero a dentitione dependeat. *Vulgo enim notiſſimum eſt infantes a doloribus ex dentitione ortis, ſæpius in febres agi, quæ haud ita facile ab alterius generis febribus internoſcuntur.*

Catarrhus morbilloſorum.

Catarrhalis morbilloſorum affectio videtur in ipſa morbillorum eſſentia quadantenus conſiſtere; jam in ipſo contagii ſtadio propria hæc morbilloſis adeſt tuſſis catarrhalis, quam concomitantur ſternutatio, capitis atque oculorum gravedo & ſomnolentia perpetua. Plerumque e naribus ac oculis ſtillat ſerum aquoſum, certiſſimum morbillorum ingruentium ſignum. Pulmonibus primarie inimica eſt, primum & ultimum conſtituit ſymptoma. Facta morbillorum eruptione non mitigatur, ſed ingraveſcit & ſæpe jam facta deſquamatione necat. Obſervare enim eſt, inquit Sydenhamus b), febrem atque ſpirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius augere tuſſiculam, ita ut nec interdiu, nec etiam noctu fere ſomnus poſſit obrepere. Infantes præſertim ſub regimine calidiori, aut qui calidioribus uſi ſunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo ſunt obnoxii, quod

a) Sydenham. Schedul. monit. de nov. febris ingreſſ. p. 974.

b) Sydenham oper. med. de morbillo. Cap. V.

quod morbillis jam faceſſentibus ſe oſtendit, unde in peripneumoniam conjiciuntur, quæ plures jugulat, quam aut ipſæ variolæ, aut ſymptoma quodcumque ad eum ſpectans morbum; licet omni periculo vacent morbilli, ſi modo rite pertractentur. Hic prodeſt ea ipſa methodus, quæ contra morbillos nota eſt.

Generales tuſſis catarrhalis effectus.

Tuſſis catarrhalis cujuscunque deprehendatur originis vehementibus ſuis iteratisve ſuccuſſibus, quibus totum commovetur corpus, in alios pergraves nec raro lethales morbos terminatur: & quidem 1mo ex corporis motu violento, viſcera abdominalia in tuſſiente exagitantur, muſculi ventris convelluntur, contenta quaquaverſum comprimuntur, hinc non raro exurgit hernia; procidentia vel ani vel uteri; abortus; quandoque vomitus & ſudoris per univerſum corpus expreſſio.

2do ex pulmone & faucium agitatione fortiori pectus valide quaſſatur, ſanguis illuc potentius ac vehementius ruit, vaſa ſolvuntur, hœmoptyſis oritur, & omnis illa malorum ilias, quæ a ſputo cruento obſervari ſolet: præterea febris peripneumonica; in tenellis gibboſitas; cordis palpitatio; aneuriſma; ſuffocatio. Aër ſimul in pulmonibus contentus per anguſtas fauces violenter extruditur, mucus has partes obliniens frequenti aëris tranſitu abraditur, vox rauca fit, nec raro fauces ob nimiam agitationem periculoſam concipiunt inflammationem.

3tio. Ex pulmonibus ita conquaſſatis, ibidemque congeſtis humoribus perturbatur circularis ſanguinis motus, humores verſus caput pelluntur, accumulantur; hinc ſuffunduntur oculi rubore, lacrymæ exprimuntur, facies rubet aut livet; caput dolet, pulſat, & quaſi finditur: narium oritur hæmorrhagia; ſcotomia, vertigo, memoriæ læſio, inſultus epileptici, ipſa nonnunquam dira apoplexia.

4to. Dum tuſſis diuturna catarrhalis fiat violento motu animali, & inordinata pulmonum commotione nullum ſomnum aut quietem concedit, vires exhaurit; generatur debilitas; vires concoctrices perturbantur, hinc fit cruditas, quæ tandem liqueſcens & collecta producit hydropem, aut expulſa corpus macie conſumit.

VI.

ANTON. CRUCIANI
ISTRIANI BOGLIUNENSIS

DISSERTATIO
MEDICO - PRACTICA
DE
DYSENTERIA.

---

§. I.

Ut quoddam veluti lucidum conſtituatur punctum ex quo reliqua, quæ, quia ſæpe a principio ſun remotiora, cæterum minus cohærentia, immo avulſa penitus, falſaque viderentur, uberrimis quaſ radiis colluſtrentur, utque res ipſa, de qua agitur omnibus perſpicua reddatur, recte omnem ſermonem a rei illius definitione ordiendum, de qua diſſerere eſt animus, ſuadet ratio.

Varia, eaque controverſa inter Authore græcos de *Dyſenteriæ* Etymologia eſt opinio; cæte-

terum Δυσεντερία e δύς *difficilis*, & εντέρον *inteſtinum* compoſita vox, communiter latinis ſcriptoribus *difficultas inteſtinorum* appellari conſuevit. Galenus eam Ελκωσίν εντερων *Exulcerationem inteſtinorum* vocat a), item b) deſcribitur, *quod ſit exulceratio inteſtinorum cum inflammatione, & cruentarum, aut etiam ſtrigomentoſarum ſordium excretione, morſum, & alvi dolorem, ac inteſtinorum afferens:* latiniſſimus interpres Celſus, eam per *Tormina inteſtinorum* latine expreſſit; morbum enim deſcribens aperte ita loquitur: *proxima his inter inteſtinorum mala* Tormina *eſſe conſueverunt, δυσεντερία graece vocatur* c) ita & Scribon *Dyſentericos*, id eſt *Torminoſos* ſcripſit d). Cardanus vero dubitans interrogat: *an Tormina latine, ſint Dyſenteriæ græce, ut credam non facile adducar;* ſubjungit demum, *ſed potius* difficultas inteſtinorum, *ut etiam nomen ipſum indicat* e).

§. II.

Variam dyſenteriæ etymologiam ſpectare mox licuit; quid autem mali ſub hoc nomine Veteribus veniebat, dicam: Hippocrates cum ſuis coævis, & ſucceſſoribus per dyſenteriam, quemcunque alvi fluxum intellexere, & quandocunque ſanguis per alvum excernebatur (ſolis hæ-

P 2 morr-

a) l. 6. de L. A.

b) in defin. medic. Galeno adſcriptis.

c) l. 4. 15. pag. 224.

d) n. 85.

e) lect. 33. in Hipp. de aëre p. 71. 4. 15. f. 51. 6.

morrhoidibus exceptis) *Dyſenteriam* vocarunt. Ita Duretus dyſenteriæ naturam ex mente Hippocratis expreſſam ſic refert: *dictum eſt a nobis antea hujusmodi morbos* (puta dyſenteriam, lienteriam, diarrhæam, teneſmum) *naſci confluentibus excrementis in alvum* a). *Ac dyſenteria quidem cum ſanguineis dejectionibus, quocunque illæ modo exortæ ſunt* b). Hanc quoque Hippocratis ſententiam confirmat ſupra laudatus Commentator concludens: *ergo nec ſemper tormentum eſt inteſtini, nec ſemper ulcus dyſenteriæ cauſa morbifica, ut Celſo placuiſſe video &c. Igitur ut paucis complectar, ac dicam, quod ſentio: dyſenteria omnis cruenta egeſtio eſt per inteſtina undecunque illa egeritur.* c). Quin etiam Galenus idem ſenſiſſe videtur, dum cruentam dyſenteriam dixit *ſanguinis evacuationem per inteſtina citra exulcerationem* d). Eodem nomine illum quoque ſanguinis per alvum fluxum vocavit, qui in artuum extirpatione paſſis, & ob ſolitos labores intermiſſos plethoricis obſervatur e), licet idem exulcerationem inteſtinorum dyſenteriam dixerit; atque adeſſe negaverit, ſi mordaces humores per alvum fluxerint, antequam inteſtinorum exulceratio fuerit facta f). Celſus Dyſenteriam, quam latine *Tormina inteſtino-*

a) Comment. in Coac. Hipp. pag. 344.

b) Hipp. 1. Epiſt. Lib. Part. 2.

c) loc. cit.

d) In Comment. Aphor. 65. Sect. 5. T. 9. p. 24.

e) Idem Comment. 4. in Hipp. de artic. T. 12. p. 450.

f) Comment. 2. L. 2. Epid. T. 9. pag. 138.

norum vocat, ita deſcribit: *intus inteſtina exulcerantur: ex his cruor manat, isque modo cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modo cum quibusdam quaſi mucoſis excernitur; interdum ſimul quædam carnoſa deſcendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano eſt. Cum eodem dolore exignitum aliquid emittitur, atque eo quoque tormentum intenditur &c.* a).

§. III.

Viſis his Veterum de dyſenteria opinionibus, cum recentioribus *frequenti, parca, torminoſa, teneſmoidea alvi depoſitione* dyſenteriæ abſolvi definitionem credo; ſic enim a cæteris inteſtinorum morbis ſat bene eandem diſtingui arbitror.

Boerhavii, quam in Aphor. 815. complectitur, minus placet definitio, & eam potius *Diarrhœam torminoſam*, vel ſi vis *Dyſenteriam ſpuriam* dicerem; in dyſenteria enim copioſa alvi dejectio deſideratur, quam ibidem Cel. Vir ſupponit; cæterum a draſtico aſſumpto ortam hypercatarſin, quæ plerumque cum dolore adeſt, *Dyſenteriam* vocares.

Cruoris per alvum excretio nullum certe eſt dyſenteriæ pathognomicum ſignum, cum ſæpe absque ullo teneſmo, aut torminibus obſervetur, atque ideo ad diarrhœam cruentam referenda; præterea non raro materies bilioſa, mucoſa, atrabi-

a) l. 4. c. 15. pag. 224.

bilaria per alvum ruere obſervatur cum teneſmo moleſto, & torminibus validis, quæ propterea dyſenteriæ nomine inſigniri haud deberet. Hæmorrhoidalis ſanguinis fluxus cum dolore ſæpius quidem prodit, verum a dyſenteria in eo diſtinguitur, quod ille præcedat fæces, ubi in hac vel poſt, vel cum fæcibus exit a).

Sola *tormina* juxta Celſum ideam morbi confundunt potius, quam declarant, licet enim nulla detur dyſenteria ſine torminibus; plurima tamen excruciant mortales tormina, quod variæ colicæ ſpecies teſtantur, quin propterea ullus, niſi peregrinus in republica Aeſculapea, miſerorum tormina dyſenteriam apellare præſumat.

Non denique *exulceratio inteſtinorum* juxta Aeginetam ad mentem Galeni, cum contra morem aliarum partium nervoſarum, quæ acri colluvie jugiter irrigatæ vix, aut ne vix quidem coaleſcunt, dyſenteria tamen non raro opinione citius penitus perſanetur.

§. IV.

Sedes mali inteſtinalis tubi membranæ ſunt; conſtat enim ex cadaverum ſectione, inteſtina craſſa præcipuam dyſenteriæ præbere ſedem, & inter hæc inteſtinum colon præprimis; morbum deinde ad rectum deſcendere, huic omnium ultimo valedicere. Sed quæ hujus ratio? fors inde repetenda, quod inteſtina craſſa magis carnoſa ſint

a) Bagl. Prax. med. l. 1. p. 191.

ſint, ſanguine magis irrigua, atque adeo laxa magis, unde fit, ut humorum acrium copiæ, fluxui, atque actioni multo minus reſiſtant, quam tenuia, quæ membranoſa magis, & exangvia ſunt; adde quod humorum acrimonia in tenuibus inteſtinis a chylo, qui illorum perluit cavitatem, temperetur, & demulceatur; quod in craſſis non accidit, chyli præſentia ferme deſtitutis, & in quibus præterea excrementa acria ob ſuos exaltatos ſales cauſæ morbificæ actionem juvant, ne quid dicam de illorum rugis, atque cellulis, humores morbum facientes diutius retinentibus.

Paulo rarius eidem morbo (bono quidem omine) ſubjacent inteſtina tenuia, & non niſi morbo diutius durante, morbo regimine malo exaſperato: id vero noſcere proficuum eſt, ſiquidem periculum majus in hoc, quam in priori caſu, inſtat; quare locus doloris, doloris genius, tempus inter tormina, & factam excretionem interjectum eſt conſulendum; dum enim dolor circa umbilicum, & magis in regione epigaſtrica, velut culter dilanians adeſt, quando etiam præter frequentes nauſeas, & anxietates, tardior poſt tormina excretio cruoris, aut materiæ alterius plus fæcibus commixtæ ſequitur, tunc tenuia inteſtina vitiata videntur; craſſa contra pati veroſimile eſt, ſi dolor infra, & pone ventriculum, nec non circa hypochondria remiſſior, obtuſiorque percipitur, ſi minor ſit nauſea, & invaletudo, ſi demum celeri poſt tormina dejectione ſanguis, aut quæcunque materies cum excrementis confuſa minus prodeat. a)

P 4 §. V.

a) Bagl. loc. cit.

§. V.

Verum & cauſam tanti mali in medium proferre ſuadet ordo: hanc quantum complector animo, duplicem agnoſcunt practici: *proximam* aliam, aliam vero *remotam*.

Proxima Dyſenteriæ cauſa eſt acre ad membranas inteſtinorum depoſitum irritans inteſtina, eaque ad frequentem excretionem ſollicitans, cum validis torminibus, & teneſmo.

Remota partitur in eam, quæ corpori inhærens, προηγουμένη ſive *prædiſponens* ad ſuſcipiendum morbum dicitur, qualis eſt idioſyncraſia hyſtericis, & hypochondriacis frequens, aut cacochymia bilioſa, atrabilaria, mucoſa, ſcorbutica, arthritica, venerea, temperamentum laxum, vitæ regimen, morbus prægreſſus, potiſſimum dyſentericus, aut alius quiscunque fluida cum ſolidis immutans, epidemia; & προκαταρκτικὴν, *excitantem*, ſeu *occaſionalem*, quæ prædiſponenti juncta, junctis viribus eo collimant, ut cauſam proximam generent, atque adeo ipſam conſtituant morbum.

Hanc Veteres ſub *ſex rebus non naturalibus* ſpectabant, quam commodius Boerhavius, atque indagini longe aptius immortalis Vir in quatuor claſſes redegit; harum ſingulam breviter percurram, viſurus an non & ſingula claſſis ad morbum hunc, quid contribuere poſſit.

§. VI.

§. VI.

Ingeſta: omnium primo præcipuum illud vitæ pabulum, *Aër* ſcilicet, ſeu pravis, corruptis, & (ut verbo dicam) acribus, aut acidis exhalationibus turgeat; arſenicalibus puta, vitriolicis, aluminoſis &c. e variis terræ criptis apertis, aut hiantibus elevatus; aut aliis halitibus abundet, ex cadaveribus poſt belli ſtrages, ex aquis, lacubus, & ſtagnis putridis, aut aliunde manantibus, vel perverſis tempeſtatum ordine, atque temperie in craſi ſua vitietur, atque adeo ignota qualitate peccans, ſpirando hauſtus, miaſma Epidemicum ad ſummum ſubtilitatis, ac volatilitatis gradum evectum, corpori communicans, mox facit, ut ſani cæteroquin homines, dyſenterico huic miaſmati ſuccumbere cogantur; & non raro in ipſo morbi principio illico proſternantur vires, non a copia materiæ excretæ exhauſto corpore, ſed venenata quaſi vi miaſmatis ſuſcepti deleto robore, quod perbene caſtrenſes noverunt Medici.

Fertilem Dyſenteriæ cauſam eſſe aërem effluviis putridis imprægnatum ex illuſt. Boerhavii Commentatore a) ſponte patet, ubi medicum moribundi dyſenterici fæces examinantem, tetro illarum halitu adflatum, illico in eundem morbum delapſum afferit; multosque ſibi hunc morbum contraxiſſe, dum linteamina dyſentericorum fæcibus conſpurcata mundarent, teſtatur Degne-

a) Swiet. comm. ad p. 977.

rus. a) Non minus ſtragula, veſtimenta &c. ſquallore hocce putrido contaminata virus dyſentericum aliis tradere apta ſunt reperta notante Cl. Ellero; b) ſed & hominem, qui ſanguinem humanum per aliquot menſes phialæ incluſum, putridumque olfecerat, vera dyſenteria correptum affirmat Pringle c).

Viciſſitudines notabiliores aëris jam ſicci & humidi, jam calidi, frigidique dyſenteriæ producendæ conprimis favent; quare & Cel. Zimmermann d) frigus ante ſolis ortum ſubſequentem meridianum magnum calorem, atque hunc excipientem noctem frigidam, & humidam, potiſſimam ſtatuit cauſam morborum caſtrenſium, atque adeo etiam *Dyſenteriæ*, in caſtris ſiquidem magis expoſiti ſunt viciſſitudini aëris, aëri humido, rori, pluviisque continuis.

Verum juxta Hippocratem: *mutationes anni temporum maxime pariunt morbos*, e) & alio in loco: *ſiquidem hyems ſicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum, & auſtrale, æſtate neceſſe eſt febres acutas fieri; & dyſenterias, maxime autem mulieribus, & viris natura humidis* f).

So-

a) de Dyſent. c. 1. §. 41. pag. 32.

b) Sect. 13. de Dyſent. Epid. pag. 270.

c) de Dyſent. caſt. ſect. 3. c. 6.

d) de Dyſent. c. 3.

e) Apor. 1. Sect. 3.

f) Idem. Aphor. 11. l. c.

Solida enim per ſiccum hyemale frigus corroborantur, ſed & eodem tempore fluida ſimul compinguntur; accedente vero pluvioſo veris calore, enervato vaſorum tono, & liquatis humoribus colluvies ſeroſa naſcitur, quæ mora & calore atmoſphæræ corrupta per arterias meſentericas ad inteſtina delata, tam copia, quam acri ſuo ſtimulo dyſenteriam cauſat; id autem præcipue mulieribus, & viris natura humidis, quod ob flaccidam aliunde ſolidarum, & mucoſam plerumque humorum diatheſin, inſenſibili perſpiratione, aut alia via hanc cacochymiam excutere nequeant; tum proſequitur: *Si vero hyems auſtralis & pluvioſa, & tranquilla ſit, ver autem ſiccum, & aquilonium, cæteris mortalibus dyſenteriæ fiunt, vernales nobis dictæ.* a) Siquidem excernendi humores intra cutis ſpiracula frigore verno conſtricta retinentur, tum ſtagnatione corrumpuntur, ſimulque tunc temporis aucto vaſorum elatere, ad inteſtina modo laxiora repulſi turmatim alvo torminoſa eliminantur.

Quamquam nulla ſit anni pars, in qua dyſenteria obſervata non fuerit; obſervatis tamen omnium ferme in arte peritiſſimorum virorum confirmatur, ſub finem æſtatis, jam ingruente autumno, dyſenterias ſæpius, eaſque etiam epidemice præ alio quocumque tempore graſſari, etenim æſtivo calore rarefactis humoribus, fluidiora diſſipantur, & laxato pororum tono augetur perſpiratio, retinentur craſſiora, eaque acriora fiunt & facilius, quo magis oſcula exhalantium va-

a) idem Aphor. 12. l. c.

vaſorum aëre autumnali partim humido, partim frigidiuſculo opilata perſpirabiles humores colligunt, qui a venis bibulis reſorpti quidem, ſed ſuppreſſa jam perſpiratione ad inteſtinorum membranas ruentes, dyſenteriam toties pernicioſam generant, de qua olim Hippocrates meminit inquiens, *Autumno autem, & multi ex æſtivis — & dyſenteriæ* a), tum alio in loco: *in autumno morbi acutiſſimi, & pernicioſiſſimi omnino* b); accedit, quod hoc anni tempore frequentes habeantur aëris viciſſitudines, quas ad mali hujus geneſim plurimum conferre jam ſuperius monueram.

Conſtanti inſuper, & antiqua etiam obſervatione evictum teſtatur Cl. Pringle c), illa anni tempora, quibus muſcæ, erucæ, aliaque inſecta generantur, uberrimas quoque dyſenterias produxiſſe; non vero id propterea, quaſi hæc animalcula illius cauſa forent, ſed quod eadem cauſa, quæ dyſenteriæ favet, favet etiam ejusmodi inſectis, quæ & Zimmermanni d) mens eſt.

Plura de aëre utique dici adhuc poſſent, ſed hæc ad ſcopum meum ſufficiant credo.

§. VII.

Alimenta prava, & corruptibilia cuicunque reguo natales ſuos debeant, morbo huic pro-

a) Aphor. 22. Sect. 3.

b) Aphor. 9. Sect. 3.

c) Sect. 3. c. 6.

d) De Dyſent. c. 3.

producendo ſunt paria; unum inſtar omnium argumentum eſt fames in aliqua regione, aut obſeſſa urbe, vel in militum caſtris regnans, quam ut plurimum dyſentericus ſequitur alvi fluxus ob prava, acria, & ab uſu aliena comeſta edulia, porros, cæpas, allia, olera cruda, vel (ſit fides penes authores) aëre corrupta, vel nebulis, & pluviis perniciofis infecta, aut inſectorum exuviis imbuta, herbas varias, earumque radices: cerealia ſemicorrupta, & ſuffocata fracedine, dum pane inde confecto veſci coguntur homines ex annonæ penuria, dyſenteriam producere affirmat L. B. van Swieten a). *Origo Dyſenteriæ*, inquit Hoffmannus, *plerumque derivanda eſt a maligno, venenato rore, qui fructus agreſtes obſidet* b), adeoque fructus horræos præ reliquis Cl. Vir maxime inculpat c), dum acri & toxica pruina non abſterſa, frigida, vel cereviſia recente ſuperpota, imprudenter ingurgitantur, qui tam ex pulpoſa ſua fabrica, quam mutabili tunc atmoſphæra perfacile corrupti, calore corporis interno ſummum acorem contrahunt, atque inteſtina ad crebras dejectiones ſollicitant; ſicque dyſenteriæ aliquam cauſant ſpeciem.

Nollem tamen, quis univerſim fructus horræos inculpet; diffiteri enim nequeo permultos medicos, eosque claros eſſe Viros, qualis Strakius, Tiſſotus &c. qui e fructuum horræorum

a) In comm. ad §. 977.

b) Part. 1. de diæt. §. 14. Tent. 3.

c) Ibid. Tent. 1. §. 19.

rum uſu dyſenteriæ ortum negent, quin ab his ipſis præſidium, & medelam ſuomet in corpore teſtentur, novi præterea Cel. Zimmermann ſcopo prophylactico ſvaſiſſe hos fructus; verum in illos culpam rejiciendam puto, qui immaturi, corruptive jam, vel facile corrumpendi, aut difficulter digerendi ingeruntur; ingeſti ſiquidem immaturi, vim eludunt ventriculi præcipue debilis, aciditatem ſuam magis ac magis extricant, quæ dein inteſtinorum laceſſit tunicas, atque ſanguinem, ſalibus acidis in dicta inteſtina denuo per motum circularem refluentibus, inficit, aut iidem fructus ad fermentationem ſuſcipiundam, propter laxam particularum ſuarum texturam, juvante potiſſimum calore viſcerum, fermentare incipiunt, aër tum, ſilveſtre Gas Helmontii, rarefactus, tono fibrarum hac ipſa expanſione enervato, ſponte aceſcunt, atque acri ſtimulo, inteſtina irritant, erodunt, & dyſenteriam generant; aut denique iidem male ſubacti, corruptelam pravam inducunt, & in putridam, acremve mutantur colluviem, unde acriora, & magis irritantia fiunt excrementa; atque inde deducendas puto colicas illas paſſiones, ſævaque ventris tormina, quæ cum borborygmis, totiusque abdominis ſtrepitu homines a fructuum copioſo, & immoderato eſu divexare ſunt ſolita.

Eadem prorſus ratione agunt dulcia, ſacharata, mellita & ſaponacea, ſi nimia quantitate, aut longiori uſu aſſumantur, præter quod apta ſint ad fermentationem, vi ſua ſolvente vias primas muco naturali ſpoliando, tunicam villoſam eroſioni obnoxiam faciunt, debilitant inteſtina,

unde

unde facilius ad hæc acre dyſentericum derivari poteſt.

Verum animalium etiam quæcunque partes, ipſa adeo illorum producta, utpote ova, lactis oleoſæ partes, cremor, butyrum, caſeus ipſe ad dyſenteriam producendam apta nata ſunt, quatenus ſuapte natura jam alcaleſcente fomitem dyſentericum proprio ſinu fovent; adeoque acrimonia putrida, vel calore aëris extra corpus contracta, vel eadem in ipſo corpore debili cæteroquin, aut cacochymico extricata, cauſam dyſenteriæ abſolvunt.

Potus aquæ frigidæ æſtuante corpore, aquæ fœtentis, vermibus, & inſectis variis divitis, potus aquæ crudæ per cupreos canales fluentis, aut per fodinas mineralium erodentium tranſeuntis, ſtimulis ſalinis, vitriolicis, arſenicalibus imprægnatæ non minus, ac potus liquorum fermenteſcibilium dyſenteriæ producendæ quam aptiſſimi ſunt.

Sub *ingeſtorum* claſſe *Medicamenta* itidem pugnant, purgandi potiſſimum ſcopo aſſumpta, quæ aut nimia doſi, aut longiori uſu, aut virtute ſua draſtica, & virulenta, crebras evacuationes excitant, ſicque mucum auveruncando, eroſis tunicis alvum cruentam cum teneſmo, & dolore, atque adeo dyſenteriæ quandam ſpeciem producunt.

§. VIII.

Geſta cauſarum excitantium ſecunda claſſis complectitur; veroſimile profecto eſt *nimium to*

tius

tius corporis motum dyſenteriam quoque producere poſſe, quatenus adtritis ſolidis, ac fluidioribus diſſipatis reliqui humores diſſipati, & jam ſua ex indole in putredinem proni; ſalibus eorum, atque oleis repetito continenter adtritu exaltatis, acres, rodenteſque fiunt, tum ad inteſtina ruentes, acri ſuo ſtimulo valida tormina, & teneſmum excitant, donec per copioſam alvum exturbentur.

Non minus motus inteſtinorum ſpaſmodici hyſtericis, & hypochondriacis perquam familiares dyſenteriæ cauſa fieri poſſe videntur, dum inſigne quoddam animi pathema, ut timor, ira, terror, ingentem ſpirituum animalium turmam ad tubum inteſtinalem tumultuarie detrudit; unde inteſtina ſpaſmo quodam convulſa ſe contrahunt, aut motu periſtaltico aucto ſe ipſa torquent enormi cum dolore, ſicque altera ſui motitatione mucum naturalem quaſi deglubendo, hunc una cum contentis propellunt, exprimunt, & ad excretionem extimulant, aut paralytice quodammodo adfecta, fæces etiam initio homines ſæpe cum torminibus dimittunt.

Præterea *quis tam animi*, *quam corporis nimia* hominum, qui melancholiæ, maniæ, labi hypochondricæ, hyſtericæ, morbis longis obnoxii ſunt, aut in locis humidis, frigidisve cum victu dyſpepto otioſe vivunt, inducta ſenſim cacochymia ſcorbutica, ad dyſenteriam cooperatur.

Idem de *Somno*, atque *Vigilia* modum excedente certo quodam reſpectu eſt intelligendum.

§. IX.

§. IX.

Comprimis vero dyſenteriæ producendæ a-
vent *Excreta nimia*, ut ſaliva, ſuccus gaſtricus,
ancreaticus, entericus, bilis ipſa, & mucus na-
uralis, quorum nimia excretio diarrhæam ſeroſam
rimo, vel (pro ratione excreti humoris) bilio-
am, tum vi ſua ſaponacea mucum inteſtinalem pe-
itus abſtergendo, aut acrimonia ſua inteſtina ro-
endo, alvum torminoſam, ac teneſmodem ſæpe
enerare ſolet teſte Hippocrate: *A meraca deje-
ione dyſenteria malum* a). Alvus nimia quacun-
que de cauſa enata, tonum inteſtinorum enervan-
o, magnaque humorum, ac muci evacuatione
crimoniam augendo, tormina abdominis atrocia
xcitaſſe idem Divinus Vates docet: *Ab alvi pro-
uvio dyſenteria* b).

Frequentius adhuc culpanda ſunt *Excremen-
a retenta*, quorum primas obtinet perſpirabile
anctorianum, quod ceu vapor inſenſibilis ex omni
orporis intus extusve poroſa ſuperficie exhalans,
iraculis quacunque ratione clauſis, ſtagnatione
crius, ac in maſſam ſanguinis reſorptum, & blan-
os acrimonia ſua inquinans humores, præter va-
as in œconomia animali turbas, quam ſæpiſſime
yſenteriam producit. Idem de ſudore intellige.

An non & ſolitæ ſanguinis evacuationes
er nares, uterum, hæmorrhoides, impedito
fluxu,

a) Sect. 7. Aphor. 23.
b) Idem Sect. 7. Aphor. 75.

fluxu, vias præternaturales affectando Dyſenteriam etiam cauſare poterunt? ita ſane videtur quod & Boerhavius de lochiis affirmat a).

Huc quoque referenda videtur materies quævis exanthematica, ſic varioloſa, morbilloſa, miliaris, aphtoſa, eryſipelatoſa, ſcorbutica, venerea, arthritica,illioſa, atrabilaria, viſcerum tabefactorum ichor, cancri ſanies &c. per inevitabilem quoque ſæpe metaſtaſim inteſtina obſidens, dyſenteriæ toties lethalis cauſa extitit.

§. X.

Poſtremo *Adplicata externa* corpori, *ut aër* frigidus æſtuanti corpori admiſſus, *vapor* ex ſublimatione Arſenici, vel Mercurii, aut fuſione Antimonii &c. cutis ſperacula ſubiens, vel cum ſaliva deglutitus: *Fomentum*, aut *Balneum* frigidum, quod pro mira quorundam temperie dyſenteriam cauſat: *Veſtes* humidæ & frigidæ frigore ſuo perſpirabile repercutientes, dum pro ratione temporis citius, quam cautius mutantur: *Linimentum*, *Unguentum*, *Emplaſtrum*, quæ partim principiis ſuis oleoſis poros cutaneos oppilando, diaphoreſim impediunt, partim ſtimulo ſuo mixto, & per vaſa bibula cutis reſorpto, alvum torminoſam generare obſervantur, quod de ungv. Artan; Pedic. contra verm; Empl. de Ran. cum ☿*rio* perhibetur, qui etiam ☿*rium* vivum externe illitum dyſenteriam inferre,

a) Aph. 1329.

ſerre, obſervant Galli, ſæpius per injectiones ☿ *ales* luem venereum curantes, narrante Etmillero a).

§. XI.

Sua ſingulis placet methodus; quare & dyſenteriæ varia pro diverſitate Authorum habetur diviſio.

Hanc alii ratione ſuæ *Originis* in *Protopaticam*, ſi ipſa primarius morbus fuerit, & in *Deuteropaticam* ſi natales ſuos prægreſſo alicui morbo debeat. Alii pro *Effectus varietate in Criticam*; um metaſtaſis materiæ, corpori nociturae alicubi ucta per alvum critice ſolvitur, qualem Bioni ſeni pud Silenum decumbenti Hippocrates refert b). tem notante Dureto: *excretio critica humoris orbifici, & febris acutæ ſenibus per dyſenteriam; phœbis per hæmorrhagiam narium fit* c), ſed & tione *Genii* ipſius *morbi* in *Sporadicam*, ſeu agam, quæ a cauſa peculiari in variis regionibus rocedens, hos tantum, illosve adficit, quibus ob ngularem idioſincraſiam, vitæ genus, aut morbos rægreſſos, labile ſolidorum robur, aut prædominans acrimonia inhæret, rarius occurrit, neque ab no ad alium ita facile migrat; & in *Epidemicam* ii eam dirimunt, quæ cauſæ communi ortum ſuum tteſtans, omnes, aut ſaltem quamplurimos in

Q 2 eadem

a) de Dyſent. pag. 208.

Lib. 2. Epid. part. 3.

c) in Coac. Prænot. pag. 345.

eadem regione, in eodem loco degentes, diverſa licet temperie præditos, variaque ratione viventes, indifferenter invadit, ſæpius numeroſa ſtrage perimens, de qua plura habentur in Sydenhamo, Pringlio, Strackio, Tiſſoto, Ellero, Zimmermanno, aliisque, qui accuratiſſime omnia ad talem Dyſenteriam pertinentia ſumma cum induſtria deſcripſere. Sunt qui & *Contagioſam* dicunt; ſed an talis datur? Vix crediderim, ſaltem contagio tali caret, quo Variolæ, Morbilli, Lues venerea, Scabies gloriantur, ſecus non toties jam cum reliquis Collegis eadem fuiſſemus aggreſſi, dum dysentericorum fæces luſtraremus, & inter eos ſæpius verſaremur, ubi vel inviti hauriebamus putridiſſima effluvia totis naribus: novi equidem, quæ de dysentericorum fæcibus Swietenius, quæ de linteaminibus fæcibus iisdem conſpurcatis Degnerus, quæ de ſtragulis, & dyſentericorum veſtibus Ellerus, & quæ de nutricum dyſentericarum lacte Home affirmat; verum ut his contagium demonſtrari poſſet, communi cauſa tales ſubjectos non fuiſſe evincendum foret; ea præterea an ſemper eadem?

Alii ratione *Excretæ materiæ* dividunt in *Cruentam*, ſeu *Sanguineam;* dum in principio vel morbi decurſu ſtriæ ſanguineæ, cum muco intricatæ ſimul excernuntur, aut malo jam provectiore per diabroſin vaſorum meſentericorum cruor expreſſus, corruptis liquidis immixtus per alvum ejicitur; vel *Incruentam*, ſeu *Albam*, quando mucoſa, ſeroſa, bilioſa; atrabilaria, purulenta, ichoroſa materies vel ſola, vel aliis ſubſtantiis, aut fæcibus, pituitæ gelatinoſæ, carunculis, membranis conjuncta cum teneſmo moleſto, & validis tor-

torminibus per alvum ruere obſervatur. Ratione *loci affecti* in eam, quæ in *tenuibus*, atque eam, quæ in *craſſis inteſtinis* agnoſcit ſedem aliis ſolet dividi, denique & ratione *temporis* in eam, quæ *incipiens* eſt, ſeu in *primo gradu* cum crebra excretione torminoſa materiæ mucoſæ, ſpumoſæ, quandoque ſtriis cruentatæ, vel *ingraveſcens*, *ſecundo gradu* cum excoriatione inteſtinorum, alvo cruenta, & ramentoſa; vel prorſus *confirmata*, & in *tertio gradu*, cum gangræna tubi inteſtinalis, ejusque fruſtulis ſpecie caruncularum cum putrilagine humorum una excretis.

§. XII.

Verum omnes hujuscemodi Dyſenteriæ diviſiones ad curam vix quidpiam, plus ad ejusdem morbi prognoſim conferre videntur, id autem Medici Clinici muneris eſt, talia de morbis ſtatuere, quæ iis auveruncandis unice faciant, & nomenclationes morborum condere tales, ut ſine mora audito nomine, & ipſum morbum noſcas, & noſcas quid partium nunc ſit, ut præſens ægritudo quantocius abigatur; quare ſequentem inſtituam *Dyſenteriæ* partitionem, ipſamque in talia diſtribuam membra, ut mox per ſe clareſcat, quid auxilii deſcripta poſtulet infirmitas.

Optime igitur credo eam dividi in *Veram*, & in *Spuriam*.

Vera ſiquidem ſemper adjunctam habet febrim, licet nonnunquam minimam, aut ſaltem diſpoſitionem febrilem (etſi non frigus, & calorem, ſed ſaltem aut ſitim, dedolationem, dolo-

rem, capitis &c. advertas; nam & hæc ſunt ſymptomata febrilia) quamquam Cl. Zimmermann a) neget a vera Dyſenteria frigus, debilitatem, proſtrationem virium abeſſe; nil obſtat febri ſi primus diebus celerior non ſit, imo ſit valde parvus pulſus, obſervatur tamen in morbi decurſu notabiliter acceleratus; ſed quod majori attentione dignum, obſervatis practicis mox laudati Viri, tum & factis a Cel. meo Praxeos Profeſſore in ſuis Noſocomiis, conſtat, Dyſenterias cum magna febre, minus fuiſſe periculoſiores cum febre vix percipienda: putridiſſimas certe æque, ac periculoſiſſimas vidi febres, in quibus explorato pulſu ſaniſſimum pronunciaſſes ægrum, ni alia præſentia ſymptomata id vetuiſſent.

Vera igitur pro ratione adjunctæ febris dividitur in *Simplicem*, & *Complicatam*, illa in *Simplicem Rheumaticam*, *Inflammatoriam*, *Bilioſam*, *Putridam*, *Benignam*, *Malignam*, *Intermittentem*, *chronicam*, hæc in *Rheumatico-bilioſam*, *Inflammatorio-bilioſam* &c., has ſingulas in earundem cura uberius contemplabor.

§. XIII.

Incertum eſt quamdiu duret, aut quando finiatur Dyſenteria, quare cautiſſimum in formanda illius prognoſi Medicum eſſe oportet; quandoque in principio benignam ſimulat Diarrhæam, pedetentim vero malitioſe, & cum magno ægrotantis periculo Dyſenteria emergit; cæterum in for-

a) de Dyſent. c. X.

ſormanda prognoſi ille erit felicior, qui remotam cauſam perſpectam habuerit, habito ſimul reſpectu ad ætatem, ſexum, temperamentum, vitæ genus ægri conſuetum, medicaminum adhibitorum, annuæ conſtitutionis, periculi morborum graſſantium, annuæ & ſtationariæ febris; potiſſimum illius, quæ dyſenteriæ eſt mater, a cujus majori vel minori periculo, boni quid, aut mali de dyſenteria quoque ominari licebit.

Dyſenteria recens (cæteris paribus) facile curatur apud tales, quibus domi res non eſt anguſta; difficilius vero apud homines infimæ ſortis, non modo opem tardius anhelantes, verum aëre frigidiore, humido aut impuro, teſte Cl. Pringlio veſcentes. a) Inteſtina craſſa facilius morbum ferunt, periculoſius ægrotant tenuia.

Dyſenteria ſi febris malignæ, aut variolarum ſymptoma fuerit, periculoſa, & fere lethalis cenſetur.

Durante dyſenteria ſalvus appetitus ventriculum labis expertem, bonumque ſignum promittit; *at in longis dyſenteriis adpetitus proſtratus, malum, & cum febre pejus* monente Hippocrate b).

Dyſenteriæ ructus ſuperveniens vel crepitus ventris, bonum eſt augurium redeuntis ante perverſi motus periſtaltici, & chylificationis.

a) de Dyſent. Caſt. Sect. 1. Cap. 6.

b) Aphor. 3. Sect. 6.

Singultus in principio morbi non adeo funeſtus eſt, ac in progreſſu, tunc enim vel ab inanitione, vel a gangræna naſcitur.

Vomitus ab initio aſſumptorum bene præoccupatur, contra vero ſi fuerit ſerotinus. *Dyſentericis vomitus in principio bilioſus malus* dicitur Hippocrati a). Degnerus contra affirmat, bonum eſſe indicium, ſi ægri bilem flavam, & adhuc magis, ſi bilem viridem quocunque morbi tempore, & imprimis in initio ſponte, vel medicamento exhibito vomitu, aut dejectionibus excernerent, toto mali fomite ſic ſimul, & ſemel ablato, eo autem citius ægros convaluiſſe, quo maturius talis fieret evacuatio b); bonum itidem affirmat vomitum in initio dyſenteriæ putridæ Zimmermann, malum autem ſi in decurſu morbi ſæpe recurrat, præcipue poſt omnem cibi, aut medicamenti aſſumptionem, itidem ſi in initio inflammatoriæ dyſenteriæ obſervetur c). Quodſi vomitus ubicunque nimius fuerit, malum utique præſagium importabit, quale exemplum Williſius hiſce verbis memorat: *fuit affectus ille ſubitaneus & frequenter absque manifeſta occaſione invadens; laborantes cum vomitu immani, & ſedibus crebris, & aquoſis, cito in maximam debilitatem, inque ſpirituum horrenda deliquia, & virium omnium proſtrationes redigebat.* *Novi*, inquit, *plures ſatis ſanos, & valde robuſtos intra duodecim horas*

a) Coac. Præn. Sect. 3. c. 18.

b) De Dyſent. c. 3. §. 88. p. 22.

c) De Dyſent. c. 10.

ras morbi hujus tyrannide adeo dejectos, ut cum pulſu debili, & exili, ſudore frigido &c. jamjam moribundi viderentur, & quidem non pauci ab eo cito interibant a). Senes, ac pueri dyſenterici plus periclitantur, quam media ætate conſtituti, ita enim Hippocrates affirmat: *moriuntur autem ex hoc morbo maxime pueri quinquennes, & ſeniores adhuc decennes, reliquæ vero ætates minus* b); horum enim debiles vires, & textura inteſtinorum minus firma, & valida, cauſæ morbum facientis actioni minus reſiſtere valent; ob eandem cauſam, ſcorbuticis, tabidis, valetudinariis, inteſtina debilia habentibus dyſenteria valde eſt periculoſa; ſæpe tranſit in maraſmum, hecticam, aut apoplexiam, ex vaſorum inanitione, adeoque nutritionis, ſpirituumque vitalium defectu. Lactantes nihilominus ſecurius laborant, in quibus lac humanum & nutritionem per alvum ſubductam jugi adfluxu reparat, & balſamo naturali humorum acrimoniam demulcendo, partes ab excoriatione defendit.

In dyſentericis infantibus omnes nervoſæ affectiones periculoſæ habentur, præſens enim continuo irritans acre in inteſtinis produnt, & aliquando momentanee ferme lethale.

Gravidis periculoſa eſt teſte Hippocrate: *Mulieri in utero gerenti, ſi alvus multum fluxerit periculum eſt, ne abortiat* c), & alio in loco,

a) De dyſent. incruenta, Londinenſi 1670.

b) Prædict. L. 2. S. 2. §. 30. c. 13.

c) Sect. 5, aphor. 34.

Mulieri in utero gerenti teneſmus ſuperveniens abortire facit a).

Dyſenteriæ abortientium, & puerperarum non ſunt ſemper periculoſæ, dum lochiorum vices ſupplent, & materiam eorundem per vicina loca optime minuunt docente Baglivio; ipſe vidi anno præterlapſo in Noſcomio practico Puerperam, quæ die ante partum dyſenteria inflammatoria correpta, toto puerperii tempore eadem ſine magno tamen periculo detinebatur, & brevi legibus artis curata, noſocomio valedixit; ſi vero dyſenteria filia fuerit febris Puerperarum mali moris, periculo certe haud carebit.

Hypochondriacis cum materie, ſeu ut cum Hippocrate loquar: *Lienoſis Dyſenteria non longa quidem utilis, longa vero peſtifera, nam quieſcente illa ſi vel hydropes veniant, vel etiam lienteria, mortiferum* b); iisdem ſalutaris eſt, quæ a ſuppreſſis hæmorrhoidibus, non ex intemperantia agnoſcit natales, ſiquidem longa non fuerit: optima quoque illa eſt ex arthritide anomala, ſive interna, & ſi cum virium conſtantia fiat, *critica* perhibetur a Muſgrave. Podagricis quoque tuliſſe ſuppetias teſtatur Hoffmannus cum Hippocrate, dum inquit: *ſanant hos* (Podagricos) *optime Dyſenteriæ ſi ſucceſſerint* c).

A

a) Sect. 7. aphor. 27.

b) Duret comm. in coac. cap. 20. pag. 349.

c) Prædict. L. 2. Sect. 1. c. 7.

A meraca dejectione dyſenteria malum a); dum ſcilicet unicus tantum humor viſcoſus, & albus, aut ſpumoſus, aut bilioſus, vel cruentus, atroci cum dolore per alvum absque fæcibus rejicitur.

Dyſenteria ſi ab atra bile inceperit, lethale b). *Si a Dyſenteria detento velut carunculæ ſeceſſerint; lethale eſt* c), cum neque coaleſcere tantum ulcus, neque obduci cicatrice poſſit d); tum quia eſt carcinoma internum, cui medendi non eſt commoditas, tum quia illud perpetuo excrementorum adpulſu ſordeſcit, & pruritatur e). Etenim morbo jam ſatis provecto ex gangræna inteſtinorum, quam fide digniſſimi Viri Pringle, & Eller per anatomen Dyſentericorum detexere, portio quædam tubi, corruptis omnibus ejus tunicis, aut cum iisdem per inteſtinum perforatum in ventris cavum delapſum, partes, quas tangit mortificando, tympanitidem lethalem producit. Sæpe quidem mucus, in lacunis inteſtini concretus referens carunculas, in principio dyſenteriæ rejicitur, quæ tamen excretio non eſt lethalis, neque durante diu morbo ſimilis fieri poteſt; cum non concedatur in his tempus ſufficiens ad muci concretionem f).

De-

a) Hipp. Aphor. 23. ſect. 7.

b) idem aph. 24. ſect. 4.

c) idem aph. 26. ſect. 4.

d) Gal. ad aph. 26. ſect. 4. L. 2. Prognoſt.

e) Duret. comm. in coac. pag. 346. de dyſent.

f) de Gorter. medic. Hipp. §. 136.

Dejectiones crebræ, & ſimul parcæ, commune ſunt malum; majus tamen periculum inſtat, quo crebriores, & parciores fuerint, & quo crebrior, ſed ſine fructu in initio adfuerit teneſmus; copioſæ contra, & raræ evacuationes bonæ ſunt, copioſæ autem crebræ valde, nec tamen levantes ſunt malæ; copioſæ itidem in morbi progreſſu, præcipue ſi aſſumpta immutata exeant, periculum præſagiunt.

Dyſenteria cum excrementis viridibus, nigris aut variegatis, aut cadaveroſis, peſſima eſt; *nam quanto colores dejectionum plures fuerint pejores, eo deterius* a).

Dyſenteria diuturna cum intenſa febre, vomitu, ſingultu, dyſpnœa, ſyncope, cardialgia, aphtis, angina, dyſuria, ſtranguria, delirio &c. pernicioſa.

Hydrops, aut lienteria dyſenteriæ ſuperveniens, lethale.

Teneſmus in dyſenteria cum hiatu ani, dum injecta enemata ſtatim elabuntur, aut cum tanta illius conſtrictione, ut nihil intromitti poſſit, plerumque mortis eſt ſignum; ſiquidem hic tumor inflammatorius, magnus; illic vero adſit ſphincteris paralyſis.

Si omnia ſymptomata mala ſunt, ſi deficiunt ægro vires, pulſus ſit celer, ſed parvus ſimul, mortem fores pulſare plerumque eſt ſignum.

Dy-

a) Hipp. Sect. 4. aphor. 21.

Dyſenteria cum cruore ſincero, continuis, & momentaneis fere ſedibus, cum vigiliis, anxietate cordis, ſiti inſatiabili, raucediue, & aphonia, frigore extremorum marmoreo, internorum ardore, jactitatione, ſudore frigido in magnas guttas collecto, deliriis, pulſu debili, inæquali, ſubitanea dolorum ſine cauſa remiſſione, aſſumptis cum murmure, & ſtrepitu delabentibus, fæcum inſcia demiſſione, cum cadaveroſa mœphiti, convulſione &c., abſolute eſt lethale.

§. XIV.

In aſſignanda dyſenteriæ cura ita verſabor, ut præmiſſa ſingulæ ſpeciei idea, ei ſubjiciam medendi methodum; quare ducto initio ab ea, quam §. XII. *ſimplicem rheumaticam* appellabam, ſequentibus illius naturam abſolvi credo.

Simplicem rheumaticam dyſenteriam cum celeb. meo Praxeos Præceptore illam dico; *ubi ægri ſeceſſus creberrimos, aquoſos, admixto non raro ſanguine, morbo præcipue aliquamdiu durante, profuſoque, initio ſubinde mucoſos, ſemper torminoſos habent, cum febricula tenui, guſtu aut non omnino, aut leviter vitiato, & cum doloris extra tempora dejectionum abſentia* a).

Sæpe coryza, aut angina, vel alia ad thoracem, aut artus facta defluxio, ut inde catarrhus adſit, aut dilacerans artuum dolor, hunc alvi fluxum præcedit, aut una adeſt.

Hæc

a) Stoll, rat. med. Pars III. pag. 250.

Hæc dyſenteriæ ſpecies ferme ſemper obſervatur, dum corpori ſudoribus mananti, frigus admittitur: varii autem perfrigerationis vario anni tempore obſervantur effectus, variasque corporis partes impetit; *ſupremas* hyeme, vere *medias*, adulta vero æſtate, atque autumni initio *infimum ventrem*; quoniam ventriculus, & inteſtina hac anni tempeſtate debiliſſima, excipiendæ recurrenti materiæ perſpirabili præ alia quacunque parte opportuniora habentur, quare illa materies, quæ alio anni tempore odontalgias, coryzas, anginas, catarrhos, facit, morbos ſeroſos ſcilicet, ad inteſtinorum membranas modo projecta *ventris coryzam*, aut *inteſtinorum catarrhum*, vel ſi mavis *eorundem rheumatiſmum* facit; morbum ſcilicet ab aliarum anni partium ſeroſis morbis nonniſi *ſede* differentem.

Sed & illud notandum, non quovis anni tempore eandem eſſe deſtillantis materiei indolem; modo enim *benignior*, atque inſons ferme, modo vero *acrior*, & *ſeptica*, qualis æſtivo præprimis, & autumnali tempore eſſe ſolet.

Hæc *ſimplicis dyſenteriæ* ſpecies anno 1778. auguſto menſe hic loci aliquoties obſervabatur. Quibus neglecta ægritudo hæc fuerat, aut ineptis tractata remediis, tormina tunc augebantur, atque etiam extra ſeceſſuum tempora affligebant, qui frequentiores fiebant, mucoſiores, magis cruenti, & temesmodei ſupra modum.

Minus fors aliquibus placebit, morbum hujuscemodi *dyſenteriam* vocaſſe, cum potius alio quo-

quocunque vocabulo e. g. *rheumatis inteſtinalis, colicæ, diarrhææ torminalis a perfrigeratione* &c. aptius inſigniretur. Verum multa pro hac mea compellatione pugnant, atque hanc eſſe unam ex ampliſſimo dyſenteriarum genere depromptam ſpeciem, eamque *ſimplicem*, meracam, & cæteris ut plurimum benigniorem, ſequentibus cum mox laudato & venerando mihi ad cineres usque VIRO, cujus memoriam excipient omnes anni conſequentes, evinci argumentis opinor.

I. Eosdem exhibet characteres, qui in ipſo illo morbo deprehenduntur, quem omnes unanimi ſuffragio *dyſenteriam* nuncupant, dejectiones ſcilicet frequentes, cum ventris torminibus, & colluvie mucoſa, utique etiam aquoſa initio, & paulo poſt cruentata. II. Intra eosdem quoque temporum fines coërcetur hæc *ſimplex rheumatica dyſenteria*, intra quos dyſenteria contineri ſolet; eosdem cum illa progreſſus facit, eosdem ſortitur exitus, ſi morbum aut nihili feceris, aut eidem ſiniſtre occurreris. III. Auctores quoque non pauci & viderunt hunc morbum, & eundem habuerunt pro dyſenteria; & eadem curarunt ratione. IV. Inteſtinorum hoc rheuma, quod *ſimplicem dyſenteriam* componit, multiplici complicatione ita variegatum adparet, ut diverſiſſimæ medendi methodi requirantur. Nonnunquam altius figitur, ita ut ſudoribus mortis dimoveri, diſſiparique non poſſit, verum perſtet immotum; tunc autem & hæc *ſimplicis dyſenteriæ* ſpecies repetitis vicibus blando, anodyno, tepidoque potu, & laudano interpoſito tentari debet.

Quod

Quod ſi negligatur, male curetur, in veram abit, eamque pertinacem *ſebrim inteſtinorum rheumaticam*, longam, difficilemque curatu; contingit tunc idem propemodum, quod in febribus rheumaticis artuum, carpis, & genubus tumentibus, atque valde dolentibus fieri eſt videre, ubi morbus non ad multos ſolummodo dies, ſed ad ſeptimanas, quin & integros menſes protrahitur.

Solantur hanc *dyſenteriæ ſimplicis* ſpeciem juges, & tepidæ aquæ potiones cum lecti tepore; ſubinde potus leviter aromaticus, ſub veſperam pulvis ex nuce moſchata, & pauxillo opii confectus; motis ita per noctem ſudoribus, alvus tuto hac methodo componitur, & absque alterius morbi metu intra nyctemerum cum perſeverantia, ſi modo morbus non invaluerit, aut perverſa medicina fuerit adhibita.

Male cedit in hac dyſenteriæ ſpecie quæcunque alia medendi ratio, ſeu quæ eccoproticis, ſeu quæ emeticis, aut radice arnicæ dyſenterias ſanat; etenim augentur torminoſæ dejectiones, cruentæ, ramentoſæ numero, & intenſitate.

Hæc illa eſt dyſenteriæ ſpecies, quam ſolius aquæ tepidæ potu cum tenuiſſimo victu, aut tenue infuſum theæ, vel dilutiſſima juſcula affatim epota, ſanatam apud complures legimus. Neque alterius ſunt indolis illæ dyſenteriæ, quas infuſo flor. ſambuci, ſtib. diaph. non abl. opio, aut remediis vi leviter carminante donatis, aut balneis tepidis aquæ dulcis, fotu crurum, & abdominis, aut alia quacunque ratione huc revocanda,

da, tuto, feliciterque curatas narrant. Sed & veſicans abdomini adplicatum auxilio fuiſſe dyſentericis, indeque ſalutem mox inſecutam legimus, rheuma utique inteſtinorum ad cutem evocabatur; ſudore (prout ab adplicatis cantharidibus ſemper eſt obſervare) ubertim moto, atque alvo exſiccata.

Sunt, qui in ſanandis dyſenteriis alterantibus utuntur, ex tartari emetici, radicis ipecacuanhæ, & opii refracti doſibus confectis, atque perſpirationem ſollicitantibus, ſed & hi hanc ſolam dyſenteriæ ſpeciem ſanant.

Sydenhamum laudano ſuo uſum in dyſenteria fuiſſe abunde conſtat; ſed neque ſola hac methodo tantus vir pugnabat, verum cathartica, & phlebotomias celebraſſe; atque compoſita quoque methodo uſum pro vario dyſenteriæ genio, ſcripta illius teſtantur, & ſi ſolo laudano uſus eſt, fuerat certe hujus *ſimplicis dyſenteriæ* ſpecies.

§. XV.

Secundam *dyſenteriam inflammatoriam*, ſeu *febrem inflammatoriam dyſentericam* ſuperius nominabam.

Hæc annis variis, & anni variis temporibus obſervatur, ſeu ipſa materies deſtillans acredinem, & inflammandi vim habuerit, ſive ægri habitus præ cæteris fuerit phlogoſi opportunus, vel vero conſtitutio anni phlogiſtica, tunc forte

vigens, quidquid per id tempus morborum accurrit, in phlogoſim inclinet, invertatque; licet non raro ſola inepta, & prava medicina, vinoſa puta, aromatica, narcotica adſtringens &c. id præſtet.

Neque vellem quis mihi illud opponat, quod olim Akinſide medicus anglus, contra *inflammatoriæ dyſenteriæ* geneſim; ſiquidem negarat in inflammatis inteſtinis crebros ſeceſſus, cum inteſtinalis claudatur potius tubus, quam ut materiæ excernendæ det exitum; id enim & ego lubens concedo, ſi inflammatio exquiſita, & magna fuerit; univerſali tamen illius negationi haud adſcribo, ſi tanta eadem non extiterit.

Id autem notatu dignum eſt, annos quosdam dari, ubi hæc dyſenteria graſſatur primario, ita quidem, ut omnes aliæ ſpecies rariſſimæ videantur; nonnunquam integro anno *dyſenteria inflammatoria* nulla, aut vix ulla occurrit, ita anno 1776. adulta æſtate vix ulla hic, aut nulla *dyſenteria inflammatoria* obſervabatur, pleræque erant *bilioſæ*, *bilioſo-rheumaticæ* ſed præterito anno præter *inflammatoriam*, vix aliam videre licuit.

Id univerſim obſervatis practicis reſpondet, dyſenteriam vernam, autumnalem, hyemalem, æſtivam rarius, & non niſi ubi æſtas paulo fuerit frigidior, plethoricorum, ruſticorum, aut ex toto, aut ex parte ſaltem majore, minoreve *inflammatoriam* eſſe, graſſarique iis potiſſimum annis, ubi cæteræ febres dominantes *inflammato-*

rii

rii pariter ſunt *genii*, graſſabatur anno præterito in hac urbe, ſed & *febris inflammatoria* toto anno dominatum tenebat.

Si adulta æſtate febres putridæ de phlogoſi aliquid participant, eo ipſo tempore dyſenteria prædominantis febris ſequitur genium, eritque aut ex *toto*, aut *magna* ſaltem ex *parte inflammatoria*.

Hujusmodi *inflammatorio - dyſentericæ* febres ut enteritides ſpectandæ ſunt; cautum profecto, atque emunctæ naris oportet eſſe medicum, ne inſidentem ventri phlogoſim prætervideat; ſiquidem multa ſunt, quæ decipiant; imponit primo, quemadmodum in omni ſæviſſima ſæpe enteritide, pulſus; eſt hic parvus, debilis, & ſub digito evaneſcens, ſæviſſima licet inflammatione in abdomine reſidente, ſed & in *dyſenteria inflammatoria* pulſus æque parvus, debilis, celer obſervatur.

Diverſa pulſus plerumque eſt ratio in inteſtinorum inflammatione obſervati, ac ſoleat obſervari in aliis partium aliarum inflammationibus; etenim pleræque inflammationes pulſum durum, fortem exhibent, rariſſime valde acceleratum, & multo rarius debilem, evaneſcentem; verum tamen in abdominis inflammationibus pulſus ſæpiſſime parvus eſt, & decipiens medicum, ita quidem ut is de vera inflammatione vel minimum cogitet, factis autem venæ ſectionibus aſſurgit communiter pulſus, præſentiam periculi confirmans.

Verum ſaburræ quoque ſigna decipiunt; adeſt enim & in febre *inflammatorio-dyſenterica*, linguæ impuritas, oris amaror, vomitiones ſaburrales, bilioſæ, æruginoſæ ſpontaneæ; ſubinde vermes etiam excernuntur, ita quidem, ut dolorem abdominis refunderes in materiem acrem, & ſaburralem; licet potius adſcribi, & reaffundi debeat in jamjam incipientem inflammationem; decipere itaque ſymptomata hæc ſaburralia poſſunt medicum, eumque permovere, ut evacuans præſcribat remedium, utpote utiliſſimum, ſi ea ſymptomata ſoli ſaburræ debeantur, ſed hic certe nocivum valde.

Quare collecta in unum habeat ſigna, eſt neceſſe, medicus, quibus armatus, feliciter hoſtem inſidiari, dignoſcere valeat; ea vero ſequentibus plerumque abſolvuntur.

Spectanda eſt doloris remiſſio, intermiſſio, aut continuitas; ſi enim in abdomine dyſenterico dolor ſit alicubi fixus, utut vagus in reliquis partibus, ſi is dolor fixus ſit, & aſſiduus, ita ut nunquam remittat, aut ſi remittit, ſaltem non intermittat, ſi abdomen attactum paulo rudiorem non ferat, ſi præterea abdomen leviſſime ſit tympaniticum, tumidulum, leviſſime percuſſum doleat, & reſonet, qualiſcunque ſit pulſus, ſeu debilis, ſeu fortis; ſi præterea adfuerit ingens ſitis, & calor, ſubitave virium proſtratio, hoſtem mænia arietare puta; ſed eo magis confirmaberis in tua diagnoſi, ſi præceſſerit morbi neglectus, inepta medicatio per vinoſa, vinum rubrum medicatum plebi adamatum adeo, ſi meris narcoticis, opiatis,

tis, vel adſtringentibus morbus in principio tentatus fuerit, vel aromatibus, nuce myriſtica, aliisque ſimilibus, aut ſi tempus paulo fuerit frigidius, ſi dolores enormes, ſi ipſa ægri juvenis forte, & robuſti conditio pro phlogoſi loquatur, aut ſi & morbi alii inflammatorii eodem tempore graſſentur.

Eadem antiphlogiſtica, eaque generoſa in hac dyſenteriæ ſpecie obtinet medendi methodus, quæ in enteride, venæ ſectionem celebrare, eamque etiam repetitam pro varia neceſſitate oportet; præſto ſint balnea, fomenta, cataplaſmata, potus copioſi emollientes, emulſa tepida ore aſſumpta, copioſi, inquam. ſint potus; nullam enim ægritudinem affirmant Baglivius, Huxhamus, Tiſſotus, & Zimmermannus, in qua tam frequentes potus ſint neceſſarii, ac in dyſenteria; clyſmata præterea emollientia parca doſi, ut retineri poſſint in hac dyſenteria plurimum proſunt: hac methodo omnes anni præteriti dyſenterias in noſocomiis SS. Trinitatis, & practico feliciter curatas vidi.

Nocent quæcunque aliarum virtutum remedia in hac dyſenteriæ ſpecie; ſic purgantia eccoprotica, rhabarbarina, emetica, narcotica, adſtringentia &c.

§. XVI.

Ad tertiæ dyſenteriæ curam, quam *bilioſam dyſenteriam*, ſeu *febrem bilioſam dyſentericam*, dixeram, ducit ordo.

Dum copioſior bilis collectio, bilis acrioris, atque ita agentis, ut febrem accendat bilioſam, accedente inteſtinorum rheumate tali, quale requiritur ad dyſenteriæ geneſim, ut ſuperius demonſtrabam, febris hæcce bilioſa nomen novum ſibi adſciſcit, diciturque *febris bilioſa dyſenterica.*

Quibus characteribus hæ *bilioſæ dyſentericæ febres* notentur, aliunde conſtat, iis ſcilicet, quæ materiem biliformem intra præcordia fluitantem denotant, ex humorum circumeuntium canalibus eo delatam pro magna parte, reliqua portione cum reliquis humoribus circulante, amarore oris jam ab initio continuo, vomitu bilioſæ materiæ, cum ſecuto quodam juvamine; manifeſtæ quoque habentur certa horarum plerumque, aut dierum periodo, recurrentes febris exacerbationes, & remiſſiones; non enim omni diei tempore, nec omnibus diebus æquali ratione dejiciunt, ſed ſuam dejectiones torminoſæ obſervant periodum, ut frequentiores modo, aucta ſcilicet febre, modo remiſſiore eadem facta, ipſæ quoque remittant; abdomen ſub ipſa alvi depoſitione, & momento ante eandem non raro vehementer dolet; mitius tamen, aut omnino non eo tempore, quo æger mox a ſeceſſu ſurrexit; verum utut graviora tormina ægrum perſæpe vexent, venter tamen, niſi rudiſſima manu contrectatus, non dolet, nec mitius eadem remota, niſi adfuerit ſimul inflammatio, de qua mox egeram.

Sed in formanda diagnoſi, nunquam prætermittenda eſt anni conſtitutio, & alii tunc temporis regnantes morbi, ſiquidem hæc, ut in aliis qui-

quibuscunque morbis, ita & hic qua magnetica acus, medicum, eam conſulentem, dirigit.

Hæc dyſenteriæ ſpecies niſi inſana medicatio acceſſerit, aut ægrorum ſocordia morbi initia contempſerit, ſi meraca, & ſine inflammatione fuerit, a periculo plerumque abeſt.

Methodus medendi febri huic dyſentericæ tota in eo verſatur, ut morbus eminentior ſanetur, ea vero conſiſtit in remediorum ſaponaceorum, ſolventium, aceſcentium uſu, cui ſerius ſubjungi, aut interponi emeto-catharſis debet.

Emeto — catharticum certe præ ſolis cartharticis, iisque quibuscunque propinandum; nam educit id remedii genus quidquid alieni offendit in tubo alimentari qua data porta; ſed & id quoque boni habet, quod finita purgatione, ſudores plerumque moveantur, quibus motis rheuma abdominis una ſubmovetur; unicum plerumque emeto-catharticum profligando morbo par eſſe, rarius bis, rariſſime ter propinandum, interjecta die una inter ſingulas emeto-cartharſes, obſervata docent.

Nollem quis hæc ex comtemplatione potius, quam obſervatione ſcripta putet; lætus enim recordor, hac methodo plures breviſſimo tempore a Cel. meo Præceptore in Noſcomiis ſanatos; ſi tamen criminari quis laudatam methodum vellet, is prius obſervationes Cel. Virorum, Elleri, Pringlii, Monro, Akinſide, Tiſſoti, Zimmer-

manni, ill. Præſidis conſulat, & ſuam cum tantorum virorum conferat praxim.

Raro ſolis purgantibus hæc *biliosa dyſenterica febris* curatur, prout ſola etiam *febris bilioſa*, niſi ea mitior fuerit, & ipſa purgantia fuerint blandiora, antibilioſa, aceſcentia, eccoprotica, tamarindinata &c.

Rheum ſiquidem quacunque ratione propinatum, aut myrobalani, aliaque huc revocanda, ſpem fallunt, niſi febre jam inclinata, & emetocatharſi jam compluribus ante diebus præmiſſa.

Nocent æque remedia calefacientia, adſtringentia, adverſantur valdopere narcotica; neque opium niſi tardius propinandum hic venit, & parce, & *febre bilioſa* ferme ex integro compoſita; male ſiquidem *bilioſæ febri* & opium convenire is noverit, qui utriusque, & morbi, & remedii vim perſpectam habuerit, atque alterum cum altero contulerit: de morbi exordio loquor, & evacuantibus per artem nondum adhibitis, evacuationibus non factis, ubi opio locum nullatenus eſſe credo, etſi morbo jam declinante, & dyſenteria in diarrhæam converſa, utile eſſe paregoricum queat, quin etiam neceſſarium, ſi modo roborantia, atque invigorantia remedia primas habeant.

De adſtringentibus valet idem, ea morbo inchoanti haud convenire; ſed rejecta prius, quæ præcordiis inhæſerat, vetuſta, atque acri fæce,

&

& languidiſſimis inteſtinis aſſumpta mox profundentibus, diuque, & cum virium jactura gravi, medicari potenter morbo poſſe.

Tormina in recenti ægritudine, dyſuriam, iſchuriamve mucilaginoſis ſi quis delinire ſolum ſtuduerit, actum agit, ſpaſmi dolorifici demitigari haud ſolent, priusquam irritans ſtimulus excuſſus fuerit; exterminato autem hoc ſeditionis auctore, quidquid antea turbarum cauſatum fuerat, facili modo conquieſcit.

§. XVII.

Nonnunquam *febris* adeſt *originario-putrida*, licet rarius, in qua ſi rheuma inteſtinorum adjungatur ſub iis conditionibus, quæ ad geneſim dyſenteriæ requiruntur *febris putrida dyſenterica*, ſeu *ſynochus putris dyſenterica* habebitur.

Dyſenteriæ hujus diagnoſtici characteres iidem ſunt, qui *ſimplicis ſynochi putris*; febris uno tenore decurrit ad ſpeciem mitis, reipſa gravis, pulſu debili, & accelerato, aut etiam naturali, etſi reliqua morbi ſymptomata magnas cæterarum functionum læſiones demonſtrent, cephalalgia ingens, ſtupor capitis, mite nocturnum præprimis delirium, oculi rubicundi, ſubflavi, ſubvirentes, lachrymoſi, lemoſi, pulverulenti, facies triſtis, flaveſcens, terrea, labia ſicca, lingua flava, vireſcens, mucoſa, ſicca, cruſtoſa, fuliginoſa, plena anorexia, cutis ſicca, variæ nonnunquam cutis effloreſcentiæ, decubitus ſupinus ore adperto, & plura alia ex idea dictæ febris repetenda.

In curanda hac dyſenteriæ ſpecie indicationes repetendæ ſunt ex genio *putridæ febris*, atque ex illis regulis, quæ obſervandæ in cura harum febrium proponuntur; totus vero eo medentis directus ſit animus, ut, an omnis inflammatio abſit, illi conſtet, hanc ſiquidem præſentem ſotu abdominis, & mucilaginoſo potu, quin phlebotomiis etiam delinire oportet; tum aut emeſi, atque hac crebrius, aut blanda catharſi præſto eſſe oportet, prout materies ſurſum, aut ad alvum inclinabit; Arnicæ demum radix plerumque complementum facit curationis, imo *dyſenterias* hujusmodi *putridas*, ſed absque notabili ſaburra, & omnis inflammationis expertes, radix hæc in initio mox propinata ſola ſanat, alvum pedetentim, & lente inhibendo, ventriſque ſenſim componendo tormina; nonnullis vomitum movet, aliis dyſenteriam in diarrhæam bona methamorphoſi convertit.

Verum alia quoque habetur origo hujus *dyſenteriæ febris*: ipſa *dyſenteria bilioſa* non raro in morbum putridum tranſit, ita quidem ut nomen ſuum deponat, & *febris putrida dyſenterica* dicatur.

Diverſa autem ratione hæc fit metamorphoſis; potiſſimum vero neglectu; qui enim auxilia ſpernunt in morbi initio, vel qui remediis, iisque variis utuntur, his jam non remittere videtur febris, iterumque ſtatis temporibus intendi, quod in *bilioſis febribus* eſt ſolemne, ſed uno impetu, eoque accelerato fertur. Adeoque mutatur in continuam gravem, & illis ſtipatam ſymptomatibus, quorum complexus *febrim putridam* conſtituit.

His

His diuturnior ſolventium, emollientium, & tepidorum uſus fert opem; non raro etiam phlebotomia, utut parcior, in initio prodeſt, tardius demum emetocatharſis, poſtquam ſcilicet, quam diuturnior, & intenſior neglecta febris, & inepta medicatio inteſtinis jam affricuerat, inflammatio fuerit abſterſa.

Si vero *bilioſa dyſenteria* venæ ſectionibus compluribus aggrediatur, ſanguine *ultra ægri vires* & *exigentiam morbi* extracto, exaſperari biliformis materies incipit, atque intra corporis penetralia attrahitur, quaquaverſum diſpenſatur, & humores circumeuntes ſuo connubio coinquinat. Adeoque *febris bilioſa dyſenterica* male venæ ſectionibus tentata, pariter in *febrem putridam dyſentericam* convertitur: tales longiſſime abſunt a conditione inflammatoria; verum ardoribus peruruntur accerrimis, parvo, debili, ac celeri ſunt pulſu, febre aſſidua, eaque nunc *putridiſſima* detinentur.

Arnicæ radix hoc rerum ſtatu præ quovis alio remedio ad dr. β omni tri- vel quatrihorio data ſaluti eſt, in urgentiſſimo caſu etiam omni bihorio propinata.

Emeto-catharſim nullo modo hi ferunt, utut enim venter illuvie ſcateat, nihilominus vel impurorum ſuccorum evacuatio reſiduas vitæ vires una attereret; periculoſum igitur medicamentum evacuans vel per alvum, vel per emeſim eſſet, cum debiliſſimi, utut ſimul impuriſſimi, & humoribus pravis ſcatentes, evacuationes nullatenus ferant; ſerius quidem, atque refocillatis jam

jam uſu radicis arnicæ, vel peruviano etiam cortice, aut alterius cujusdam antiſeptici remedii, viribus, ſerius, inquam, evacuatio convenit, quá in principio facta, fuiſſent enacti; verum evacuatis primis viis, ad priora reditus eſt faciendus.

Denique per *emetica nimium quantum repetita*, per *purgationes ultra modum iteratas, protractasque* in bilioſis dyſentericis febribus, hæc *putrida dyſenteria* generatur; etenim hac ratione vires vitæ exhauriuntur, tenuiſſimo, & debiliſſimo ſunt pulſu, atque tandem ex κενεαγγεια morbo & vitæ finem ponunt.

Deſertas nonnunquam jam res arnicæ radix reſtituit; Theriaca andromachi, ſtimulantia vinoſa, & totus calefacientium remediorum adparatus huc pertinet.

Hic caſus eſt, in quo regimen calefaciens, ſtimulans cardiacum locum habere optime poteſt.

§. XVIII.

Hucusque recenſitæ ſpecies pro *benigna dyſenteria* militant, *maligna* illud eſt, quæ *malignam febrem* matrem agnoſcit.

Varia *malignitatis* apud Authores habetur notio; aliis enim *maligna febris* dicitur, quæ ad ſpeciem mitis, pulſum, urinas, calores naturales habet; attamen periculoſa ſubinde eſt, & plerumque ægrum morti tradit; aliis *morbus malignus* is dicitur, qui inſolita habet ſymptomata ner-

nervea, convulſiones, ſubſultus, deliria præter modum; adeoque non tantum a morbi gravitato, ſed etiam a validiori affectu nervoſo *malignitatem* menſurant; alii *malignitatem* adeſſe tunc affirmant, dum morbus quidem nil habet extraordinarii, nulla ſymptomata ad ſpeciem gravia, ſed decurrat, ut quivis alius morbus e. g. *bilioſus*, aut *putridus*, attamen ſi ſit rebellis, & pertinax, atque conſuetis remediis inſanabilis; verum inſolita ſymptomata aliis etiam febribus communia ſunt; & ſi a pertinacia ad conſueta remedia *malignitatis* notio deſumenda foret, ea primum poſt remediorum uſum haberetur; ſed an hoc practicum eſt?

Melius cum celeber. Tiſſoto, & recentioribus plerisque *malignitatem* recepto a ſubita virium in initio ſtatim proſtratione, ſine cognita alia cauſa, ſi clam quaſi inſideat ægro, eum repente proſternat, & vires tam animales, quam vitales projiciat, absque nota cauſa proſtrationis earundem.

Manifeſtæ autem cauſæ, quæ etiam ſubito proſternunt vires, ſequentes plerumque recenſentur: omnis evacuatio nimia, ſanguinis, ſeminis, fluxus alvini, cholerici &c.; plethora ad ſummum gradum aucta; repentina, & gravior inflammatio viſceris, partis valde ſenſilis, inteſtinorum potiſſimum; ſaburra turgens; demum paroxiſmus hyſtericus.

Dyſenteria maligna, vel *originaria* eſt, cauſam agnoſcens inſolitas, & fætentes caligines, corruptum ſumme aërem, calores ſummos, famem, caſtra valdopere humida: vel eſt *factitia*;

ſic

ſic ex *bilioſa dyſenteria* violentiori ira, eaque repetita *malignam* deſcribit Cel. Zimmermann; ſed & mala methodo, ſtimulanti puta, & adſtringenti, ut Tiſſotus affirmat, cooperatur ad illius geneſim.

Dyſenteria maligna prædici ferme poteſt ibi, ubi multi dyſenterici in anguſto loco ægrotent; obſervatis quoque conſtat, dyſenteria ſemper majorem *malignitatem* habeat, quo maturius erumpit in anno; e contra minus quod ſit timenda, ſi primum in auguſto, aut ſeptembri initia ſumit: a) cæterum illius diagnoſis deſumitur a ſubita virium proſtratione ſine cognita cauſa, magna præcordiorum anxietate, ſtupore, & gravitate capitis, aliquando dolore intolerabili, dejectione, vel æquanimitate animi, & quadam morbi patientia, & tolerantia facili; momentaneis convulſionibus, voce valde debili, crebris animi deliquiis, aliquando miliaribus, petechiis, morbillis, aphtæ in ore, pulſu valde debili, inſpiratione in principio utplurimum difficili, noctes inſomnes habentur, ſæpe in principio placide delirant ægri, eodem aliquando increſcente, difficultas in initio ſæpe obſervatur deglutiendi, quæ ut plurimum valde malum eſt ſignum.

Communiter accidit, ut vomitu vermes ejiciantur ab ægris, vel ut ſeceſſu prodeant, vel ut in os, & fauces, usque ad nares internas aſcendant, ut ipſi ægri digitis ſibi eosdem auferre poſ-

a) Zimmermann. de dyſent. c. X.

poſſint; cave tamen, ne pro ſigno *dyſenteriæ malignæ* vermes hos habeas; ſiquidem & in epidemicis *bilioſis dyſenteriis* crebro videntur.

Sæpius vomitu, & repetitis quidem vicibus, ægri viridia, æruginoſa, ſed ſine levamine; aliquando, (malo quidem omine) vomitu etiam ſanguinem ejiciunt.

Dolor in inteſtinis cum periculo pari paſſu non ambulat; habentur enim ægri, qui de dolore prorſus non queruntur, aliis dolor multum eſt perceptibilis, intolerabilis aliis. Imus venter mox mollis, mox tenſus apparet; ſeceſſus mox frequentiſſimi, quod adeo periculoſum eſt, ut poſt duodecim horas perire ægri videantur, imo etiam pereant. Mox nil ferme alvo deponunt, intolerabili tantum teneſmo torquentur, & moriuntur in tribus, aut quatuor diebus, ſi deceſſus copioſiores non fiant. Alvus variat, modo ad nigrum, ad flavum, aut ad viridem calorem vergens, modo aquoſa; ſed ſimul valde frequens; modo aquoſo-ſanguinea; ſed tunc videtur æger continuo emaciari, turbari, inſenſilis fieri, & plerumque tertia die mori; aliquando ſucceſſus ſanguinei ſunt, aliquando nigri, mucoſi communius cum admixta materie chocolatam, & ſanguinem referente, ſed ſemper ultra modum ſætentes. Succeſſus frequentes, fætidi cum creſcente delirio malum ſignum ſunt; contra ſi bilioſi frequente ſudore ſpem faciunt ſalutis. Urina ſtrangurioſa, aut integra illius retentio mox in principio malum præſagit. Inſuperabilis adeſt omnium ciborum nauſea, & in ſumma ſiti, ſummum potus tædium.

Sin-

Singultus, creſcens difficultas deglutitionis, tenſio abdominis, ſiccitas, & nigredo linguæ, deliquia, gangrænescentes maculæ in variis corporis partibus, vicinam, & inevitabilem plerumque mortem prædicunt. Anxietatis imminutio, mollities abdominis, urinæ deponendæ facilitas, debilitatis decrementum, & potiſſimum ſomnus naturalis, ſanationem promittunt.

Quamvis in cura cujuslibet dyſenteriæ puritatis aëris, omnium vero maxime in *dyſenteria maligna*, habenda ratio; quoniam maximum periculum ab impuritate ejusdem, quæ neque diæta, neque medicamentis reſarciri poteſt, dependet; ſed & ſumme neceſſaria hic eſt munditiеs, potiſſimum ſi plures una dyſenterici decumbant. Reliquam curam abſolvunt ea, quæ in præcedenti dysenteria laudabam, cum gradu maiori ſolummodo ab ea differat; indicationes cæterum erunt: proſtratas vires erigere, (nam exorbitantes in hac non dantur) excretiones languidas promovere, profuſas cohibere; demum ſymptomatibus urgentioribus proſpicere. Hic iterum caſus eſt; ubi ſtimulantia cardiaca, excitantia, vinoſa exhibere licet; hic peruvianus cortex, arnica, camphora, valeriana ſylveſtris, angelica, contrajerva, ſerpentaria virginiana, acida mineralia &c. pro varia neceſſitate, locum habent.

§. XX.

Intermittentem etiam *dyſenteriam* nominabam, hæc ſtatis tantum horis redit, atque extra paroxiſmi tempora alvus compreſſa eſt; dum vero acceſſus febrilis adeſt, dyſenteria quoque in conſpe-

ſpectum prodit, quæ merito *febris intermittens dyſenterica* appellari meretur. Variam utique larvam induere *intermittentem febrem* novimus, ut modo forma apoplexiæ, doloris capitis, colicæ, cholerici fluxus ſtato tempore modo redeat, idem omnino & hic accidit, dum ſymptomate dyſenterico ſe manifeſtat.

In hac profliganda ea omnino methodus eſt adhibenda, quam natura *intermittentis febris* admittit, ſolventibus, purgantibus, emeticis, roborantibus, ſtimulantibus, aut aliis quibuscunque datis pro varia indicatione, & neceſſitate varia; corticis peruviani uſus reliquam conficit curam.

§. XX.

Sub nomine *dyſenteriæ chronicæ* ea venit, quæ tres, quatuor, & ultra hebdomadas ſine eo, quod ſpes adhuc adſit illius curæ, durat, ſæpe per plures menſes, imo nonnunquam & anno integro.

Cauſam agnoſcit plerumque medicinam in morbi initio omnem neglectam, aut ejusdem nimis citam abſtinentiam, errores magnos diæteticos, perverſam curam, & crebras recidivas.

Adeſt totius corporis magna debilitas, appetitus valde parvus, concoctio adeo imminuta, ut non modo magna preſſio regionis ventriculi poſt omnem ferme aſſumptum cibum ſequatur, verum ſæpe aſſumpta integra more lienteriæ, immutata ano ejiciantur. Pulſus valde eſt debilis, & tardus;

dus; dejectiones coloris ſunt ejusdem, ut in morbi initio; non tamen adeo copioſæ, dolore pauco, brevi evanido, ſub ipſa ſolum dejectione modice percepto; purulenta aliquando ano redduntur, ſi alicubi ſuppurata in inteſtinis, aut ventriculo pars, in cavum ſuum pus fundens, materiem hanc eliminet.

Abominanda hæc dyſenteriæ eſt ſpecies, præ quacunque alia acutiſſima quamvis ſpecie; remedia ſiquidem, & ſpem eludit medici, atque ægros lentæ quidem, ſed vix non certæ conſignat morti, eos præcipue, qui florem ætatis ſuperarunt; ſiquidem hi ex morbi diuturnitate potius, quam ejusdem vi pereunt.

Deſinit etiam in morbos alios, potiſſimum autem in hydropem.

Dyſenteriæ hujus conditio cum *rheumatica* aut *arthritica materie* comparari bene poſſe videtur, articulis tumentibus pertinaciter infixa, indeque non dimovenda, ut idem omnino putandus ſit morbus, eademque materialis cauſa, ſed diſpari fixa loco.

Secta horum cadavera phlogoſim chronicam, & duritiem, rigiditatemque inteſtinorum potiſſimum exhibent.

Cave ne in ea adhibeas medicamenta draſtica, eaque continues, ſint emetica, aut purgantia; quoniam atteruntur ita ægri vires, neque eum curabis niſi tempore & apta medela, nonniſi cunctando reſtitues rem; feret opem diæta te-

tenuis, facta ex lacte potiſſimum, oryza, radice ſalep; juſculis tenuibus carneis; potus ſit decoctum hordei, oryzæ, aut panis, vel emulſum amygdalinum; bene indui incedant ægri, & a ſuppreſſione perſpirabilis materiei quammaxime caveant; identidem propinetur purgans eccoproticum, cui ſcopo optime ſatisfacit purgans mannatum, vel tinctura Rhei aquoſa adeo in tali caſu a Cel. Zimmermanno commendata.

Adſtringentibus, & opiatis cautiſſime eſt mercandum, & ſola rariſſime, aut vix unquam ſunt exhibenda, teſte experientia Cel. Virorum.

§. XXI.

Quæ hucusque retuli, *ſimplicis dyſenteriæ* ſpecies ſpectabant; ad *compoſitas* jam inſtituti ſuadet ratio: harum primo eam exponam, quam *rheumatico-bilioſam* appellabam, e binis veluti elementis conflatam, cujus geneſim, & indolem ſequentibus complectar.

Ventriculum, & inteſtina adulta æſtate, & ineunte autumno plus ſolito languere, & ſorde biliformi gravari non raro, & crebrius, quam aliis temporibus, conſtat vel in vulgus ipſum.

Saburra hæc temporum viciſſitudine, & appetente brumali frigore ab invigorato ſyſtemate gaſtrico ſenſim abigitur, immutatur, eliminatur, viis, & modis variis; at ſunt quibus abundantior bilis inſidet, quibus ventriculus eſt imbecillior, & quibus materies ea, quam abundare dixi, efficit morbum *bilioſum*, e. g. *bilioſam febrem*, *cho-*

leram morbum &c.; verum tamen nondum dyſentericam. Fac jam homini cruditate bilioſa laboranti, quæ forte hucusque iners delituiſſet, donec annua vice fuiſſet mutata: fac, inquam huic homini corpus perfrigerari, prehendique illa dyſenteria, quam ſupra deſcripſi, *deſtillatoria*, *ſeroſa*, *rheumatica ſimplici*, ægrotabit jam talis homo & *rheumate inteſtinorum* a perfrigeratione orto, (quod vel ſolum dyſenteriæ primam ſpeciem facit) & *cruditate bilioſa*, quam ipſum rheuma mole auxit, atque acriorem reddidit, quamve gaſtricum ſyſtema ob defluxionem modo irritatum, & exquiſitius ſentiens, graviſſime feret.

Dyſenteriæ hujus ſpecies febre *evidenti* quidem caret, non tamen omni *motu febrili*; atque univerſim, utut non ignorem dyſenterias febre expertes deſcribi, earum tamen vidi nullam, febre penitus deſtitutam; verum hi febrem forte, quæ *exigua* fuerat, *nullam* prorſus & ægri, & medici putarunt.

En geneſim *compoſitæ* hujus *dyſenteriæ* ex ſuperiori, quam *ſeroſum*, & *ſimplex rheuma* facit, ſpecie, & ex *materia bilioſa commota*, binis illis, quæ mox dixeram elementis.

A *ſimplici rheumatica* ſequentibus potiſſimum diſtinguitur characteribus. Qui proximis diebus dyſenteriam ſunt experturi, ventriculi pondus per aliquod ante morbum tempus queruntur, aut accuſant matutinum oris amarorem, aut ſudores præter morem nocturnos, nidoroſos, & ſomnum turbatum, quibusdam alvus antea ſine torminibus fluit, eaque ſubſidente ſuapte, aut in-

tem-

tempeſtive cohibita, accedit hæc *inteſtinorum difficultas.* Nonnullis abdomen levi ſubinde, & fugitivo per vices dolore, aut flatu crebro perſtringitur, alvo adhuc ordinata, donec elapſis aliquot diebus, dyſenteria adoriatur; in aliis præcedunt futuri morbi indicia. Morbum vero jamjam præſentem ea omnia comitantur, quæ biliformem ſaburram circa præcordia collectam indicant, quæve ex aliorum morborum explicatione aliunde nota abunde ſunt.

Ea, quæ in *ſimplici rheumatica dyſenteria* allata fuere remedia, cum hac haud congruunt, niſi commotam bilem eduxeris, atque ex compoſito ſimplicem feceris morbum.

At non eadem eſt omnibus ventrem purgandi methodus, ſiquidem multis vomitoria placent; non pauci pro purgante ſalino, mannato, tamarindinato, rhabarbarino &c. blande alvum movente, pugnant, efficacius tamen, ut §. XVI. monueram, & plures emeto-catharſis, & vomitorium levat; everſo ſiquidem ita ventriculo, turbæ plerumque ſuapte, & quin detur narcoticum, componi, & ægri in placidos ſomnos, atque inter dormiendum in ſudores labuntur; unde ſic pharmaco bilis abſtergitur, & ſudoribus rheuma inteſtinorum.

Pro canone vero ſtatuatur, ut ſaburra ventrem infimum, & inteſtina craſſa occupans, blande per ſeceſſus evocetur, materies contra ſurſum turgens, atque exitum per os molliens, vomitu, utramque viam affectans, emeto-catharſi excutiatur.

Hæc illa dyſenteriæ eſt ſpecies, quæ propinato evacuante pharmaco, medicinam ſopientem, & diaphoreticam amat; talem quoque videtur Sydenhamus, non ſolo laudano, ut nonnullas alias, ſanaſſe, ſed catharſi, eaque repetita, opio primum a purgante propinato, atque in plenam uſque ſanitatem protracto.

Medentur huic fructus horræi quicunque bene maturi, fibroſis, & duris eorum partibus rejectis, ſuccus uvarum largiter hauſtus, ſiquidem mitior illa fuerit, nec a ſaburra copioſiſſima producta; his enim materies ſaburralis ſolvitur, quo opportunior emeſi aut catharſi efficitur, vel vero ipſimet purgantis remedii ſimul vices ſubeunt, dyſenteriam in diarrhæam ſalutarem, & curatu facilem convertendo; convaleſcentes tamen a largiori eorundem uſu arcendi ſunt; utpote nimium debilitantium languidas ventriculi, firmandas potius vires.

§. XXII.

Frequentiſſima eſt combinatio *dyſenteriæ bilioſæ* cum *inflammatoria*, ut ex illarum connubio, *inflammatorio-biloſa* habeatur *dyſenteria*. In dyſenteria obſervatur inflammatio ſæpenumero, ut ſupeloquebar, præcipue verno tempore; ſed & in *febris bilioſæ dyſentericæ* initio quoque ſi æger robuſtus fuerit, bene valens, plethoricus, pleni, ſtricti corporis; ſi morbus calido regime fuerit in initio tractatus, opio, rheo myrobalanis, aromatibus, adſtringentibus, alumine ut ruſticorum hinc inde mos viget, ſucco catechu, aut vino rubro, apud plebem adeo in dy-

dyſenteria adamato. Verum illæ quoque dyſenteriæ ſolent plerumque *inflammatorii* quid habere, ubi febris reliqua dominans aliquid phlogoſeos ſimul habuerit; quare ſi æſtiva febris tunc temporis dominans, ejus indolis fuerit, ut initio ſaltem unam alteramve venæ ſectionem expoſcat, tunc etiam ejusdem tempeſtatis dyſenteria pariter cum phlogoſi erit combinata.

Id univerſim notandum occurrit, dyſenteriam cujuscunque anni aliquid habere cum morbo dominante commune, cum febre annua, ita quidem, ut ex idea dominantis morbi deſumenda quoque ſit dyſenteriæ medendi methodus; ob eandem rationem dyſenteriæ vernæ plerumque phlogiſticæ ſunt, amant ſanguinis detractionem, mere emollientia, non raro etiam oleoſa, rariſſime autem emetica, plerumque enim dyſenteria verna ad ſpeciem & claſſem *febrium Inflammatoriarum* pertinet.

Capi hinc poteſt, quomodo venæ ſectio in dyſenteria laudari a quibusdam, tanquam remedium ſumme neceſſarium, potuerit, ſine quo vix ullæ poſſunt dyſenteriæ ſanari; equidem venæ ſectionum laudes nimium deductæ fuerunt ad omnes omnino dyſenterias, ubi ſolummodo *dyſenteriæ inflammatoriæ*, & illi, de qua mox agebam, *inflammatorio-bilioſæ*, aut etiam *putrido-inflammatoriæ* detractio ſanguinis quadrat; ſed & cataplaſma emolliens toti abdomini adplicatum fert opem, & totus adparatus antiphlogiſticus, donec, abſterſa phlogoſi, evacuantibus ſurſum, aut deorſum fiat locus.

Unam alteramve hoc anno jam videre licuit dyſenteriam *hujuſcemodi compoſitam* in toties memoratis noſocomiis, rariorem *meracam bilioſam*, quæ recenſita ſua methodo feliciter curabantur.

De dyſenteria *putrido inflammatoria* eadem prorſus notanda occurrunt, quæ de *bilioſo-inflammatoria* modo dicebam: id univerſim in omni complicatione obſervandum venit, ut urgentiori malo occurratur primo, tum reliqua artis legibus ſubjiciantur.

§. XXIII.

Supereſt, ut quædam dicantur de aliis morbis, dyſenteriam externo habitu referentibus, ſeu de *dyſenteriis ſpuriis*, de illis morbis, qui cum dyſenteriis, ſed ſatis male ſæpenumero, confundi ſolent.

Dyſenteria *Exquiſita*, dyſenteria *Vera*, illa appellari meretur, in cujus deſcriptione hucusque immorabar; at vero ſi quocunque anni tempore reſinam e. g. purgantem male ſubactam, & inteſtinorum plicis poſtea pertinacius adhærentem quis devorarit, in dyſenteriæ ſpeciem incidit, æſtivæ dyſenteriæ analogam; idem etiam illis ſolet evenire, quorum inteſtina aliud quodcunque acre, aut etiam vermes rodunt; unde frequentiſſimæ. teneſmoides, torminoſæ, mucoſæ, cruentæ dejectiones habentur; erit *diarrhæa torminoſa*, erit dyſenteriæ ſpecies, ſed *dyſenteriæ ſpuriæ;* ſic ſi alvus torminoſa ab acri acido, muricatico, rancido, aut putrido, a pure ipſo, uti ſubinde ſub

ultima

ultima phthiſeos tempora contingit, ab acri ichoroſo, ab acri cancroſo; prouti fit ſi ulcus in abdomine hæreat, & ichor, aut pus ad inteſtina deferatur poſt inflammatam & ſuppuratam ventriculi, aut inteſtini partem, aut ex ſuppurata hepatis portione per ductum hepaticum delata materie ſanguineo-biliofa ad inteſtina, uti & per ductum pancreaticum ad cavum inteſtinalem, ex pancreatis ſuppurata parte; ab omnibus hiſce acrimoniis alvus frequens orietur, torminoſa, tenesmodes, ſeu dysenteria, ſed *ſpuria*, dyſenteria toto (ut ita dicam) cælo diverſa ab iis ſpeciebus, quas hucusque commemoravi.

Non omnis profecto alvus cruenta, ut alias monui, frequens, torminoſa, & tenesmodes, *dyſenteriæ* meretur nomen: habentur nonnulli homines, quibus vaſa ſanguifera inteſtini recti, ſeu hæmorrhoidalia vaſa multo ſanguine infarcta ſunt, quæ diſtenta, dolorem, pruritum dein in ano, tum borborigmos, demum tormina, ανω & κατω erumpentes flatus, tandem etiam motus febriles, anxietates, præcordiorum tenſiones, & palpitationes excitant, ſtrangulatus humorum, & difficiles ſanguinis per abdominalia vaſa circulos.

Cauſa horum ſymptomatum circulus eſt: appellamus talem morbum *colicam hæmorrhoidalem;* ſi alvus nondum fuerit cruentata, & res tota intra dolores colicos conſiſtat; accedit demum alvus frequens, parca, dolorifica, tenesmodes, item intractio ani talis, ut nequidem, aut nonniſi difficillime enema adplicari poſſit; adeſt tandem ſtranguria, quin & iſchuria ipſa; alvum cruentam,

tam, quæ hoc rerum ſtatu ſequitur *dyſenteriam* appellare neutiquam convenit.

Cruenta hæmorrhoidalis hæc alvus a dyſenteria diſtinguitur notis ſequentibus: 1*mo* quod in fluxu hæmorrhoidali adſint ſymptomata ſuperius deſcripta, ita ut nulla ſaburræ bilioſæ ſigna obſerventur; quæ tamen plerumque obſervari ſolent in vera dyſenteria. 2*do* in fluxu hæmorrhoidali ſimul juncta ſunt tubercula hæmorrhoidalia externa viſu, aut interna digito exploranda. 3*tio* fluxus hic hæmorrhoidalis quocunque anni tempore obſervari ſolet, ubi e contra dyſenteria *epidemice* plerumque graſſatur, & certas anni partes amat, adultam plerumque æſtatem, & autumni initia infeſtat; fluxus hæmorrhoidalis non quoscunque invadit; ſed nonnullos præ aliis jam ſæpenumero obnoxios, ſecus ac ſolet fieri in dyſenteria, quæ nullum ſexus, ætatis, aut vitæ rationis diſcrimen agnoſcit. 4*to* Colica hæmorrhoidalis a lumbis incipit, a partibus ano vicinis, ſed longe alius ſymptomatum ſucceſſus obſervari ſolet in dyſenteria; etenim in hac malum plerumque orditur a ventriculo, cardialgia, & a ſupremis abdominis partibus, interne dolore ſcindente, torminoſo. 5*to* ſanguis in dyſenteria aut purus ſubinde abit, aut cum fæcibus intime commixtus, in fluxu vero hæmorrhoidali fæces ſanguini commixtæ non ſunt, ſed has aut ſequitur, aut præcedit excretio cruenta ſanguinis, ita ut fæces, & ſanguis ſeorſim plerumque in excipulo ſpectentur; ſed & alius fæcum conſpectus eſt in dyſenteria, ac eſſe ſolet in hæmorrhoidibus; etenim fæces dyſentericæ ſunt ſæpenumero ſimul viridеſcentes, coloris herbacei, ſæpe mucoſæ, aut me-

mucoſo-cruentæ; in hæmorrhoidibus vero ſolummodo aut mucoſæ, aut cruentæ, nunquam autem, aut rariſſime virideſcentes.

In colica hæmorrhoidali ſi fiant tubercula ſubito, necdum ſanguis grumoſus ſit factus, hyrudines applicabis; ſi autem inveterata, & ſanguis grumoſus, lanceolæ potius erit locus, ſiquidem abſuerit inflammatio, neque tubercula ſymptomatica, aut ex laxitate fuerint orta.

Conveniunt (inſecura licet ſint, & inflammationem potius ſæpenumero excitent) conveniunt, inquam, aloetica &c., hæmorrhoides pellentia tunc ſolummodo, ſi hæmorrhoides criticæ fuerint; ſi ſcilicet fuerint in aſuetis, ſi facile pelli poſſint, ſi pariter jam aliquot guttæ fluxerint, ſi aliæ aliarum partium hæmorrhagiæ non ſint timendæ; ſed ſanguis verſus hæmorrhoides per ſua ſigna ſolummodo pelli intelligatur, nullaque ſigna adſint, viam ſumere verſus pulmones, caput &c.; ſi in mucoſis, pituitoſis &c.

Alius itidem morbus eſt, qui minus expertis *dyſenteriam* mentitur; obſervantur homines, quorum ſanguiféra vaſa non in recto ſolummodo inteſtino, ſed in ileo quoque, in jejuno, in duodeno, in ipſo adeo ventriculo ſita, varicoſa hinc inde ſunt, quibus hæc vaſa inteſtinorum, & ventriculi multo ſanguine turgent, quemadmodum in fœminis e. g. gravidis crura varicoſa, & femora conſpiciuntur; ſuapte rumpuntur varices, & ſanguinem fundunt, ſic etiam inteſtinorum varices, & ipſius ventriculi rumpi nonnunquam aſſero, quæ dein affectio varia, prout va-

rio

rio in loco hæc vaſorum varicoſorum fit ruptura, ſortitur nomina; quare ſi e. g. varicibus inteſtini recti disruptis, ſanguis alvo prodeat, cum ſymptomatibus paulo antea deſcriptis; morbus tunc appellabitur *fluxus hæmorrhoidum internarum*; ſi vero inteſtini coli, cæci, ilei, aut jejuni varices ſanguinem fundant, affectio talis ſimpliciter *cruenta alvus* audit; quod ſi grumoſus alvo ſanguis reddatur, *atræ bilis per alvum dejectio* tunc dicetur; ſi ventriculi varicoſa rumpantur vaſa, *vomitus cruentus*, ita ſimpliciter dictus, habebitur; ſi demum ſanguis is ipſe vomitu rejectus grumoſus ſit, piceusque *atræ bilis rejectio per os* vocabitur, ſeu etiam alio nomine *morbus niger* Hippocratis: alvus ejusmodi cruenta a varice cujusdam inteſtini altius locati male cum dyſenteria confundetur; ſed alia, prout mox notavi, ſortitur nomina, ſua quæque methodo auferenda.

§. XXIV.

Quanta eaque ſibi oppoſita ex hucusque enarratis combinari non poſſunt? Cur diverſis annis diverſa ſit eidem authori commendata antydysenterica methodus? Eam certe ob rationem, quod diverſis annis, diverſa fuerit dyſenteriæ complicatio; itidem cur eodem ſæpe anno diverſa pariter ab eodem medico medendi methodus adhiberi debuerit? Ratio inde petenda, quod eodem anno diverſa ſæpe ſpecies dyſenteriæ regnet, modo *bilioſa*, *inflammatoria*, *putrida* &c.; ſed & id patet, quare non eadem in eodem homine, & eodem in morbo medendi methodus valeat; novimus enim & diverſa dyſenteriæ ſtadia, & di-

ver-

verſas dyſenterias etiam ſeſe invicem excipientes eodem in homine.

Quam male igitur eandem in omni dyſenteria medendi rationem ſequuntur ii, quibus nomina pro rebus ſunt, & quam vana ſpes ſit remedii *univerſalis antidyſenterici* ex varia hucusque deſcripta dyſenteriæ ſpecie in confeſſo eſt; ſed remediis variis in cura dyſenteriæ opus eſſe, conſtabit morbi diverſiſſimam faciem non ignorantibus.

Quare nec *radix ipecacuanhæ*, ut illius inventori, vel potius primo encomiaſtæ Helvetio eſt viſum, *ſpecifici* quid poſſidet, cujus vis omnis reſidet in emeſi, & forte etiam in vi parumper roborante. *Vitrum antimonii ceratum vim* eam *ſpecificam* habet, quam omnia emetica, emeto-cathartica; accedit, quod illius uſus inſecurus ſit ob notas jam in chemicis rationes; etenim certa doſis hujus vitri determinari nequit, etiamſi a gr. V—X. ad XV. propinetur, cum pro diverſa præparatione, modo plus, modo minus ſit cera involutum, atque adeo mox plus, mox minus ſit draſticum. Egregia ea dumtaxat in caſu remedia, ubi priæ viæ colluviem materiæ pro cauſa habent, vel ubi derivata aliorſum materia, naturaliter alvo exitura, diatheſis diarrhæica, aut dyſenterica inteſtinorum tollitur.

Neque *ſimarubæ cortex*, aut *lyſimachia* planta cum reliquis *adſtringentibus*, ipſis adeo variis *boli* ſpeciebus; ſed celebranda modo in ea morbi ſpecie, quæ a nervorum irritabilitate, aut etiam laxitate oritur; *bolus* præterea innocua leni-

nitate quamvis acrimoniam demulcendo, ſimul involvendo acre irritans dejectiones alvinas parciores reddit; ſecus enim lupum in ſtabulo claudentes augent malum, tormina, febrim, calores, dolores præcordiorum, hæmoptoën cauſant, inteſtinorum inflammationes, & lethalem gangrænam; vel præcipitant ægrum in colicam chronicam cum ſumma alvi conſtipatione, in hecticam, icterum, tympanitidem, hydropem a).

Neque *radix ſaleb antidyſenterica* eſt, niſi in caſu inflammatorio, & ubi muci inteſtina naturaliter oblinientis ac defendentis defectu, dyſenteria continuat; eadem ratione *oleoſa, demulcentia*, & alia *mucilaginoſa* quatenus involvunt acre, ut ſtimulare ultra non poſſit, vel quatenus inteſtinorum nervos ita defendunt, ut ſtimulo affici ultra nequeant, vel dum quid inflammatorii adeſt, *antidyſenterici* nomen merentur; his *ſebum caprinum, ceratum roſaceum* Galeni, & *ceram albam* liquatam in lacte juxta Degnerum quoque adnumera.

Opio ipſo *ſpecifici* in dyſenteria nulla eſt prærogativa, niſi quod expulſo hoſte, aut multum ſaltem enervato, irritatos nervos patet, ſicque motum periſtalticum exorbitantem moderetur, & ſolutis inteſtinorum ſpaſmis, ventris tormina, vi flatuum producta, compeſcat, vel & dyſenteriæ primam ſpeciem, perſpirabile movendo, ſopiat

In

a) Zim. de dyſent. c. 7.

In *Rheo* quoque nulla eſt *ſpecifica vis* quærenda, idem paulo rarius convenit quacumque detur ratione, & forma, præcipue febre majori præſente; tunc tantum locum habiturum, dum evacuare, & roborare ſimul erit indicatio: de *myrobalanis* idem propemodum puta.

Sunt qui ſpecifice *ſperma ceti*, *priapum tauri*, *& cervi*, *pulverem e C. C.* aut *cranio humano*, *oſſis ſepiæ*, *ceræ hiſpanicæ* laudant, alii *aquam roſarum*, in qua ſolutum eſt *aurum*, alii exſiccatas. & pulveratas equæ *ſecundinas*, alii intincti *lintei* in *ſanguine leporis*, morſu canis interfecti, exſiccati, & in vino macerati uſum celebrant; alii vel ipſum *arſenicum*, alii alia ſimilia, quæ quantum in dyſenteria valeant, & quam parum *ſpecifici* mereantur nomen, is facile noverit, qui & naturam morbi, & horum perſpectas habuerit vires.

§. XXV.

Quosnam exitus dyſenteria communiter habeat, paucis exponam: ii vero ut morborum omnium, ſunt vel in ſanitatem, vel in alium morbum, aut denique in mortem.

In plerisque, niſi *maligna* fuerit, ſi bona accedat methodus, abit directa, & optata via in ſanitatem.

In aliis indicata methodo, ſeu evacuante, ſeu antiphlogiſtica, aut quacunque alia conſopitis torminibus, alvus ſubinde fluit indeſinenter diebus multis, quin & ſeptimanis integris dyſente-

ria

ria in *diarrhœam* abeunte, bonam quidem niſi diuturnior eſſet, & ob amiſſum inteſtinorum robur difficulter ſupprimeretur, & prohiberet convaleſcentiam, eamque tardam, difficilemque redderet.

Radix arnicæ pulverata, aut infuſa compluribus cum emolumento exhibetur, quibusdam tonica quoque alia, aliis & arnica, & tonica: augent alia quæcunque diarrhæam, ſenſiliſſima inteſtina ſtimulando mechanico more: prodeſt mucilaginoſum quoddam remedium, opiato ad veſperam interpoſito; ſæpius veſicans ipſum cum levamine applicatur.

Dyſenteria ſubinde plurimum remittit, ut & receſſus rariores ſint, & vix torminoſi, dolore brevi evanido, & ſub ipſa ſolum dejectione percepto, ſed multis ſeptimanis durantes, difficilesque curatu, *dyſenteria* modo *chronica* priorem excipiente, de qua uberius §. XX. nonnihil agebam.

Morbi articulorum chronici poſt illas dysenterias vel maxime obſervantur, quæ intempeſtivo opiatorum uſu fuere compreſſæ, rheumate inteſtinorum ſubito evaneſcente, atque delato ad articulos, delato ad humerum, nucham, occiput, manuum carpos, genua &c.

Interim non ſcio, an non ſit hæc felix morbi converſio in *articularem;* videtur profecto facilior, commodiorque curatio *articularis*, quam *dyſenterici* gravioris potiſſimum morbi, non vero *ſimplicis* e. g. *bilioſæ dyſenteriæ*, utpote quæ & cito,

to, & multo facilius, ac *articularis* morbus medelam admittit, utut optima ſit illa curatio, ubi morbus *dyſentericus* absque metaſtaſi ſanatur.

Subinde pulmones ægrotare veluti *catarrho* incipiunt, ut primum a dyſenteria mitius habetur æger, aut ex eadem convaleſcit: quibusdam a dyſenteria *aures tinniunt*, cum aliqua ſurditate. Rarius morbo inteſtinorum jam curato, malum ad *ventriculum* vertitur, ubi *ingens* quaſi *pondus* percipitur.

Nonnunquam mitigatis jam dyſentericis ſymptomatibus, pectus valdopere opprimi, aut latus velut *pleuritide* affici incipit, citra tamen magnam, ac manifeſtam febrem, rheumate modo in pleuram, aut muſculos intercoſtales irruente: phthiſis cauſatur ſæpius quædam *ſpuriæ* ſpecies, plerumque tamen ſanationem admittentis: præcipue ſi cura lactea, aut potius ea, quæ ſero lactis, lacte ebutyrato abſolvitur, accedat.

Fixum ſubinde hoc rheuma uni loco adhæret; nonnunquam vero vage, atque errabunde diſcurrit, ut modo hanc, modo aliam vellicet partem.

Intra non multos dies hæc deſtillatio evaneſcit, in quamcunque demum partem ceciderit, ſua ſponte, ſeu etiam aptis remediis.

Huic ſcopo diaphoreſis movenda potu tepido, floribus ſambuci medicato, & ſtibio diaphoretico non abluto; decocto radicis bardanæ &c., ſerum lactis, etiam admotum veſicans, proſunt.

Crurum oedema, quod diuturnum alvi fluxum excipit, ſtomachica, invigorantia, frictio, & tempus tandem ipſum diſpellit. At caute invigorantibus mercandum docet experientia, ſuadet ratio; ne dum corroborare ventriculum eſt animus, eidem ingerantur, quæ nimia ſint, aut mole ipſa, aut vi; languidiſſimum enim æque, ac debiliſſimum ventriculum mitiſſima tantummodo tonica reficiunt, offendunt fortiora. Diæta medicatrix, & auxilium ab ipſo tempore petitum, potiora ſunt hoc alvi fluxu laborantium, indeque convaleſcentium adjumenta.

Ad veſicam morbus nonnullis decumbit, ita ut dyſenteria repente ſubſiſtat, orta ingenti *mingendi difficultate*, aut etiam *lotii plena ſuppreſſione;* alii ſanata alvo, *pondus* tantum in *pube* percipiunt: nonnulli dyſenteria vigente adhuc *moleſte mingunt.*

Dyſuriam poſt dyſenteriam emollientia, emulſa interne aſſumpta, ad pubem cataplaſmatibus emollientibus applicatis, feliciter tollunt.

Eſt quoque dyſenteriæ exitus in *hydropem* in ſexu potiſſimum ſequiori, poſt *dyſenteriam chronicam* præprimis inſequentem.

Sub ultimos dyſenteriæ dies, eaque in alvi indolentem fluxum fatiſcente, pleriſque crura, ſubin & femora albo phlegmate intumeſcunt, nonnullis abdomen quoque, & univerſum corpus. Quibus ſolum pedes, & crura tumida adparent, lenia tonica, grata cardiaca, amara &c., & crurum frictiones aromaticæ, atque tempus ipſum re-

remedio ſunt; quibus autem totum corpus intumeſcit laborioſior eſt cura: juvat ſomnus parcus, exercitatio pro viribus corporis, diuretica ex mitioribus, ubi præprimis extractum lactucæ viroſæ ſuas laudes promeruit.

Sed etiam *bilioſa* potiſſimum *dyſenteria* deſinit in *dyſenteriam intermittentem*, aut etiam in *febrem tertianam* ſine dyſenterico ſymptomate, vel denique in *dyſenteriam putridam*, de quibus abunde ſuperius me egiſſe, credo.

Dyſentericorum ſymptomatum agmen plerumque *teneſmus* claudit, diuturnus ſubinde compluribus ſeptimanis obſervante Sydenhamo ægros excruciat; videtur idem omnino morbus eſſe cum dyſenteria, *ſede* ſolum diverſus, & *magnitudine minor*; ſi enim potior craſſorum, colique præcipue inteſtini tractus, quam præcipuam, potioremque dyſenteriæ provinciam §. IV. oſtendebam, eo rheumate, atque eo modo laboret, quo id ad conſtituendam *inteſtinorum difficultatem* requiri ſuperius oſtendebam, dyſenteriam adeſſe in confeſſo eſt; rheumate autem dyſenterico ſua ampliori illa ſede moto, atque intra anguſtos ſolum inteſtini recti, aut ejusdem extremæ tantum oræ cancellos concluſo, *dyſenteria recti* ſolummodo inteſtini adeſt, ſive mutato nomine *teneſmus*.

Ea teneſmum levant, quæ morbum principem ſanant, evacuantia *ανω*, aut *κατω*, potus emollientes, enemata emollientia, emolliendo diſcutientia, venæ ſectio, hirudines, pro intenſitate, & indole mali ægros ſolantur; imo & veſicans ad os ſacrum poſitum, eo ſcopo, ut mate-

T 2 ries

ries rheumatica ibi fixius hærens evocetur, nonnunquam etiam laudani uſus per plures ſeptimanas, more Sydenhamiano, fert opem; qui ſi tamen omnibus his adplicatis protrahatur, curatur ſolo tempore.

Verum alia quoque habetur *teneſmi* ſpecies ab hæmorrhoidum tumore dolente, ab hæmorrhoidum irritatarum tuberculis.

Hæmorrhoidalis hic *teneſmus* in viris, iisque robuſtioribus frequentius obſervatur, frequentius quoque in dyſenteria autumnali, quam æſtiva.

Teneſmo hujuſcemodi medetur emulſio, & mere emollientia ore aſſumpta, injecta ano ea copia, ut retineri poſſint, etiam hirudines applicatæ; abſtinendum vero ab opiatis, utpote malum augentibus.

Denique *teneſmus* adeſſe poteſt a locali inteſtini recti inflammatione idem irritante, aut etiam ab eodem inteſtino exulcerato, quæ propriis noſcenda ſignis, & propria methodo aliunde nota ſananda veniunt.

Ultimus denique, isque lugubris dyſenteriæ exitus in mortem, in vigore morbi, ma magnitudine potiſſimum in *dyſenteria inflammatoria*, aut κενεαγγεια, vel tabe, evacuatis diuturnitate morbi humoribus, vel in corpore cacochymico gangræna inteſtinorum necat, potiſſimum vero fatali inteſtinorum *eryſipelate*, *eryſipelate* potiſſimum *bullato*; noſcitur volutatione, jactitatione;

ne, dolore, intolerabili, acerrimo, eodem ſubito, & ſine cauſa remittente, manente pulſu debili, intermittente, celeri, ſudore largo, frigido, univerſali, in magnas guttas collecto, extremorum frigore marmoreo, apice naſi, & linguæ frigido, facie hippocratica, manente acie mentis, imo aucta non raro, delirio placido, taciturno, atonia inteſtinorum, meteoriſmo gangrænoſo, alvo fætida, cineritia, ichoroſa, livida, nigra, cadaveroſa, fæcum ſine ſenſu ægri demiſſione; plurimum quoque ad hanc diagnoſim confert, ſi alicubi externe prius adfuerit, vel actu adſit *eryſipelas*.

§. XXVI.

Nullam certiorem *prophylaxim* novi, quam quæ æſtuantis corporis, & profuſius perſpirantis refrigerium repentinum, & auræ frigidioris adflatum vitat; novi optime, perfrigerationem præcipuam eſſe excitantem morbi dyſenterici cauſam, hinc quamdiu hæcce ægroto applicata manſerit, tamdiu nulla ſpes curationis, etiam exquiſitiſſimis remediis in auxilium vocatis, ſupererit: difficillimum quidem eſt ægrum a perfrigeratione cohibere morbi tempore, cum ſæpe vigeſies, quadrageſies, etiam centies una nocte ſurgant ad deponendam alvum; quare ſurgendo continuo male contecti, nudis pedibus, noctibus ſæpe perquam frigidis, morbi cauſas itentidem de novo repetunt; juvat igitur ægros tibialibus, aut veſtitu alio contra frigus nocturnum potiſſimum munire, eamque rem non inter levioris momenti cautelas reponerem, verum inter illas, a quibus potiſſima curationis pars dependet; quare ſolaminis pluri-

mum experiuntur, ſi in lecto manere jubeantur ægri, iisque ſupponantur excipula, in quæ vel decumbentes alvum ponant, ſi præterea dolens abdomen molli, eoque tepido cataplasmate foveatur.

Vitato ejusmodi refrigerio, cruditatem quoque, ſaburralia vitia vitanda ſunt, quæ licet dyſenteriam ſola non producant; corpus tamen debilitando, invitant eandem, redduntque graviorem præſentem.

Proderit quoque præter hanc perfrigerationis, & cruditatis fugam, leni tonico vim primarum viarum ſuſtinere, ſi fors debiles fuerint.

Fruſtra quæritur remedium *prophylacticum* dyſenteriæ in *frequenti alvina purgatione*; hanc ſiquidem noxiam potius arbitror, niſi præſens ſaburra eandem poſcat; vires enim ventriculi, & inteſtinorum æſtivis caloribus remiſſiores, crebra purgatio frangit magis, & rheuma tanquam ad partem *debiliorem* invitat.

Æque parum a dyſenteria præſervantur, qu *frequenti vomitione* ventriculum per vices ſubver tunt dyſenteria graſſante, niſi forte adſit jam caco chylia exantlanda; verum tunc non *prophylacti cum*, ſed *curativum* erit remedium.

Minus prodeſt temporibus dyſentericis *vi ctus repentina mutatio*, ubi quidam omnem victum animalem ad aliquod tempus ſeponunt, vino pe nitus, cui ante adeo aſueti erant, ſepoſito; ve rum prout ubique, ita & hic repentina mutati

no-

nocet potius, quam ut a malo præſervet, excitantis etiam cauſæ vices agens.

Summe autem prodeſt, prout in quocumque alio morbo, ita quoque tempore dyſenterico nil commoveri, æquo eſſe animo, nil timere; ſiquidem timor pejor eſt, magis noxius, quam peſſimus quiscunque aër; ſanos morbo, ægros morte ſæpiſſime plectit; timor profecto, æque ac triſtitia commiſerandos effectus in ſanis producunt, infinities vero pejores apud ægros cauſabunt.

§. XXVII.

Coronidis inſtar eam adferam analogiam, quam dyſenteria cum *morbo rheumatico* agnoſcit, ut palam fiat quanam in re affinitas horum conſiſtat: dico materiem eandem omnino eſſe in dyſenteria, quæ eſſe ſolet in rheumatico morbo, adeoque utriusque mali cauſam materialem omnino eſſe eandem, *forma* ſolum uterque morbus variat; cum in rheumatico dolor *articulos* occupet, aut *carnes* inter articulos *medias*, vel illarum *membranas*, in dyſenteria vero idem rheuma *inteſtinorum membranas* invadat: quod ut clarius patefiat, varias utriusque morbi alternationes, varias mutationes alterius in alterum recenſebo.

I. Artuum rheumatiſmos videre contingit repente ſublatos oborta dyſenteria; vidi equidem anno præterito rheumaticum tumorem in fæminæ genu in noſocomio SS. Trinitatis, qui, oborta per noctem dyſenteria, ferme omnis evanuit;

T 4 ſic

ſic quoque febris rheumatica nonnunquam ſubito ceſſat, orta poſtmodum dyſenteria, ita quidem ut febrim talem dyſenteria excipiat. II. Dyſenteria ſubito ceſſare eſt viſa utprimum carpi, aut genua intumuere, doluereque ad eum modum, quo a febre rheumatica ſolent, in artus incurrente. III. Non raro eundem hominem & rheumatiſmus vexat, & dyſenteria. IV. Par quoque utriusque morbi eſt frequentia eadem tempeſtate, ut alios rheumatiſmus, dyſenteria alios affligat. V. Eadem medendi ratio in utroque morbo valet, idem etiam eſt habitus ſymptomatum, ſi ea exceperis, quæ ob affectæ partis *diverſitatem* neceſſario differre debent. VI. Dyſenteria non infrequenter ſudoribus, aut efflorefcentia miliari, aut utraque ratione judicari, & ſolvi ſolet, quod ſæpenumero in rheumatiſmis quoque obſervatur.

Quare dyſenteria non ob remotam quamdam analogiam, & per metaphoram, ſed *vere* ac *genuine rheumatiſmus inteſtinorum* dicetur, ſuntque hi duo morbi ſoboles ejusdem matris.

Verum analogiam hanc ſuadet quoque diverſa rheumatis ſpecies collata cum varia ſpecie dysenteriæ.

Novi *rheuma ſimplex*, *ſeroſum*, dolores articulorum brevi evanidos, curatu faciles, coryzas a perfrigeratione non magni momenti, catarrhos leviores, raucedines in hominibus cæteroquin bene valentibus ab aura frigidiore, quæ forte ſudantes afflarat, absque febre, curandos regimine tepido, aliquantum diaphoretico; ſed & conſtat dari dyſenteriam ejusdem prorſus indolis, quam

ſero-

ſeroſam, *ſimplicem* ſuperius nominabam curatu facillimam potu tepido, & ſolis levioribus diaphoreticis.

Alia eſt rheumatis ſpecies *rheuma bilioſum*, a quibusdam etiam *gaſtricum* appellatur.

Neque hoc novum eſt, aut nuper conſpectum, ſed homini vel mediocriter docto notum, & jam dudum cognitum; ophtalmiæ enim gaſtricæ, & odontalgiæ ſaburrales, cephalalgia gaſtrica, rheuma artuum bilioſum, aliæque aliarum partium fluxiones, quæ a ſordibus ventriculi naſcuntur, nonne vulgata nomina jam ſunt, & ex ipſis rerum, cauſarumque viſceribus petita? Fluxiones has vel nulla, vel obſcura ſolummodo febricula comitatur, moleſtiam potius quandam, quam morbum arbitrantur, qui ſic ægrotant.

Horum ventriculum acrior bilis ferit; ſed quæ tota intra eundem collecta non manet; tenuior enim ejusdem portio ejus veluti aura quædam intra alveos circumeuntium humorum ſuſcepta, vel ad varia corporis cola defertur, eliminaturque, vel vero in itinere ſuo oberrat, atque alicubi adhæreſcit. Quod ſi in pulmonibus contingat, catarrhum habebis ex primis viis ortum; ſi in membrana narium, coryzam &c.

Fac jam halitum illum bilioſum, intra circumeuntes humores ſuſceptum, ita ſuo curſu deviare, ut ad opportunum quoddam colatorium non appellat, aut forte per poros cutis exitum molliens, admiſſo frigore repercutiatur, neque,

 ta-

tamen, uti antea poſui, pulmonibus infigatur, aut naribus; ſed decumbat ad ipſum Inteſtinorum corpus, ad meſenterium &c. *catarrhum* habebis *inteſtinorum*, aut eorundem *coryzam*, ſeu *dyſenteriam*, eamque ſpeciem, quam *ſimplicem bilioſam* dicebam.

Sola ventriculi, & inteſtinorum ſaburra absque eo rheumate, & intra cavum inteſtinale ſolummodo contenta, alvinum forte fluxum feciſſet indolentem, aut dolentem etiam, ſi quidam materiæ fuiſſet acor; ſed ejusmodi *diarrhœam* utut fortaſſe, acore poſito, *torminoſam*, diverſam abitror a dyſenteria, cujus creberrimæ quidem, & torminoſæ ſunt dejectiones, ſed ferme irritæ, ut fæcum ſecedat plerumque nihil, ſanguis vero, & mucus vi exprimatur.

Sed & frequentes ſunt *dolores articulorum* ex primis viis agnoſcentes originem ſine notabili aliqua febre.

Uterque hic morbus antibilioſa, ſolventi, evacuante methodo etiam longiori tempore continuata tollitur.

Rheumatiſmi aliam conſtituit ſpeciem *rheuma artuum pertinax*, & *diuturnum* initio febrile, & cum afflictæ partis tumore, atque febre licet profligata, diutius nihilominus dolorificum; quodve, ni exquiſita methodo ſuccurratur, articulos ſero tandem a dolorum cruciatu liberat, & eos relinquit ad motum ineptiores, rigidiores, tuberoſos, tumidos, & per omnem fere vitam veluti ſemidiſtortos.

Non

Non diſſimilis dyſenteria habetur ad notas ſanandi leges rebellis, & cum hac pertinaci fluxione articulorum apprime conveniens, *dyſenteria chronica;* ſero dolor abdominis valedicit, longiſſimamque omnium moram trahit, ſano reliquo abdomine, in recto inteſtino, quod aſſiduo *teneſmo* mucum tremulum lineis ſanguineis pictum exprimit. Teneſmus hic diutiſſime durat, niſi ad aliam partem delato malo, quando ſubito ceſſare eſt viſus: aliis dyſenterico dolore ceſſante, alvus nihilominus indolenter, & aſſidue fluit multis ſeptimanis; omnibus incaſſum tentatis ægri aut hydropici, aut conſumpti ab aſſidua, aquoſa, chymoſa dejectione pereunt.

In ſectis horum cadaveribus inteſtina præprimis craſſa, ſolito multo craſſiora, rigida, coriacea, at nullibi ulcerata reperiuntur.

Idem profecto hic inteſtina patiuntur ab inveterato rheumate, quod articulis ab eodem accidere mox dicebam, tumidis manentibus, tuberoſis, ac rigidis effectis, & ad motum ineptioribus; obliteratis ſcilicet inteſtinorum abſorbentibus vaſis, rigeſcentium, durorum, alvus abſque torminibus, & aſſiduo manans, hydropem inducit, & conſumptionem.

Aliud quoddam genus eſt deſtillationum æſtate, & ſub initia autumni ſæpe conſpectum, *eryſipelatodes*, urentiſſimum, quod vel leviſſime digito contrectatum, ejulatus ægro exprimit, ſub veſperam & noctu crudelius ſæviens, & ſepticum; eos præ cæteris potiſſimum invadit, quorum-

rum corpora jam ante morbum pravos ſuccos fecerunt.

Sed etiam dyſenteriam non abſimilem videre eſt in cacochymicis, graviſſimam, lethalem, atque id ſolum boni habentem, quod rarius obſervetur.

Ejusmodi dyſenterici ardorem abdominis, eumque intenſiſſimum, aſſiduum, contrectationis vel mitiſſimæ impatientem, vel primis morbi diebus, anxietatem miram, & jactitationem; creberrimas, mere, ſed obſolete ſanguineas dejectiones; pulſus ſæpe magnos, vibratosque, ſed nunquam valde acceleratos, ſubinde autem tenuiſſimos exhibent. Vena ſecta laudabilem, absque ulla cruſta phlogiſtica, & absque dolorum levamine ſanguinem exhibet, ſub frigidiſſimo artuum frigore, & plusquam cadaveroſo, internis caloribus ſe peruri queruntur; potus gelidi inexplebile deſiderium; lingua ſicca, hirſuta, & ipſa quoque frigida; mentis conſtantia, & dolorum ſenſus usque ad ultimum ferme vitæ diem.

Mucilaginoſæ, tepidæ, crebræ potiones, & abdominis fotus aſſidui rariſſime æque proſunt, ac emeſis, aut catharſis; ſolis quippe antiphlogiſticis acre inflammans inteſtina tolli non poteſt; evacuantia dare vetat incendium, quo inteſtina, omentum, meſenterium deflagrant.

Tertia quartave die plerumque marmoreum illud, humidumque frigus artus omnes occupat, ſudore gelido in magnas guttas collecto ubertim manante, præprimis in collo, & facie: ſeptima, at-

atque octava die, dejectionibus & rarioribus, & melioribus, nec torminoſis, at ore aperto, oculis conniventibus taciturne deliri, & neglectim cubantes nona aut decima die pereunt.

In ſectis cadaveribus cæcum colon, ejusque potiſſimum transverſa portio & quæ per ſiniſtrum latus deſcendit, itemque inteſtinum rectum craſſas, & carnoſas habent, duras & tumefactas; color autem plumbeus, & luride ruber apparet: meſenterium, & omentum obſoleta, & late diffuſa rubedo inficit, hinc inde altius intra eorundem viſcerum ſubſtantiam demiſſa. Diſſectus inteſtinorum canalis villoſam tunicam profundo, & triſti virore imbutam exhibet, quem nec aqua eluit, nec ſpongia abſtergit. In nonnullis cadaveribus hic viror non obſervatur, cum inteſina interea fœde rubeant, & luridi rubente ſanguine manent. Glandulæ quædam meſenterii ex inflammatione tument, referuntque grumos ſanguinis. Rariora, & leviora, aut etiam nulla vitia repriuntur in tenuibus inteſtinis.

Rheumatiſmo *inflammatorios*, atque etiam inter ſe *complicatos*, *compoſitosque*, aut diverſas rheumatum ſpecies *ſibi invicem ſuccedentes*, ea ipſa tempeſtate ſpectare licuit, qua *ejusdem* omnino *indolis* dyſenteriæ graſſabantur, & eodem modo ſanare, quo populari inteſtinorum morbo medebatur.

VII.

RUDOLPH WILHELM AUTRIACI VINDOBONENSIS DISSERTATIO DE APOPLEXIA.

De Apoplexia in genere.

Apoplexia latinis morbus attonitus, paralyſis univerſalis, attonitus ſtupor ſideratio nuncupatur, Græcis *ἀποπληξία*, *ἀπόληξις*, *ἀποπληκτικὸν νόσημα*, ab *ἀποπλήττω*, quodlatinis ferio aut percutio audit; hinc quoque genanis der Schlag, gallis Apoplexie, anglis an apoplexy.

Galeno definitur apoplexia: detentio mentis cum abolitione ſenſuum & corporis reſolutione. Et idem alio in loco ait: Apoplexieſt abolitio ſenſus & motus in omnibus nervis.

Secundum mentem magni *Boerhavii* definitur ſubita & integra ablatio ſenſum in & externo-

norum, ſimulque omnium motuum voluntariorum, perdurante interim & pulſu & reſpiratione, & utraque hac actione ſubinde aucta, ſuperſtitibus etiam actionibus, quæ a pulſu & reſpiratione immediate dependent a).

Juvat definitionem hanc aliquantum explicare; ſit enim in ea ſolum mentio animalium & vitalium, neutiquam naturalium actionum. Statum hunc functionum naturalium in apoplecticis apud pleroſque auctores omiſſum reperimus. Ratio eſſe videtur, quod varii apoplectici circa functiones naturales diverſimode, & non omnes æqualiter ſe habent.

Quidam enim horum abolitam habent deglutitionem; alii deglutiunt; quidam alvum deponunt, aut ſua ſponte, aut enemate ſolicitatam; aliis ad acres etiam ſtimulos alvus ſuppreſſa manet. Sic urinas mittunt non pauci; alii contra eas ſuppreſſas habent.

In quibusdam alterutrum, in quibusdam nullum, in aliis utrumque latus eſt reſolutum. Hinc eſt, quod functiones naturales tam diverſimode ſeſe habentes non ingrediantur apoplexiæ definitionem.

Præterea id quoque reſtat notandum: vocabulum hoc apoplexiæ veteribus, præcipue Hippocrati & Aretæo non ſemper idem ſonaſſe, quod nobis. Non enim ſemper univerſalem illam reſo-

a) Boerhave inſtit. medicæ §. 860. pag. 338.

ſolutionem, ſed mitius ſæpe malum his ſignificabat; non raro de ſola unius partis reſolutione uſurpabatur, vigente interim animo, vigente reliquo corpore. Huc quoque accedit, quod veteres uni eidemque apoplexiæ tot tamque diverſa injunxerint nomina, ut tyro medicus totidem fuiſſe morbos, quot nomina facile arbitretur. Idem in hoc caſu fecerunt, quod is faceret, qui diverſos e. g. peripneumoniæ aut pleuritidis gradus, aut diverſa horum morborum ſymptomata accidentalia diverſiſſimis nominibus, memoriam confundentibus atque ad veram morbi diagnoſim nil conferendis, inſigniret.

Præmiſſa igitur longiori quidem, at non prorſus inutili hujus vocabuli explicatione, ad apoplexiæ diviſionem adgredior.

Diviſio apoplexiæ multiplex eſt.

Primo a materia morbum producente dividitur in apoplexiam ſanguineam ſeu calidam, quam abundantia nimia boni ceteroquin ſanguinis efficit; & in apoplexiam ſeroſam, ſeu pituitoſam, vel etiam frigidam; oritur hæc a præſentia ſuccorum pravorum, ſeri, aut pituitæ pravæ.

Alia diviſio eſt in apoplexiam nullo hucdum ſpeciali inſignitam nomine, non ex bonorum aut malorum ſuccorum abundantia nimia, ſed quæ a contrario priori oppoſito vitio naſcitur, videlicet ex defectu, ex penuria ſanguinis ad cerebri corticem adpellentis, vel etiam ex defectu illius materiæ in ſanguine, ex qua ſpiritus illi ſubtiliſſimi nervei fabrica cerebri ſecerni ſolent.

Hip-

Hippocrates apoplexiam etiam dividere conſuevit in fortem & levem. Quæ diviſio licet ad meliorem diagnoſim nihil, ad prognoſim tamen plurimum conferre videtur. Dicit enim immortalis ille vir, ſolvere apoplexiam vehementem eſſe quidem impoſſibile, levem vero non facile a).

Et Celſus ſic ait: omni reſolutioni nervorum ad medicinam non idonea ſunt tempora hyems & autumnus, aliquid ſperari poteſt vere & æſtate; quibus ſtatim ſubjungit: isque morbus mediocris vix ſanatur; vehemens ſanari non poteſt b).

Aliter dividitur apoplexia in hyſtericam, vel hypochondriacam, quamvis non adæquata omnino voce & omnem morbi ambitum complectente. Hæc enim ipſa ſpecies apoplexiæ in aliis etiam utut non hyſtericis, non hypochondriacis obſervatur, præcipue in infantibus; hinc melius ſenſu latiori apoplexia nervoſa adpellari poſſet.

Alia porro diviſio eſt in apoplexiam periodicam, quæ ſtatis horis aut diebus redire ſolet, quamque nuper meus clariſſimus atque in æternum mihi venerandus Profeſſor Stoll in hortulano Nro. 14. decumbente in noſocomio SS. Trinitatis publice demonſtravit. Æger ille omni tertia die inſultum apoplexiæ paſſus eſt.

Sed

a) Coac. lib. 83. Aphor. 42.

b) Celſus lib. 2. c. 8. pag. 76.

Sed periodica hæc apoplexia ad febrem intermittentem potius pertinet, quæ larvam apoplexiæ induere videtur.

Præterea quædam apoplexiæ ſpecies eſt epidemica, quæ varia eſſe poteſt, vel ſanguinea, vel ſeroſa, vel pituitoſa, vel periodica, prout phlogoſis prædominatur, aut ſerum; vel prout viget conſtitutio generandæ aquoſæ auſteræve pituitæ favens; vel vero prout temporis annique conſtitutio talis eſt, quæ multas febres intermittentes, & apoplexias, ſeu febres larvatas apoplecticas generare queat.

Alii porro ſecundum ſedem cauſæ dividunt apoplexiam in idiopaticam, quæ cauſam ſedemque cauſæ una cum effectu in uno eodemque loco, cranio nempe agnoſcit; & in ſympaticam, ubi ſedes cauſæ & effectus in diverſo loco hærent; ſic e. g. ſedes cauſæ poteſt eſſe vel in thorace, vel in abdomine; effectus autem ſemper hærebit in cranio.

Ulterior apoplexiæ diviſio deſumitur ex vario gradu atque intenſione mali, ita quidem ut ſpecies alia dicatur parapoplexia, quaſi diceres: levior apoplexia; hæcque communior hujus vocabuli eſt notio.

Hippocrates tamen & antiquus ejus commentator Galenus has voces parapoplexia & paraplegia pro levi tantum alicujus membri ſideratione, ſeu pro levi paralyſi accipiunt. Sic enim

ait

ait Hippocrates: a) mulierem, quæ decumbebat in litore, prehendebat febris valida, manu dextra paralytica facta more parapoplectico, id eſt more levioris paralyſeos.

Recentioribus autem parapoplexia aliud eſt, quam fuerat Hippocrati & veteribus; eſt nempe ea apoplexiæ ſpecies, quàm alio in loco Hippocrates vocavit apoplexiam levem; ita ut apoplexia Hippocratis ſit parapoplexia recentiorum.

Antequam ad apoplexiæ cauſas ejusque medendi methodum explicandam transgrediar; nonnulla vocabula explananda ſuperſunt, tam veteribus, quam recentioribus in denominandis variis apoplexiæ ſpeciebus uſitâta.

Sunt autem ſequentia.

Paraplegia; quam ab Hippocrate & Galeno cum parapoplexia & paralyſi confuſam ſupra dixi, recentioribus definitur apoplexia totius corporis, capite ſeu cerebro excepto.

Paræſis á multis confunditur cum leviori apoplexia, ab aliis cum paralyſi. Juxta Duretum eſt reſolutio partis cum ſegnitie & torpore, id eſt torpor quidam membrorum, ſeu nondum perfecta paralyſis.

Anaiſteſia gradu ſolum a prioribus differt; ἔτυμον vocis ſpectes, erit defectus facultatis

U 2 ſen-

a) Hipp. lib. I. Hiſt. 13.

ſentiendi. Recentiores Anaiſteſiam adeſſe dicunt, ſi in parte quadam corporis tactus facultas deficiat.

Carus eſt ſpecies apoplexiæ calidæ, ſeu apoplexia ſanguinea levior, non in morbum chronicum alium diuturnum, non in paralyſin, ſed in perfectam ſanitatem abire ſolita, ita ut ne ſui quidem veſtigium relinquat.

Hic carus in ebriis ſæpe obtinet, ubi ebrietas quam proxime contermina evadit apoplexiæ ſanguineæ. Etenim non raro contingit ejusmodi homines a medicis apoplecticos haberi, & non male quidem, cum ſumma ebrietas haud raro in apoplexiam terminetur.

Verum hi poſteaquam ſuam edormierunt crapulam, perfectá denuo valetudine fruuntur; ubi contra iidem dato emetico in apoplexiam gravem & ſæpe inſanabilem incidunt.

Cl. Wepferus ſuadet his plumula vel ſimili inſtrumento fauces irritare, ut fibris œſophagi hac ratione irritatis ventriculus quoque convellatur, onusque ſuum ejiciat.

Coma comatodes, ſeu coma ſomnolentum eſt perpetua & inſuperabilis in ſomnum proclivitas cum aſſiduo in eundem poſt excitationem relapſu.

Hoc coma eſt apoplexia levior, vel ſpecies apoplexiæ leviſſimæ; apoplexia inchoans, ſymptoma plerumque morbi inflammatorii cujusdam,

at-

atque communem cum illo medendi methodum expoſcit.

Coma vigil, ſeu coma agrypnodes eſt continua in ſomnum proclivitas cum perpetua a ſomno per inſomnium terribile ſpontanea excitatione.

Adſunt in hoc comate cauſæ apoplexiæ, calidæ, etſi leviſſimæ; adeſt præterea ſtimulus continuus a cauſa inflammationis plerumque productus. Coma hoc ſæpenumero in quibusdam febribus inflammatoriis tanquam harum ſymptoma obſervatur.

Lethargus, ut ipſa vocabuli natura indicat, eſt iners oblivio; aliis definitur lethargus ſomnus profundiſſimus a cauſa frigida qualicumque.

Veternus dicitur ſomnus difficulter excutiendus, protractus cum pallore, tumore flatulento & atonia.

Recentiores morbum hunc ad apoplexiam frigidam reducunt, cujus leviorem quamdam ſpeciem lethargum vocant.

Hippocrates videtur nomine lethargi morbum pectoris peripneumoniacum intellexiſſe, cum is in coacis afferat, ſervari a lethargo eos, qui purulenta ſputant poſt morbos thoracis inflammatorios.

Hinc lethargus Hippocrati id videtur fuiſſe ſymptoma, quod nos ſubinde in graviſſimis pleuritidibus & peripneumoniis obſervamus.

Cataphora definitur gravis in ſomnum delapſus parum aut fors nil a comate differens.

Huc quoque referendus eſt ſomnus diuturnus, per dies, ſeptimanas, imo & menſes durans. Somnus hic ideo morboſus, quia nimis diuturnus.

In actis academ. reg. pariſin. eſt hiſtoria hominis, qui ex válido terrore in ſomnum duorum menſium incidit, totoque hoc tempore nil ſumſit præter pauca cochlearia vini, quæ illi quotidie ingerebantur, omnibus medicamentis incaſſum adhibitis, atque irritantibus nihil proficientibus, tandem in piſcinam frigidiſſimam conjectus ſenſim ad ſe rediit.

Diverſi auctores complura exempla recenſent ſomni per plures ſeptimanas, imo per menſes protracti, quæ tamen brevitatis gratia omitto.

Incubus ſeu *Ephialtes* quoque ad morbos apoplecticos referri meretur, cum & ſimile quid referat & aliquando apoplexiam antecedat.

Incubi paroxiſmus fere ſemper inter dormiendum, præcipue ſtomacho diſpenſatis cibis valide repleto gravatoque, hominibus præſertim ſupine in lecto decumbentibus, obſervatur. Hoc malo adfecti potiſſimum in pectore & circa præcordia noxam ſentire videntur. Nam ſuppreſſa reſpiratione, aut plurimum impedita, ſanguis in pulmonibus accumulatus efficit, ut a pondere quodam thoraci incumbente ſe opprimi arbitrentur.

Pon-

Pondus hoc imaginarium ſub hac illave ſpectri forma rudis plebecula cernere ſibi videtur, donec poſt longam ſubinde luctam ſomnus inſomnis & ſenſus ponderis excutiatur.

Adfectus hi in iis præſertim, qui ad apoplexiam prædiſpoſiti ſunt, neutiquam periculo vacant.

In pueris & infantibus frequens eſt ephialtes, idque præcipue a vitio materiei ventriculum & inteſtina gravantis vellicantisque.

Majoris adhuc momenti cauſa eſt lac coagulatum, acidum in ventriculo infantum, pituita iners, pulmentum, repleto etiam ventriculo vel invitis miſellis ingeri ſolitum.

Verminoſus quoque nidus inter cauſas incubi referri debet; vellicando nempe viſcera abdominalia ibique ſpaſmos producendo ſanguinem urget verſus encephalon; dein paulo copioſius repletus ventriculus, non quod aortam comprimat, ut aliqui voluere (eam enim ne attingere quidem poteſt) ſed quia circulationi ſanguinis in ſyſtemate gaſtrico obex ponitur ob compreſſa nimia ingeſtorum mole innumera parietum vaſa.

Hinc plus ſanguinis ad ſuperiora urgetur, & quodam modo topica encephali plethora naſcitur; inde ſanguinis adcumulatio in pulmonibus, preſſio cerebri, & tandem incubus.

Accedit huc, quod diſtentus ventriculus motum diaphragmatis deorſum impediat, unde

quoque reſpirationis difficultas & ſenſus ponderis.

Omnes hucusque recenſiti morbi quid apoplectici habent; etſi ab apoplexia quam plurimum differre videantur.

Imo easdem & communes apoplexiæ cauſas perſæpe agnoſcunt; quin etiam alii quam plurimi capitis & nervorum morbi, utut plurimum ab apoplexia diverſi, ex iisdem tamen apoplexiæ cauſis oriuntur; e. g. convulſio eaque adeo varia & diverſa, ſpaſmus multiplex, catalepſis, tetanus, opiſtotonos, emproſtotonos, pleurototonos, chorea St. Viti.

Omnes inquam hi morbi cum apoplexia easdem origines cauſasque habent.

At difficillimum certe eſt, imo adhuc impoſſibile rationem reddere, cur e. g. eadem cauſa in hoc homine apoplexiam producat, in alio epilepſiam, in hoc tetanum, in illo emproſtotonum; in alio alium ſpaſmum atque convulſionem.

De his autem morbis, utut easdem cum apoplexia cauſas agnoſcentibus, quoniam peculiarem ſubin poſtulant medendi methodum, hoc loco agere ſupervacaneum duxi.

Pervenimus ad cauſas apoplexiæ, quarum alia eſt proxima, alia procatharctica.

Cauſa proxima apoplexiæ eſt omne id, quod liberum iter liquidi nervoſi ab encephalo per

per nervos ad muſculos voluntatis imperio ſubje-
ctos, & ſenſuum organa impedire poteſt.

Cauſa vero procatharcticæ ſunt innumeræ; omnia, quæ plethoram augent, ſanguinem majori quantitate in encephalon urgent, balneum calidum, potus largior, diæta aromatica, vinoſa, ſpirituoſa; his enim ſenſus confundi, caput gravari; balnea autem magis calida ingreſſos quaſdam quaſi leipotimias ſenſuumque concuſſiones pati obſervamus.

Plethoram capitis augent colare arctum, ſcriptio capite nimis inclinato, thoracula arcta, omnes morbi pectoris, conatus alvum, urinam fœtumque expellendi nimius, tuſſis, vomitus diuturni, repletio ventris, abuſus ſpirituoſorum, vigiliæ, ſomnus protractus, atque omnes animi affectus.

Cauſæ prædiſponentes ſunt nativa corporis fabrica, collum breve ſæpeque numero ſex ſolum vertebris inſtructum, corpus nimis craſſum & pingue, quod Hippocrates jam memorat hiſce verbis: Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν a). Id eſt, qui natura ſunt valde craſſi, magis ſubito moriuntur, quam graciles.

Ad cauſas prædiſponentes quoque pertinet temperies plethorica, cacochymia pituitoſa prædominans, ſeſſio continua, morbi pulmonum qui-

 cum-

a) Hipp. Aphor. 44. Sect. 2. Tom. 9. pag. 83.

cumque ſanguinis fluxum per eosdem impedire valentes.

Huc pertinent morbi pulmonum pituitoſi præſertim in ſenibus, quod jam Hippocrates pulchre notavit, de morbis ſenum inter alia, hæc differens: *Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάῤῥοι, βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι* &c. Senibus autem ſpirandi difficultates, catarrhi tuſſiculoſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexia. a) Morbi etiam pulmonum inflammatorii, peripneumonia vera & notha, tuſſis valida, vomitus pertinax, elevatio ponderum cum niſu valido, conamina ad alvum duram deponendam vehementia, eadem conamina in puerperis, ſi præmature ad partum urgeantur, veris partus doloribus nondum inſtantibus, haud raro apoplexiæ cauſæ eſſe ſolent.

Huc accedunt ſtudia immoderata, vigiliæ nimiæ, animi affectus, ira gaudiumque vehemens, melancholia b), libido nimia, ſpaſmus abdominis, aut viſcerum contuſiones, quæ omnia hæmiplegiam ſæpe aut apoplexiam producunt.

Nonnunquam univerſo in venis ſanguine melancholico facto, communi læſionis ratione cerebrum læditur; quod Hippocrates his verbis confirmat: a) ſi lingua ex improviſo impotens fiat,

a) Idem Aphor. 31. S. 3.

b) Galenus de melanch. Can. 1. Tom. 9. p. 405.

a) Hipp. Sect. 7. Aphor. 40.

fiat, aut aliqua pars corporis ſiderata, melancholicum hoc ipſum fit.

Item inſolatio meſſorum aliorumque ſub ardente ſyrio laborantium, venena, quæ aut narcotica opiatave vi, vel alia quadam ratione occidunt, opium, ſtramoneum, hyoſciamus & alia ſimilia huc referri merentur.

Præterea fumus carbonum, præcipue in loco clauſo accenſorum; gas ſylveſtre extricatum ex fermentante muſto, vapor accenſi ſulphuris, vapores minerarum, cryptarum ſubterranearum, cemeteriorum, diu clauſorum carcerum atque repente apertorum, exhalationes plantarum toxicarum, putrefactarum ſecundum recentiſſima experimenta cl. Ingenhous, uti & exhalationes vegetabilium quorumcumque in loco umbroſo collocatorum.

Hæc enim cuncta pulmones ſtringunt, ſpaſmos inducunt, reſpirationem vitiant, ſanguinis per pulmones tranſitum impediunt.

Hinc ſanguis per pulmones tranare impotens accumulatur in encephalo, eoque preſſo aut impeditur fluxus liquidi nervoſi, aut plane per nimiam vim ſanguinis appulſi ruptis vaſis ſanguis extravaſatur, apoplexiamque producit.

Huc quoque nimia ventriculi repletio pertinet, ſomnus nimius, isque poſt prandium capite prominente, ſæpiſſime eſt cauſa prædiſponens apoplexiæ; nec non hæmorrhoides, & menſtrua ſuppreſſa, vulnera diu ante fluentia ſubito

ex-

exſiccata; quorum plura exempla habemus; morbi diuturni prægreſſi, mœror diu protractus, metaſtaſes variæ, (hac ratione explicari poſſunt apoplexiæ puerperarum a metaſtaſi lactis) retropreſſa ſcabies, ſalivatio mercurialis ſubito frigore ſublata, vulnera & hydrops capitis, exoſtoſes, nodi, tophi calvariæ internæ repente orti, tumores capitis, aneuriſmata, oſſificationes arteriarum, febris larvata tempore æſtatis, obœſitas nimia, unde venæ valide comprimuntur, conſolidatum ulcus ob metaſtaſim puris, ſubita mutatio aëris, uti quum quis ex aëre frigido repente calidum nimis intrat cubile.

Hæ potiores fuerunt apoplexiæ cauſæ, nunc ſequuntur præcipua ejusdem ſymptomata.

Sunt autem antecedentia apoplexiæ ſymptomata fere ſequentia: labilis memoria, obſcuratio viſus, ſcintillatio oculorum, pigritia mentis corporisque inſolita, ſomnus turbatus terrificis inſomniis, cephalalgia, aliquando frigus totius cujusdam lateris, vox tarda, lingua balbutiens, ſtridor dentium, tinnitus aurium, præter conſuetudinem impedita reſpiratio, labiorum repentina retractio.

Symptomata concomitantia ſunt omnium ſenſuum & motuum plenaria abolitio, reſpiratio vario modo læſa; profunda, tarda, laborioſa, ſubinde cum, ſubinde ſine ſpuma oris; pulſus fortis plenus, tardus, in nonnullis frigus artuum extremorum, in aliis ſphincterum ani, & veſicæ reſolutio, ſternutatio, nonnunquam ſudores copioſi ſponteque erumpentes.

Tan-

Tandem apoplexia terminatur vel in ſanitatem, vel in mortem, vel alios morbos, quales plerumque hemiplegia, aut ſingularis cujusdam partis paralyſis eſſe ſolent.

Diagnoſis.

Diagnoſis apoplexiæ, ſeu ſanguineæ, ſeu frigidæ, pituitoſæ, ſeroſæ petenda eſt ex iis ſignis, quæ mihi naturam febris determinant, e. g. febrim inflammatoriam ex habitu corporis, vita cauſisque pregreſſis, atque ex concomitantibus hactenus enarratis ſymptomatibus.

Prognoſis.

Apoplexia a ruptura vaſorum aut eorum eroſione incurabilis eſt citoque lethalis.

Apoplexia a ſola rarefactione, aut niſu majori ſanguinis verſus encephalon absque ruptura vaſorum ſæpe curari poteſt.

Apoplexia ſanguinea.

Apoplexia ſanguinea ea nuncupatur, quæ a ſanguine bono nulla ratione vitiato, a cauſa quacumque majori, quantitate ad encephalon adpulſo oritur.

Quod ſi vehemens valde ſit hujus impetus cauſæque validæ, ſæpe ſubito & repente homines mortui cadunt. Quo in caſu plerumque valida preſſio encephali & ſubita, ſimulque ſanguinis quan-

quantitas ex ruptis nimia vi vaſis extravaſata habetur.

Symptomata tum potiſſimum ſequentia obſervantur. Reſpiratio difficillima & inæqualis; ægri continuos trahunt ronchos, ſtertuntque, toti inſenſiles ſunt; adeſt ſpuma oris, pulſus inæqualis, celer, debilis & intermittens, aliquando autem valde auctus plenusque obſervatur; facies inflata, tumida cernitur nigro-cæruleſcente colore picta. Per totum corpus præcipue tamen per extremitates frigidus fœtidusque manat ſudor.

Excrementa alvi, urinæ, ſeminis, reſolutis utpote ſphincteribus ſponte atque inſciis ægris dimittuntur. Deglutitio aliquando perſtat, ſæpius tamen eſt ablata.

Prognoſis.

Prognoſis hic plerumque mala eſt, morbo fere ſemper lethali. Quo mitiora pauciorave ſymptomata, eo major ſpes ſanationis.

Accurata & fidelis anatomica obſervatio docuit in hominibus apoplexia ſanguinea interemtis vaſa encephali multum dilatata infarctaque ſanguine ſpiſſo, grumoſo, aut effuſum extra vaſa ſanguinem & ſtagnantem in variis encephali cavis.

Apoplexiæ ſanguineæ ſubjecti ſunt maxime plethorici, boni plenique habitus, quibus copio-

ſus

ſus denſusque eſt ſanguis, multum elaboratus beneque calens.

Ad apoplexiam ſanguineam pertinet etiam apoplexia ſubmerſorum & ſuffocatorum; uti & apoplexia variolantium.

Facies enim illorum ita ſanguine turget, ut ſæpe oculi penitus claudantur. Sanguis enim illuc adfluit, ubi minorem invenit reſiſtentiam: cum vero encephali vaſa ſint valde tenera & mollia; illuc fit accumulatio ſanguinis.

Qui cum ob turgeſcentiam nimiam humorum redire nequeat, adcumulatus premit fabricam tenerrimam cerebri. Impedit ergo ſic fluxum liquidi nervei in muſculos voluntatis imperio ſubjectos & ſenſuum organa, atque hac ratione apoplexiam producit.

Apoplexia dentientium pariter huc pertinet. Fit enim major continuo adfluxus ad locum ſemper irritatum.

Oritur quoque apoplexia ſanguinea a vermibus aut acido inteſtina exſtimulante.

Stimulo enim verminoſo aut acido inteſtinorum tunicis adplicato excitatur ſpaſtica contractio fibrarum muſcularium; hac ratione impedito ſanguinis circulo major denuo quantitas in ſuperioribus partibus remanet, accumulatur, atque ſic apoplexia a vermibus aut acido produci poteſt.

Huc

Huc omnis acrimonia nimium irritans tubum inteſtinalem ſpasmumque producens referenda eſt, e. g. acrimonia nimia bilis, ingeſtorum putridorum, rancidorum. Huc quoque colica pictonum pertinet; namque ſtimulus plumbi inteſtina æque ut alter quiscumque ſpaſmodice ſeſe contrahere facit.

Apoplexiæ calidæ etiam adnumerari meretur apoplexia ab hydrope abdominis pectorisque orta.

Pariter enim hæ cauſæ impediunt ſanguinis circulum per reliqua viſcera; hinc adcumulatur in encephalo, illudque premendo cauſat apoplexiam.

Sequitur cura apoplexiæ ſanguineæ, quæ in ſequentibus conſiſtit.

I. In evacuantibus & revellentibus. Fit autem evacuatio per venæ ſectiones in brachio pedeve inſtitutas, per ſectionem venæ jugularis, per arteriotomen arteriæ temporalis, per cucurbitas occipiti adplicatas & profunde ſcarificatas, per venæ ſectiones tam diu iterandas, quamdiu durities & tenſio pulſus perſtat.

II. Injicienda ſunt enemata ſæpius repetita, ſed emollientia, nitroſa; at cavendum ſummopere in hac apoplexia calida ab enematibus calidis, quæ in hac ſpecie neutiquam conveniunt, ſed malum potius exaſperant.

III. Propinandi ſunt potus mannati, nitroſi per os ea doſi, quæ alvum blande movere poſſit, & aperire.

Nocet

Nocet hic methodus illorum, qui purgantia draſtica, reſinoſa tumultuoſe propinant; nocent etiam purgantia ſic dicta antiphlogiſtica paulo largiori manu propinata.

IV. Præter copioſos potus antiphlogiſticos præprimis hic indicatur ſuccus citri copioſa aqua dilutus, qui & ſaccharo edulcorari poteſt. Præterea proſunt acida vegetabilium quæcumque diluta aut aqua ſimplici, aut decocto cuidam mixta; oxymel ſimplex, ſyrupus aceti, & ſimilia, quæ cuncta orgasmum humorum inſigniter moderantur.

V. Indicatur ſitus corporis debitus & conveniens huic morbo; corpore nempe erecto, declivibus cruribus; capite denudato, cui poſca frigidiuscula adplicetur.

VI. Juvat quoque femorum ligaturas facere, refluxum ſanguinis a partibus inferioribus cohibituras.

Nocent contra his apoplecticis concuſſiones variæ, quas vulgus adhibere adamat. Nocent frictiones, nocent ſpirituoſa quæcumque naribus admota. Nocent potus fotusque calentes, aromatici; nocent purgationes ſupra jam memoratæ, draſticæ nempe, reſinoſæ. Soluto jam paroxiſmo id probe attendendum, ut æger ab omni cibo ſolidiori & animali prohibeatur; utatur ſolo ſero lactis, ſanatusque diu ſolis vegetabilibus veſcatur.

Quæritur jam, an veſicantia in hac apoplexiæ ſpecie conveniant? Sunt enim complures,

qui in hac apoplexiæ ſpecie uſum illorum promiſcue commendant.

Verum ſi natura morbi & natura medicamenti inter ſe comparentur, ſique inſuper perpendantur ea, quæ de uſu & abuſu veſicantium ſcripta reperiuntur, luce clarius patebit, veſicantia in apoplexia calida neutiquam convenire poſſe, & adplicata ſemper noxios producere effectus natura ſua debere.

Cantharides enim, animalia utpote ſale copioſiſſimo, eoque acerrimo prædita per adplicata veſicantia a vaſis corporis humani reſorbentur, atque ad maſſam humorum delata ſtimulo ſuo fibras muſculares cordis & arteriarum vellicant, quo ipſo fibræ ſeſe crebrius violentiusque contrahunt; hinc ſanguinis circulum per univerſum corpus accelerant, ſicque potius augent, quam levare deberent apoplexiam.

Accedit, quod ſecundum obſervationes Baglivii & Trallesii veſicantia ſanguinem verſus caput eo magis urgeant; quod excretionem urinæ reddant parciorem, difficiliorem, ſtranguarioſam; quod alvum ſegnem efficiant atque moroſam, ſubinde & urinas & alvum cruentent, ſæpiſſime etiam reddant torminoſam.

Datis igitur his omnibus, atque perſiſtente unanimi practicorum conſenſu, veſicantia prodeſſe in morbis frigidis, pituitoſis, in fibra languida, inerti, in vita debiliſſima; qua ratione idem medicamentum in ſummo impetu atque orgaſmo

ıſmo humorum in ſanguinis phlogiſtica indole, in ɔra nimis forti & tenſa convenire poterit?

Sunt, qui veſicantia poſt repetitas & ſuffi-ɛentes ad minuendam plethoram venæ ſectiones ɔnvenire aſſerunt, ut hac ratione periculum a ve-ɛantium adplicatione minuatur. Minuetur ſane, ɛd tamen nunquam ex integro tolletur. Nam eſicantia in hoc caſu æque nocebunt, ut in alia ɛera inflammatione e. g. in pleuritide vera, oph-ılmia vera.

Contra vero egregium habent uſum in in-ıammationibus ſpuriis, in ſpuria odontalgia, pleu-ɪtide ſpuria, ſpurio quodam dolore faucium.

Proſunt, & laudari merentur ſero vel lym-ha ad has partes decumbente, ut in anginis ſe-oſis, pituitoſis, ubi ſæpe inſtar miraculi ægros le-ıabant.

Cura prophylactica.

Facta cura apoplexiæ curatoria ſanguineæ ɪempe, quæritur, quænam ſit cura prophylactica, ɪt acceſſus futurus ſæpe mituendus arceatur?

Hæc cura prophylactica in eo conſiſtit:

1mo ut caveatur geneſis novæ plethoræ.

2do ut evitetur ſtimulus.

3tio ut impediatur auctior humorum motus ıd encephalon.

Primum obtinetur, ſi diæta ſit parca eaque vegetabilis potius, quam alia. Cœna quoque aut nulla ſit, aut modica; nimis protractus vitetur ſomnus, protractus vel in multas horas, pomeridianus præcipue.

Obtinetur præterea, ſi abſint omnia ſtimulantia, rareſacientia; hinc abſtinendum a potu ſpirituoſo, ab odoramentis, unguentis ſpirituoſis, aut calidis oleis eſſentialibus impregnatis.

Abſint ſacculi & pulveres quicumque odorati, præſertim ex moſcho confecti. Vitetur quoque potus Caffée, balnea præſertim calida, nicotiana.

Alvus ſemper ſervetur lubrica; potus ſit acidiuſculus, nitroſus, refrigerans.

Vitetur tam otium, quam nimia corporis exercitatio, quam ſemper moderatam eſſe oportet. Vitetur inſolatio & calidiora cubicula. Denique apoplexiæ calidæ obnoxii talibus conſtanter utantur, quæ alvi & urinæ fluxum liberum ſervare valent, qualia ſunt e. g. cremor tartari & ſimiles leniores ſales medii.

Apoplexia frigida.

Apoplexia frigida ea audit, quæ pro cauſa ſua neutiquam ſanguinem phlogiſticum valde motum aut rarefactum, encephalon comprimentem agnoſcit, ſed ſerum iners, aut lentam frigidamque pituitam.

Huic

Huic apoplexiæ maxime ſubjecti ſunt ii, qui
oto corpore ſunt mucoſi & tenaci pituita infar-
cti, quique debiles, ſanguinem habent tenuem,
iſſolutum, ferme aquoſum & nonnunquam ſimul
crem; ubi hæc acrimonia rodendo vaſa extrava-
itum efficit ſanguinem, ſicque frigidam producit
poplexiam.

Culter anatomicus in his demonſtravit vaſa
ncephali tenaci admodum & mucoſa materie ple-
a valdeque diſtenta, ita ut compreſſa nimium ce-
ebri ſubſtantia apoplexia neceſſario ſequi debuerit;
ut vero humores tenues acres in ventriculos &
ava encephali varia effuſos.

Symptomata.

Symptomata in apoplexia frigida ferme ea-
dem, ac in calida obſervantur; niſi quod apople-
ia frigida concuſſi faciem collapſam, pallidam lu-
ei coloris habeant, pulſum debilem, parvum, in-
qualem, ſæpius intermittentem. Cum e contra-
io in apoplexia calida facies inflata, tumida, ni-
ro cæruleſcente colore tincta cernatur.

Prognoſis.

Prognoſis hic dubia eſt; ſi enim ægri pul-
us primum debilis & languens, poſt debitam
nedendi methodum ſtatim ab initio adhibitam
ncreſcat; extremitates, quas antea marmoreum
enebat frigus, calere incipiant, atque color fa-
ciei pallidus in rubicundum mutari; ſi æger ſi-
nul ſitiat, febriſque excitata ſit mitior (per hanc

enim in hoc caſu vires naturæ optime reficiuntur) prognoſis erit bona.

Si vero febris adeo valide increſcat, ut æger in furorem agatur, nullaque adſumat medicamenta, mala certe erit prognoſis, ægerque ita tractandus, uti febre acuta correpti tractari ſolent.

Aeque mala erit prognoſis, ſi homo apoplexia frigida tactus fuerit cacochymicus, ſi humores habuerit acres, corruptos, ſolida debilia, jam eroſa. Tunc enim indicium eſt, vaſa cerebri ſimiliter adfecta, humores acres effuſos; & hinc apoplexiam eſſe lethalem.

Videamus nunc methodum medendi in apo plexia frigida neceſſariam.

Cura curatoria.

1mo. Inſtituatur venæ ſectio, atamen parc & non repetita, niſi perquam raro; aut etiam ve næ ſectionis loco hirudines ad tempora adplicentu Semper enim ſeu calida, ſeu frigida ſit apoplexia turgor adeſt vaſorum, quæ turgeſcentia quamdar poſtulat depletionem.

2do. Abſolvitur cura apoplexiæ frigidæ ene matibus, non emollientibus, ſed acrioribus, im aliquando acerrimis. Purgantia præterea adhib antur, cito effectus ſuos edere ſolita.

3tio Curatur apoplexia frigida volatilibu quibuscumque vaporibus naribus ſuppoſitis, qu etiam corpori adfrictis, frictionibus ſeu ſiccis

feu

ſeu aromaticis, ſpirituoſis, epiſpaſticis pedibus adplicatis, & largis veſicantibus; prioribus tamen præmiſſis.

Huc præcipue faciunt ſpirit. cornucervi aut ſimplex, aut ſuccinatus, ſpirit. ſalis Amon. vol. ſimpl. aut aniſat. lavandol. ſales alcal. volatiles quicumque.

Cura prophylactica.

Hæc conſiſtit in diæta ſicca, roborante; purgantibus frequentioribus, & nonniſi validis ex familia roborantium petitis, frequentioribus repetitisque corporis exercitiis.

Aliquando ſonticuli, nonnunquam ſetacea proſunt alicubi in corpore excitata.

Apoplexia Gaſtrica.

Apoplexia gaſtrica alia eſt denuo apoplexiæ ſpecies, quæ ideo gaſtrica audit, quoniam vitium, ſeu cauſa apoplexiam producens præcipue in ventriculo ſedem ſuam figit.

Huc & nimia repletio ventriculi, adſumpta quævis nimia quantitate, ſpirituoſa, fermentantia, ſaburra quæcumque, ſeu bilioſa ſit, ſeu alia nimium accumulata, aut acris facta, venena acria præcipue tamen narcotica nimia doſi propinata, & ebrietas ſpectant.

Cura apoplexiæ gaſtricæ.

1mo. Curatur venæ ſectione, ut topica encephali plethora tollatur, quam ſpirituoſa potulenta, fermentantia, aut alia cauſabant.

2do. Abſolvitur cura hujus apoplexiæ gaſtricæ emetico, ut vomitu excitato ingeſtum e. g. venenum & in ventriculo hærens apoplexiæ cauſa, cujus deleteria vis cito operatur, evacuetur.

Emeticum autem hoc in caſu qualicumque exhibere neutiquam eſt indifferens. Debet enim cito operari; hinc præmiſſa venæ ſectione aliqui ſuadent adſumtionem vitrioli albi, cujus doſis ſcr. ji. aut drach. ad minimum ſcrup. j. exhibendus foret.

Alii contra diſſuadent ob vires medicamenti adeo acris atque ventriculum inflammantis, cujus ſi vel minima portio in ventriculo remaneat, aut ad inteſtina delata ibi hæreat, diriſſimas inflammationes, coleras & ſimilia mala producat neceſſe eſt.

Accedit, quod, ſi venenum tam acre citoque operans adſumtum fuerit, ut emetico adeo promto opus ſit, vix non ſemper aliqua ſaltem qualiscumque adſit inflammatio. Jam, ſi tam acre vomitorium ingeſſeris; an non augebis ægro miſero inflammationem?

Caſus ſolum fortuitus eſt, ſi una cum contentis in ventriculo omne vitriolum album excutiatur.

Apo-

Apoplexia larvata.

Apoplexia larvata ea eſt apoplexiæ ſpecies, quæ ſub larva cujusdam morbi ludit.

Symptomata.

Symptomata ſunt plerumque cum illis morborum ſpeciebus communia.

Prognoſis.

Prognoſis dubia eſt, plus minusve mala, petenda plerumque a natura & indole cauſæ, ſeu morbi illius, qui ſibi hoc peculiare ſymptoma junxit, a natura & viribus ægri, tum denique a duratione morbi.

Plerumque eo tempore regnare amat, quo multæ & copioſæ graſſantur febres intermittentes.

Participat etiam de natura febris intermittentis regnantis; ſic ſi tertiana graſſetur, formam ſeu larvam tertianæ induit, ſi alia, illius.

Cura.

Cura hic pro diverſa cauſa variat; ſemper enim talis inſtituatur, quæ cauſæ morbum hunc producenti ſit contraria. Sic e. g ſi ſit apoplexia ludens ſub larva febris intermittentis; cura febris intermittentis; & cum illud ſymptoma febris intermittentis, apoplexia nempe, validum ſit & periculoſum: illico cortex peruvian. larga etiam manu eſt propinandus; quo utut

facto, tamen æger, præſertim ſi validos patiatur inſultus apoplecticos, nedum omni abſolvitur periculo. Sunt enim, quibus largiſſimis etiam propinatis doſibus cort. peruv. vita tamen exulat; quale exemplum in noſocomio S. S. Trinitat. videre contigit, ubi decumbens hortulanus apoplexia omni tertia die recurrente correptus, largiſſima licet manu propinato cortice, diem tamen hoc morbo obiit ſupremum.

Apoplexia ab evacuatione nimia.

Hæc apoplexiæ ſpecies prioribus recte e diametro oppoſita eſt.

Cauſas enim plane contrarias prioribus agnoſcit; ſic magna hæmorrhagia vulnere e. g. inflicto, aut poſt partum prægreſſum, aut alias ob cauſas apoplexiam producere valet. Huc apoplexia onaniſtarum pertinet.

Cura.

Cura hic cardiacis nutrientibus abſolvi debet. Non autem, qualiacumque adhibeantur, indifferens eſt.

Neutiquam enim in tali caſu indicarentur nutrientia valida, quæ robuſta poſcunt viſcera, ſed blande & leniter nutrientia; hinc juſcula meraca, ova ſorbilia leve admodum aroma ſubolentia, lac, vegetabilia blanda varia forma & ſubſtantia propinanda.

Apo-

Apoplexia nervea, ſeu apoplexia hypochondriacorum & hyſtericarum.

Hæc apoplexiæ ſpecies in ſubjectis hyſterica aut hypochondriaca paſſione adfectis ſpaſmis abdominalibus maxime ſuam debet originem. Spaſmi enim hi abdominales conſtringendo viſcera abdominalia liberam in illis humorum circulationem impediunt, hinc humores per hæc viſcera fluere impotentes, in partibus ſuperioribus adcumulati premunt encephalon, & hac ratione apoplexiam producunt.

Cura.

Curatur ferme ut apoplexia calida.

Omnium ergo 1mo opus eſt, ut celebretur venæ ſectio. Criſpatæ enim ſolidorum fibræ vix ullo medicamento tam cito & potenter relaxantur, quam venæ ſectione debite inſtituta.

2do Cura abſolvitur antiſpaſticis; quæ autem quum diverſa ſint, atque ægrorum morbo hyſterico aut hypochondriaco adfectorum natura & conditio ſæpe talis ſit, ut nullatenus leventur ab omni antiſpaſticorum ſpecie; hinc varia propinentur antiſpaſtica neceſſe eſt.

3tio Curatur hæc apoplexia nervea oleis blandis, mucilaginibus tepide ore adſumtis, uti & lubricantibus, emollientibus quibuscumque ore hauſtis, aut ano injectis,

4to. Huc etiam cataplaſmata emollientia ſpectant toti abdomini tepide adplicata, balnea, ſemicupia. Quæ ultima tamen cautius adplicanda, nec etiam niſi inſtituta prius venæ ſectione.

Non ſupervacaneum duxi coronidis loco quædam additamenta apoplexiam præcipue ſpectantia ſubjungere; & quidem

1. Accurati morborum obſervatores apoplexiam certis annis certisque anni temporibus longe frequentiorem dominari memorant. Horum obſervationes Hippocratis quoque ſententia confirmat. Sic enim divinus hic vir & immortalis loquitur: *Νοσήματα δε — — — και αποπληκτοι* a). Morbi autem in pluvioſis (nempe anni conſtitutionibus) quidem plerumque fiunt, & febres longæ, & alvi fluxiones, & putredines, & epileptici, & apoplectici &c.

Patet inde Hippocratem jam obſervaſſe apoplexiam certis annis & anni tempeſtatibus occurrere frequentiorem; cum hic apoplexiam inter eos morbos reponat, qui frequentiores obſervantur tempore humido, pluvioſo.

Idem apoplexiam illis morbis adſociat; qui hyemem amant. Sic enim habent: *Τȣ δε Χειμῶνος — — — — — — — ἀποπληξίαι.* Hyeme vero pleuritides — — — — — — — vertigines, apoplexiæ b).

Con-

a) Hipp. Sect. 3. §. 16. p. 48.

b) Hipp. Sect. 3. §. 23. p. 52.

Confirmant hoc quoque Foreſti obſervationes circa apoplexiam factæ, qui ſic ait: Tota cœli conſtitutio dum auſtrina & pluvioſa fuit, & quidem ab initio Decembris ad diem usque 18 ejusdem menſis plurimi apoplectici & convulſi perire. Aderit porro idem auctor, apoplexiam in frigida humidaque regione non raram, imo frequentiſſimam obſervari.

Hæc plurimorum auctorum obſervatio multum, ſi non plurimum ad veram apoplexiæ diagnoſim conferre poteſt.

Inde enim indolem atque naturam apoplexiæ facile determinare licebit; num ſeroſa, num pituitoſa, an ſimplex, an vero ſit complicata.

2. Inter alia commemorata ad apoplexiam maxime prædiſponunt ſtudia nimium protracta atque ſine moderatione inſtituta; præprimis ſtudia nocturna, curæ protractæ, graves ſollicitudines, arthritis potiſſimum. Et licet hæ cauſæ calculoſam aliquibus diatheſim humorum inducant: tamen longe plures ad apoplexiam prædiſponunt.

Qui has & ſupra recenſitas apoplexiæ cauſas intimius rimabitur; longe minus in determinanda apoplexiæ indole atque ſpecie aberrabit.

3. Ad felicem apoplexiæ curam plurimum intereſt, ut medicus omnia ſymptomata exacte noſcat, quæ apoplexiam præcedere conſueverunt de quibus ſupra egi.

Haud

Haud parum enim refert, ſi malo omnium facile graviſſimo in tempore occurrere valeamus.

Qui plura de his ſignis deſiderat; conſulat Cœlium Aurelianum.

4. Notandum eſt, apoplecticorum quosdam eſſe, qui inſigniter febricitant mox ab initio morbi; alios contra, quibus febris paulo ſerius ſupervenit.

Febrim hanc Hippocrates ſalutarem exiſtimabat, ab eaque ſolvi apoplexiam arbitrabatur.

Dicit enim: *Ὑπὸ σπασμȣ̃, ἢ τετάνȣ* — — a). A convulſione aut rigore detento febris ſuperveniens ſolvit morbum.

Neque obeſt huic opinioni id, quod expertiſſimus Werlhoff hoc verum eſſe neget. Etenim conſtat quidem apoplexiam calidam febri oborta præſertim validiori non ſolvi, quin exacerbari debere; ſed Hippocrates hoc afferendo neutiquam intellexit, ſolvi apoplexiam calidam, ſed frigidam ſeu ſeroſam putabat, quod ſequens locus luculente demonſtrat. Dicit enim: *Ὀκόσοισιν ὑγιαίνȣσιν ὀδύνναι* — — — — — — — — b). Quibus ſanis dolores derepente fiunt in capite, & ſtatim muti fiunt, ac ſtertunt; in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.

5.

a) Hipp. Sect. 4. §. 57.

b) Idem Sect. 6. §. 51.

5. Notari meretur, venam jugularem in apo-
plecticis incidi ſolere, idque jam a Valſalva tenta-
tum fuiſſe.

Quæritur jam 1mo, in quo latere ſectio ve-
næ jugularis ſit inſtituenda? an potius in latere
paralytico? an in ſano?

2do An ſectio venæ jugularis re ipſa quid
proſit? quum neutiquam reditum ſanguinis ab en-
cephalo faciliorum reddere, quin imo ejusdem ad-
fluxum promovere videatur.

Reſpondeo ad 1mum: frequentibus admo-
dum & fide digniſſimis obſervationibus conſtat, no-
xam encephali ea plerumque parte reperiri, quæ
lateri paralytico eſt oppoſita.

Patet ergo ſectionem venæ jugularis, ſi inſti-
tuenda ſit, in latere ſano, non autem in paralyti-
co eſſe celebrandam.

Reſpondeo ad 2dum: vena jugularis exter-
na in apoplecticis incidi ſolita non eſt ea, quæ ſan-
guinem directa via reducit ab encephalo, & cui
carotis interna reſpondet; ſed ea eſt, cui reſpon-
det carotis externa, externis ſolum capitis parti-
bus advehens ſanguinem.

Ex quibus patet, ſecta vena jugulari exter-
na reditum humorum ab externis capitis partibus
accelelari, ſicque plus ſanguinis per externam ferri
carotidem.

Quo

Quo igitur plus ſanguinis per carotidem fertur externam, eo minus eodem tempore per arteriam carotidem internam adferri oportet, utpote ſanguinem directe ad encephalon vehentem. Quo minor autem ſanguinis quantitas cerebro advehitur, eo plus ſanguine, & vel ideo preſſione liberatur encephalon.

Ex quibus luculenter patet, perquam utile eſſe venam ſecare jugularem, nec indifferens, quo in latere ſecetur, ſed ſectionem conſtanter ſano in latere eſſe inſtituendam.

Reſtat nunc examinandum, qua ratione hæcce inſtituenda ſit ſectio.

In hac ſectione juvabit venam jugularem per momentum ſolo comprimere digito, non autem faſciis.

Digiti enim compreſſio jam efficit, ut vena in conſpectum prodeat, ſeque lanceolæ non ſubducat.

6. Inter alia apoplexiæ auxilia refertur quoque ſcarificatio in occipite inſtituta, quæ non a Valſalva ſolum, ſed pluribus aliis magni æſtimabatur.

Sic docent ſolertes medicorum obſervationes, juvenem apoplecticum reſoluto jam & vacillante pulſu, ita ut jamjam animam exſpirare videretur, cum aliis remediis nullus amplius ſupereſſet locus, occipite ejus probe ſcarificato, & ſuper impoſita cucurbita orci faucibus fuiſſe ereptum.

Hec-

Hocce remedii genus magnum auxilium nuncupabatur, atque in deſperatiſſimis etiam caſibus profuiſſe dicitur.

Fuſius de magno hoc auxilio ſcripſit Walterus in Diſſertatione ſua, qnam edidit de ſcarificatione occipitis plurium capitis morborum auxilio a).

Memorat enim ibidem phrenitides, convulſiones atque ſoporoſos effectus, diuturnas vertigines, epilepſiam, ophtalmiam, pertinaces cephalalgias, anginam aliosque adhuc capitis morbos, modo ii cauſam in ſanguine agnoverint, ſcarificatione fuiſſe curatos.

Ipſe quoque Aretæus plura de hoc auxilio ſcripta reliquit, ut adeo recentiorum inventis neutiquam debeatur.

7. Circa diagnoſim apoplexiæ notari meretur, ſumma attentione & cura indagandum eſſe, ne ſcilicet una apoplexiæ ſpecies cum altera confundatur; ne e. g. apoplexia calida pro ſeroſa habeatur, & ſ. p.

Petrus Salius plures notas diligenter collegit b), quibus ſanguinea ſeu calida Apoplexia a ſeroſa vel pituitoſa diſtinguatur. Signa hæc non ſunt contemnenda, modo non unum, ſed omnia ſi-

a) Walter Diſſ. de ſcarif. occip.

b) Vetrus Sal. de apoplexia.

ſimul ſumta conjunctaque ſpectentur. Sic Apoplexiam a frigidis humoribus natam ita notat; ſi æger ſit tenax, ſit ſenex, mulier, ſi non rubor, ſed pallor in facie ſit.

Verumtamen conſtat etiam 70 & 80 annorum viros & feminas non ex frigida, ſed vere calida ſeu ſanguinea Apoplexia diem obiiſſe ſupremum.

Sic Cel. Profeſſor Stoll an. 1781. vetulæ 70 annorum apoplexia peremtæ cadaver aperuit, cujus Apoplexiæ ſpecies omnino ad ſanguineam pertinebat.

Patet ergo ſigna hæc, ſi ſola ſpectentur, ad accuratam diagnoſim non ſufficere, cum aliis tamen juncta conferre plurimum.

8. Inter ſigna diagnoſtica apoplexiæ fortioris aut levioris referri a plerisque ſolet reſpiratio, a cujus majori minorive naturali receſſu diverſos apoplexiæ gradus plures egregii in arte viri diſcriminare conantur.

Verumtamen graviſſimam fortiſſimamque apoplexiam & cito lethalem Valſalva vidit; viderunt eamdem & alii; etiamſi reſpiratio ordinata omnino, æqualis, & ut Valſalva ait, plane naturalis fuerit obſervata.

Hinc ſignum illud fortioris aut levioris apoplexiæ a reſpirationis conditione petitum ſæpiſſime imponit.

9.

9. Apoplexia ſubinde hominem corripit recte eo tempore, ubi optime & athletice valere videtur.

Id plerumque illis accidere ſolet, qui vaſa quædam encephali debiliora, varicoſa, aut aneuriſmatica & disruptioni quam proxima habent.

Quibus athletica hæc valetudo optima ſuſpecta ſit oportet.

Quanto autem languidius cor & arteriæ ſe in his contrahunt; tanto minus eſt periculum.

Contra quamprimum illa validius & uti in bene habentibus ſanguinem protrudunt; tanto majori diſruptionis periculo partes ſunt obnoxiæ. Hinc oportet quid huic ſummæ & athleticæ ſanitati detrahere.

10. Valſalva vir, qui uti in ceteris, ita quoque hac in re eximius ex ſola corporis inſpectione prædixit vitium & cauſam Apoplexiæ, quam jam in cerebro, jam in cerebello ſe ſatis certe inventurum ajebat; id quod poſtea ſectiones cadaverum demonſtrarunt.

Quomodo autem hoc prædicere potuerit, nullus intelligo; etſi Morgagnius hac ſuper re multa diſputet; niſi forte ex reſpiratione cito interrupta & alvo profuſa judicaverit, cerebellum potius, quam cerebrum eſſe læſum.

11. Plerumque tamen non eſt difficile ex ſola hominis apoplectici poſitione, nudique etiam jam cadaveris inſpectione prædicere, in quonam encephali latere vitium ſit reperiundum. In quodnam latus enim ceciderit, id omnium primo reſolutum fuiſſe, & noxam in oppoſita parte latere patet.

Aut ſi os in alterutram partem retractum fuerit; vitium eo ipſo in latere erit quærendum, ad quod os retrahitur; quoniam hæc retractio oris reſolutis oppoſiti lateris muſculis ſuam debet originem.

12. Quodſi ſermo fiat, non de ſectione venæ jugularis, de qua ſupra egi, ſed de ſectione in vena brachii inſtituenda; etiam hic præcepto Morgagni & Valſalvæ fiat ſatis, ut nempe ſanguis e latere ſano, non e paralytico educatur.

Neque hoc præceptum novis inventis adnumerandum, quod jam Aretæus dedit, qui de Apoplexia loquens ſic ait a): In hominibus apoplecticis ex ſanis partibus oportet ſanguinem haurire; hac enim ſanguis facile delabitur, hac etiam a læſis partibus facile derivatur.

13. Sequitur nunc alia gravis profecto practica quæſtio diſcutienda. An & qua copia ſanguis in Apoplexia ſeroſa detrahendus ſit? An in omni Apoplexia ſeroſa & in qua ſpecie mittendus non ſit? Medici veterani communi omnium ſenſu ſtatue-

a) Aretæus de Apoplexia.

atuere venæ ſectionem in apoplexia ſeroſa adeo tilem non eſſe, quin potius ſumme noxiam repeiri.

Verum ſi diligenter inſtitutas ſectiones anatonicas conſulere velimus; patebit apoplexias non multo admodum ſero produci, ſed a pauco & cri, quod irritatione ſua, vaſa ſanguinea vellicanlo, illa conſtringere efficit; qua ipſa vaſorum contrictione circulus ſanguinis per encephalon intercipitur. Hinc etſi ſerum hoc acre cauſa fit conſtrictorum vaſorum & aboliti per cerebrum ſanguinis circuli: tamen ipſa hæc apoplexia a ſanguine intra caput collecto orietur; hinc non erit frigida ſeu eroſa apoplexia, ſed potius ſeroſo-ſanguinea; atque in hoc caſu venæ ſectio non ſolum indicata, ſed etiam ſumme erit neceſſaria, ut ſic vaſis depletis preſſio ceſſet.

Confirmant hoc etiam cadaverum ſectiones ab adcuratis ſolertibusque obſervatoribus inſtitutæ; ubi ſeri quædam copia in encephalo effuſa, reliqua autem hæmatophora vaſa plurimo ſanguine infarcta turgebant; quod & Cel. Profeſſor Stoll ſæpius in noſocomio practico oſtendebat.

14. Examinanda adhuc eſt alia nota diagnoſtica quibusdam auctoribus ſolemnis, & præcipue ab Hippocrate adnotata, qua apoplexiam calidam a frigida diſtinguere volunt adſerentes, apoplexiam, ſi lente oriatur, ſemper eſſe ab infarctu frigido, pituitoſo; hinc eſſe frigidam ſeu ſeroſam; ſi vero repente oriatur, eſſe calidam ſeu ſanguineam.

Verum neque hoc ſignum ſufficit, & diagnoſticum dici meretur. Conſtat enim ex apoplecticorum hiſtoriis, quem admodum a lenta ſanguinis effuſione ortæ apoplexiæ tarde increſcunt; ita etiam haud paucas factas ab aqua & pituita frigidiſſima hominem cito ſine omnium opinione corripuiſſe.

Ex quibus ſat evincitur, poſſe quasdam apoplexias, licet tarde & lente adveniant, calidas ſeu ſanguineas; alias contra cito & inopinanter accedentes frigidas eſſe & ſeroſas.

Ad minutias forſan cuncta hæc pertinere quibusdam videri poſſet; verum cum de diagnoſi & medendi ratione agatur, quam ſcilicet diverſam longe atque aliam in ſeroſa, aliam in calida adhibere eſt neceſſe; patet has res non minutias, ſed ſummi momenti conſiderandas eſſe.

15. Ad faciendam facilius diagnoſim multum perſæpe confert noſſe, quæ cauſæ morbi frequentiores, quæ raræ, quæ ſint frequentiſſimæ, ut adeo facilius formare diagnoſim poſſit, ſi mens circa potiora verſetur. Sic e. g. Apoplexia ſeroſo-ſanguinea multo eſt frequentior, quam pituitoſa. Conſtat id ex ſectionibus cadaverum Apoplexia defunctorum inſtitutis. Hinc ſi talis apoplecticus curandus occurrat; mens potius circa Apoplexiam ſeroſo-ſanguineam, quam pituitoſam verſetur; & ſic porro.

Hic loci non poſſum non cautelam quamdam commemorare, cujus in cadaverum ſectione magnopere meminiſſe oportet.

Con-

Contingit enim ſæpe; ut detracto cranio, illa deſumta, meningibusque denudatis, ſpecies quædam gelatinæ ſeſe offerat, aut quædam quaſi pituitæ collectio. Inde cum caſus non ſit infrequens, factum eſt, ut apoplexia frigida ſeu vere pituitoſa adfuiſſe crederetur.

Verum tamen diſciſſa dura meninge & arachnoidea, non gelatinam, ſed ſerum quam maxime fluidum inter cellulas collectum erat, ita quidem, ut illa apoplexia, quæ primo intuitu pituitoſa comparuit; potius ſit ſeroſo-ſanguineæ adnumeranda.

Levioris quoque momenti hæc obſervatio poſſet videri; qui tamen hoc ſerum pro vera pituita haberet, erraret peſſime ex male inſtituta aut plane non intellecta cadaverum ſectione.

Nihil igitur noſtra attentione indignum cenſeatur, utut id ſubinde perleve videatur; cum etiam a leviſſimis ſymptomatibus cauſa derivari poſſit, ut ægris vel lethalem, vel ſalutarem faciamus medicinam.

Itaque quæcumque a medico colligi poſſunt, colligi debent, ut ægro prodeſſe poſſit.

16. Non pauci quoque ſunt apoplexia defuncti, ubi in cadavere ſecto ingens in veſica urinæ collectio, ingensque veſicæ ipſius diſtenſio reperitur.

Hoc jam a pluribus & præcipue a Morgagnio ipſo fuit obſervatum.

Ex qua nimia repletione veſicæ & lotii retentione nova denuo malorum acceſſio fieri poteſt præcipue iis, qui apoplectici diutius adhuc vitam trahunt.

Minus hæc ſymptomata obſervantur, quum ob infirmas ſphincteris vires ægri continuo pauxillum urinæ guttatim dimittant; unde fit, ut ægro adſtantes lectumque madidum invenientes minus de retenta urina cogitent.

Hinc id quoque ad cautelas practicas pertinebit, ut medicus regionem hypogaſtricam frequenter exploret, & huic ſtillicidio non fidat, ſed ope catheteris collectam lotii copiam frequentius curet educi.

VIII.

THEODOR. SZKROCHOWSKI

POLONI LEOPOLIENSIS

DISSERTATIO

DE

HÆMORRHAGIIS.

De Hæmorrhagiis in genere.

§. I.

Vocis etymologiam ſpectare ſi velis, ſanguinis profluvium copioſum cum impetu, quacunque ex parte id contigerit, *Hæmorrhagia* notat, mos quamvis obtigerit pro quocunque ſanguinis effluvio ut ſumeretur; ſiquidem Ἁιμοῤῥαγία optime derivari videtur ἀπὸ τȣ̃ ἅιματοσ δέ ῥαγήναι, quod vocabulum ex Galeni ſententia apud Hippocratem idem ſignificat, quod ἀθροῶς ὁρμᾶν: cum impetu & confertim prodire; quoniam dum ſanguis modicus & ſenſim effluit ἐῤῥήσίν vocavit Hippocrates, aut lene ſtillicidium dixit ϛαλαγμὸν a).

a) Gorræ. defin. medic. p. 16.

Quare & recentiores ſanguinis paulo copioſiorem fluxum, ſive is præternaturalis aut etiam naturalis fuerit, modum tamen excedens, *Hæmorrhagiam* appellare conſueverunt.

§. II.

Varia authoribus Hæmorrhagiæ ſtatuitur diviſio, petita vel a vaſis, unde *arterioſam* aliam, dum ex arteria, calidus, rubens, ſubtilis cum ſpuma, & impetu exilit, aliam *venoſam* dicunt, ubi craſſior, nigrior, neque cum impetu ſe manifeſtat ſanguis a); atque hanc partiuntur utramque in *ſpotaneam*, vel *artificialem*, *criticam* vel *ſymptomaticam*, *internam*, vel *externam*; vel a vario modo, quo ſolet fieri; ſiquidem quando ſanguis per ultimos arteriarum fines quacunque accedente vi dilatatos exprimitur, ac veluti exſudat, per *αναστομοσὶν* fieri affirmant Pathologi; Aretæus *αραιωσιος* nomine ad hoc idem ſignificandum eſt uſus, quod & rarefactionem & relaxationem ſignificat b); aut, ſi magis reſiſtunt fines ultimorum vaſculorum, ſanguis, per minima fibrarum interſtitia, ſoluto illarum longitudinali nexu, ita ut rima fiat, elabitur, quod per *διαπήδησιν* fieri vocant; aut, ſi motus a tergo violentior vaſcula alioquin imbecillia urget, ruptis plane fibris non longitudinalibus ſolummodo, ſed & circularibus, impetuoſior effugit, *διηεσιν* dicunt; vel, ſi præter naturam acer humor vaſa obſideat &

a) Joh. inſtitut. de Hæmorrh. nar. p. 420.

b) Aræt. de cauſ. & ſign. morb. acut. lib. 2: c. 2. p. 451.

& illorum eroſis membranis prorumpit, διαβρωσιν nominant; aut demum ſi ex ſoluto per extremum vulnus vaſculo ſanguis effugit, ρηξιν dixere a); Celſus autem monuit b) ρηγμολασμὸν appellari, ſive hiatum rupti vaſis.

Verum quonam, ex mox recenſitis, modo hæmorrhagia ſit orta, cognitu haud adeo eſt facile, niſi ſimul omnia, quæ eandem prægreſſa fuerint, quæve hanc concomitantur ſymptomata, ægri præterea temperies, victus regimen, ac vitæ norma, vires vitales ſuperſtites, ſanguinisque ejecti non minus qualitas, ac quantitas ipſa ad amuſſim ſcrutentur.

Sed præter mox ſpectatas diviſiones, a parte quoque, a qua ſanguis profluit, hæmorrhagiam partiuntur in eam, quæ *narium* eſt, *oris*, *pulmonum*, *ventriculi*, *inteſtinorum*, *ani*, *viarum urinariarum*, *uteri*, quas etiam ſingillatim poſtmodum percurram.

§. III.

Rationalem Stahliani animam hæmorrhagiarum pro cauſa aſſignant; quæ dum nimiam ſanguinis copiam, aut corpori noxiam pravam qualitatem noſceret, prudenti conſilio, deliberatione, atque inſtituto ſupervacaneam, aut noxiam ſanguinis partem dilatato vel rupto ſanguifero quodam vaſe, aut pluribus ſimul, ex corpore expelleret, illudque a nimia copia, vel vitioſo etiam ſanguine, noxisque inde metuendis ſic liberaret. Verum præterquam, quod conſilii hujus, hujus cognitionis anima ægri ſit prorſus ignara, ſi a pru-

den-

dentia illius hoc dependeret negotium, evacuationes hujusmodi ſemper per tuta loca, per loca ſecuriora, qualia nares, hæmorrhoidalia, aut uterina vaſa, contingerent; at cum ſæpe in pulmonibus, ventriculo, renibus, veſica fiant, atque inde ægri haud raro brevi tempore, imo paucis quandoque horis pereant, aut in vitæ periculum, ut pulmonum ulcera, ulcera renum, ſaltem inde conjiciantur; potius crederem, copia, motu, aut acrimonia peccantem ſanguinem, atque cordis vi preſſum, vaſa plurimum diſtendere, expandere, tum ob rationes mechanicas, perrumpere, aut erodere, ubi in hoc illove corpore forte debiliora, reſiſtentia deprehenduntur, atque adeo in his per pulmones, nares, ventriculum, renes, per veſicam &c. in aliis ſanguinem effundi lugemus. Stultiſſima profecto anima foret, quæ dum poſſet per tuta loca, minime expelleret ſanguinem, & conſulto periculoſa, ne periculoſiſſima dicam; eligeret: equidem ſi ab illius arbitrio, atque directione dependeret, ſapientes per ſecura loca, & ubi ſanguinis fluxus minimum, aut etiam nullum incommodum produceret, ſanguinem abundantem vel noxium juberent effluere; ubi tamen vel in ſapientiſſimis, imo in ipſis medicis, qui ſatis noxium didicerunt, atque intelligunt, hæmorrhagiam in locis periculoſiſſimis invitis iisdem videmus contingere; quamvis anima illorum vellet, ac optaret, ut per nares, vel per inteſtinum rectum ſanguis excerneretur, qui tamen per pulmones, ventriculum, renes, aut veſicam ſæpius expellitur; verum quantopere omnibus etiam ſuis viribus anima velit hæmorrhagias periculoſas, in loca minus periculoſa dirigere, aut relegare, præſtare id nequit,

quit,

quit, quod non autochyros lugeremus, ſi tale imperium in humores haberet anima? Quare veroſimilius videtur, eas in machina noſtra corporea ex cauſis mere phyſicis contingere, vimque cordis fortuito perrumpere vaſa, torrentis more, oras, aut aggeres ſuos debiliores evagantis, quæ in hoc illove homine debiliora forte habentur, Celſus ſiquidem jam dudum monuerat; experientia idem quotidie confirmante, nullum hominem haberi, cui præ cæteris debilior pars quædam non foret.

§. IV.

Melius recentiores hæmorrhagiarum omnem cauſam in eam, quam *proximam*, atque illam, quam *remotam* dicunt, partiuntur; quarum ultimam in eam, quæ corpori inhærens προηγουμένη ſive *prædiſponens* ad ſuſcipiendum morbum dicitur, & προκαταρκτικὴν *excitantem*, ſeu *occaſionalem* nuncupatam, ſegregant.

Proxima hæmorrhagiæ cauſa in vaſorum quacunque ratione facta dilatatione, ruptura, aut eroſione, atque majori ad partem quandam affluxu ſanguinis ponitur.

Prædiſponens vaſorum affecti loci, ſeu illa nativa, ſeu adventitia fuerit, ob malam diætam, prægreſſos morbos, aut ob aliam quamcunque rationem, laxitatem agnoſcit.

Præſuppoſita jam hac vaſorum certæ alicujus partis laxitate, quæcunque vaſa hæc debilia erumpere, aut etiam nulla facta continui ſolu-

lutione, dilatare, aut erodere valuerit, *excitantis* cauſæ ſortitur nomen; quæ in ipſo ſanguine latere videtur; in ſanguine varia quantitate peccante, aut etiam qualitate varia; ſic ſanguine nimio, ſanguine orgaſtico, diſſoluto, tenui, acri vel vero nec quantitate, aut qualitate culpando, attamen determinato in hanc partem potius quam aliam quamcunque, quod autem varia fieri ratione conſuevit; fit enim vel a ſtimulo heterogeneo quovis reſidente in ipſa affecta parte & alliciente affluxum, vel vero ab impetu humorum majore ad datam partem ruente, qui peragitur per motum humorum univerſalem, vel per imminutum aliorſum e. g. ob ſpaſmum, aut obſtructionem ibidem commorantem; ſiquidem ſpaſmus partis coarctans vaſa, ſanguinis mole non imminuta, imminuto vero illius ſpatio, copioſius in partem debiliorem minusque reſiſtentem ruit, urgeturque, & ejus vaſa, ſi impetui reſiſtere minus valeant, vi ſua dilatat, aut disrumpit; pari ratione obſtructio alterius partis, manente nihilominus eadem humorum quantitate, efficit, ut major humorum copia majori cum impetu partem debiliorem petat, ibidemque utpote in loco reſiſtente minus, per vaſa eroſa, rupta, aut dilatata ſibi quærat exitum.

Atque huc redit omnis omnino hæmorrhagia, ex quacunque demum cauſa naſcatur, ſeu id fiat a plethora, ſeu a diæta calefaciente ſpirituoſa, acri, motu corporis, aut animi affectu nimio, ſeu febre ſanguinem orgaſticum reddente ſeu ex acrimonia varia, ſcorbutica puta, varioloſa, petechiali, peſtilentiali, atrabilaria, eryſipelatoſa, ſcabioſa, venerea, epidemica, quacunque

que demum ſpecifica in hominibus ad fluxum ſanguinis prædiſpoſitis, debilioribus, ſenſibilioribus, ad motus ſpaſmodicos pronioribus, viſcera obſtructa habentibus, evacuationibus ſive naturalibus, ſive per conſuetudinem inductis, a quacunque cauſa ſuppreſſis, fluxus menſtrui puta, lochiorum, hæmorrhoidum, tum & intermiſſæ, ſed familiaris quibusdam hominibus ſeu venæ ſectionis, ſeu ſcarificationis, hirudinum, aliarumve plurium.

§. V.

Effectus jam varios ſpectare convenit, ut quid boni, malive inde expectes, innoteſcat; horum autem *ſalutares* noſco alios, *morboſos* alios; pone enim in homine plethorico hæmorrhagiam moderate contingere, nullam noxam, ſed egregrium ut plurimum corpori adferet emolumentum, multos ſiquidem a plethora alias oriundos morbos omnimode præcavet, alios jam factos minuit, aut etiam tollit; quare ſub quiete & moderato victus regimine ſibi relinquenda, & non, niſi inſignis debilitas id exigat, remediis cohibenda; quid? quod & per hæmorrhagias ſubinde criſes fiant? equidem haud raro accidit, ut dum præmature ſiſtitur hæmorrhagia, graviſſima ſæpe mala, cumprimis vero loci alterius hæmorrhagiæ inducantur, aut alii enormes dolores. Verumtamen immoderata ſi fuerit, corpus non modo vitali ſanguine defraudabitur, indeque jactura virium una & circulationis, unde pallor, frigus, omnium actionum languor, imminutio omnium ſe- & excretionum, atque inde læſa digeſtio, chylificatio, ſanguificatio, nutritio læſa, collectio

ſa-

ſaburræ, ſolidorum debilitas, aquoſi humoris accumulatio, accumulatio humoris pituitoſi unde leucophlegmatia, cachexia, chloroſis, hydrops, hectica, liquidi nervei defectus, atque adeo ſenſuum omnium habetudo & muſculorum languor, & his pejora mala procreabuntur, quæ ſi nulla arte ſiſtenda foret, mortem inducet inevitabilem, ob humorum penuriam.

§. VI.

Quænam prognoſis ſit facienda, quinam obtineant canones in quavis ferme hæmorrhagiæ ſpecie, ſpectare juvat, ne forte intempeſtive ſeduli hæmorrhagiam utilem, criticam & ſalutarem cohibeamus; aliam forte cito ſupprimendam ſibimetipſi & naturæ male committamus. Quare prognoſim facturus Medicus ad copiam præprimis, & qualitatem rejecti ſanguinis, cauſam hæmorrhagiæ, temperiem, viresque ægri, atque ſymptomata attendat oportet, etenim pro varia horum conditione, varium itidem eſt judicium ferendum.

Certum eſt equidem, hæmorrhagiam, quæ in homine plethorico moderate contingit, nil mali prædicere. Hæmorrhagia puerorum minus, quam juvenum, horum minus, quam ſenum nocet, diu ſibi permitti poteſt, & ſæpiſſime eſt ſalutaris priorum, ubi poſteriorum, periculoſior utpote, celeriorem opem requirit. Quæ aliarum ſanguinearum evacuationum vices gerit, etſi non tamen pertimeſcenda adeo; hinc quæ ſuppreſſis catameniis, vel hæmorrhoidibus ſupervenit cum augmento virium, & fuga aliorum ſymptomatum prius præſentium, ſalutarem præſagit eventum.

Ma-

Magis timenda, quæ a ſanguine diſſoluto originem
:ahit, quam illa, quæ bono præſente ſanguine o-
:tur; atque adeo peſſimi ominis hydropicorum,
ıalignis variolis & petechiis ægrotantium, quo-
ıam a putrida ſanguinis diſſolutione utplurimum
riginem ducit; pejor igitur in cachectico, ſcorbu-
:o, venereo, cancroſo, quam aliis cæterum bo-
æ temperiei hominibus. Male ſi illis ſuccedat ani-
ii deliquium, convulſio, ſingultus, delirium, pal-
ɔr faciei, & labiorum, extremitatum corporis par-
um refrigeratio, pulſus tremulus: copioſiores,
:d diu durantes, hydrops excipere haud boni mo-
; conſuevit.

§. VII.

Proximum eſt ut & generalia quædam om-
ıus hæmorrhagiis curandis conducentia in me-
um proferam, ad ſpeciales dein hæmorrhagias
:eſſus facturus. Omnis autem in hæmorrhagiis
dicatio ad ſequentia capita reduci poteſt; primo
ɔortet plenitudinem minuere, impetum mode-
re, & nervare; quod præſtat venæ ſectio in
:de, aut brachio pro re nata inſtituta, niſi jam
ntum ſanguinis abierit, aut abiturum videatur,
hac celebrata nimia fieret humorum jactura;
ıc rariores paulo videntur hæmorrhagiæ, quæ
næ ſectiones revulſorias expetant, cum potiſſi-
ım tales pleræque ſint, ut nimiam eæ ſolæ hu-
ɔrum penuriam inducant: pediluvia, verum
tantum tepida ſint, ſiquidem calida rarefaciunt,
ıque incitant humores, & ſolo ſuo calore for-
ſe jam imminutam, conſopitam fortaſſe, & jam
mpreſſam denuo reſuſcitarent: clyſmata emol-
ntia, dein leviter irritantia, niſi ibidem fuerit

ſanguinis fluxus, ut ſic partes inferiores enema irritet; ideoque majorem ad has alliciat humorum copiam: potus acidiuſculi, nitroſi, oxycratum interne, & externe forma epithematis loco ipſi, aut illius viciniæ applicatum; quies corporis, animique, isque ſitus corporis, qui hæmorrhagiæ ſiſtendæ conducit; extremorum artuum ligaturæ, ita tamen, ut liber maneat ſanguinis per arterias fluxus, is vero qui fit per venas impediatur, minuaturque: indicatur ſecundo, acrimoniam, ſi quæ adſit in ſanguine, convenienti methodo corrigere; tertio irritamentum in affecta parte hærens, alliciens ſanguinem, hæmorrhagiam ſuſtentans tollere, aut delinire: quarto ſpaſmos, ſi qui adſint, & ex tali parte excludant ſanguinem, atque in viſcus debilius aliorſum urgeant, conſopire: quinto obſtructiones, humorum liberiorem motum impedientes, & ad viſcus aliud determinantes reſerare.

Poſſem quædam etiam de humoribus incraſſandis, de vaſis per adſtringentia coarctandis commemorare, ne videlicet tam facile elabi humores patiantur; verumtamen utut hæc adſtringentia & coagulantia ſummos habeant in chirurgicis uſus, dum loco vulnerato poſſunt immediate applicari; inutilia tamen, immo & noxia ſunt, ſi interne propinentur, niſi locum affectum immediate attingant; pulchre equidem in rem meam Swietenius, dum aſſerit: ſi remedia adſtringentia dum ſanguini immixta per vaſa fluunt, has vires haberent adſtringentes, vaſa coarctarentur, an non prius conſtringendo vaſa pulmonum minima, mortem inducerent, impedito ſanguinis per

pul-

pulmones tranſitu, antequam ad affectum locum pervenire poſſent, ibique vim ſuam exerere?

Quamquam methodus in uſum recepta, & medicorum omnium communiſſima praxis reclamet, certum eſt nihilominus, adſtringentia reſorbentibus lacteis prohiberi, atque ab humorum circulantium maſſa excludi penitus: quod ſi vero vehiculo multum diluente nihilominus furtim ſubintrent, metus certe erit, ne proximioribus contractis vaſis, ſanguinem majori cum impetu repellant, inque partem vulneratam, eroſam, dilatatam qua minus reſiſtentem urgeant magis, hinc univerſim metus eſt, ne ipſa roborantia, adſtringentia, hæmorrhagiam faciant profuſiorem; neque enim video, cur potius in affectam, quam aliam quamcunque partem hæc agere deberent.

De opiatis hic pariter quædam, eaque non levioris momenti adnotabo: novi enim in omnibus, vel plerisque ſaltem hæmorrhagiis ab antiquiſſimis jam temporibus celebratum opium; frigidum dicebatur, idque non ſimpliciter, ſed in quarto uſque gradu, credebatur circulum ſanguinis minuere, reddere tardiorem, verumtamen illius vis incitans & calefaciens, vis aphrodiſiaca, apoplectifera, vis potenter ſudorifera abunde eſt nota, quare indiſcriminatim in omni hæmorrhagia non convenire quisque videt; verum eo ſolummodo in caſu, ubi hæmorrhagia ſpaſmum alicubi exiſtentem pro cauſa agnoſcit, aut ubi irritamentum quoddam alicubi hæret, quod ſtimulando affluxum maiorem ad eam partem procurat, atque ſic vel hæmorrhagiam producit, vel ulteriori anſam præbet; in priori caſu fert opem, dum,

ſpaſmos ſolvendo hæmorrhagiæ tollit cauſam; in poſteriori vero tanquam remedium pallians, tanquam remedium fibras irritans aliquantum conſopiens, usque dum ſtimulus radicali cura auferri poſſit, quod ſuo loco innuam.

His præmiſſis, utpote cuique hæmorrhagiæ convenientibus, ad ſpecialem earundem pertractationem progrediar, initium a narium hæmorrhagia ſumens, ad alias aliarum partium poſtmodum deventurus.

Hœmorrhagia narium.

§. VIII.

Ubi hæmorrhagiæ ſimpliciter occurrit nomen apud Hippocratem, nulla partis, ex qua erumpit, facta mentione, illam omnino intelligit, quæ per nares fit, ſanguinis eruptionem, monet Galenus a).

Cæterum copioſum, & celerem ſanguinis e naribus effluxum *hæmorrhagiam*, at lentum & guttatim factum, *ſtillicidium narium* vocant Medici b).

§. IX.

a) Galen. Com. I. in l. 1. Epid. T. IX. p. 18.

b) Oſterdyk Schacht. p. 124. Gorræ, def. med. p. 16.

§. IX.

Præſentem narium hæmorrhagiam facile cognoſcimus, eamque a ſtillicidio diſtinguimus; verum & ſpecies noſcendæ, neque minus ſollicite indaganda cauſa, a qua producitur, in quibus attentus etiam medicus inſignem difficultatem deprehendet.

Quamvis ſtillicidium narium ad hæmorrhagias, ut §. I. dicebam, non pertineat; illas tamen dividere ſolemus in *hæmorrhagiam* ſtricte ſic dictam, ſeu fluxum ſanguinis paulo copioſiorem, & in *ſtillicidium*: 2do, in *internam* & *externam*; hæc dum anterius profluit, illa dum per poſteriora narium foramina depluit ſanguis; atque id non raro in ſomno etiam nobis non advertentibus contingit, unde deglutitus ſanguis, delatus in ventriculum, grumoſus altera die cum nauſea ſæpe rejicitur, & ſub ſpecie hæmorrhagiæ ventriculi imponit. 3tio. In *ſpontaneam*, & *artificialem*, ubi videlicet calamo ſcriptorio, vel alio inſtrumento internæ nares vulnerantur eo ſtudio, ut ſanguinis fluxus concitetur, prouti fit, ubi hæmorrhagia narium antea critica, & ſalutaris, modo vero intempeſtive ſuppreſſa fuerat, aut vero ſponte emanſerat; huic *traumatica* conſors eſt, quæ & *vulneraria* & *violenta* dicitur; quæ a lapſu, ab ictu ad nares accepto, accepto ad maxillas, ad ſinus frontales, frontem, totumque caput, a vulnere, a vapore acri attracto, a prægreſſa validiore ſternutatione: hæmorrhagiæ hujus ſpecies ſanguinem dimittit ex ipſis narium vaſis, vel vero vaſis ſinuum in nares apertorum, aut ex ipſo encephalo in caſu graviori, ubi ſanguis hanc ſibi parat viam: 4to. In *criticam*, quæ cum

morbi decremento, & *ſymptomaticam*, quæ ejusdem exaſperationi aſſociatur. 5to in eam, quæ a *vitio* quodam *topico* narium, ulcere puta, ozœna, cancro & narium, originem ducit: 6to in *plethoricam*, ortam ab humorum nimia quantitate in toto corpore, aut ſuperiorum tantum partium, præprimis capitis, in infantibus, in juvenibus, in laute paſtis, ortam ob caput propendens, & collum arctius adſtrictum, ob veſtes paulo arctiores, ob ſtudium nocturnum nimium; novimus ſiquidem nimium ſtudium ſanguinem ad caput allicere, atque adeo narium hæmorrhagiæ dare anſam; huc etiam illa pertinet, quæ in laborioſo partu contingit, a nimio niſu, conatu nimio, quæ ſubinde in iis obſervatur, qui alvo duriore laborant, quæ a tuſſi violenta, a nimio conatu adhibito in elevando pondere oritur; dum enim abdominalia viſcera valde ita comprimuntur, fieri non poteſt, quin earum partium ſanguis in venas ſubterfugiat, indeque ad cor delatus pulmonem majori quantitate oneret; verum cum nunc pulmo obrutus ſanguinem difficulter, & minori copia transmittat, cor dextrum ſe perfecte evacuare recuſat, atque adeo intra datum tempus, neque tantam ſanguinis copiam, quantam antea, recipere poteſt, quare nec venæ ſanguinem a capite revehentes ſufficienter in venam cavam evacuare ſe valent, hinc majori quantitate accumulatus manet ſanguis in venis faciei, qui, ubi minorem invenit reſiſtentiam, ſe ſubducet; unde ſi hæc vaſa præ cæteris fuerint debiliora, vel novo ſanguine continuo accedente nimium dilatata, aut materia acri peccante eroſa, perſæpe per nares prorumpet ſanguis; ad phethoricam hanc hæmorrhagiam illa quoque reduci poteſt, quæ

quæ fit a ſpirituoſis, ſtimulantibus, aromaticis, humores orgaſticos reddentibus, a validiori quocunque corporis exercitio, labore nimio, ſaltu, curſu, equitatione, lucta, ab ira, aut alio validiore affectu animi: 7mo in *abdominalem*, quæ oritur a vitio ſolum exiſtente in abdomine, quæ & *gaſtrica*, aut etiam *viſceralis* compellari poteſt; hæmorrhagia puta narium ab inteſtinis convulſis, multa fæce turgentibus, a liene, hepateve obſtructo, aut prægrandi vicina viſcera comprimente, hæmorrhagia a menſtruis, hæmorrhoidibus, aliisve ſolemnibus evacuationibus ſuppreſſis, a tumoribus in abdomine natis, a tympanitide, hydrope, prægrandi ovario, bile abdomen obſidente; quamvis hæc ſpecies ad mox recenſitam accommode reduci poſſit; fiet quidem plethora non univerſalis corporis, at ſuperiorum ſaltem partium, capitis præprimis: 8vo in *febrilem*, qualis obverſari ſolet in febribus inflammatoriis univerſalibus, & cum topica viſceris cujusdam affectione, in febribus varioloſis, malignis, petechialibus, 9no in *periodicam*, ubi ſtatuto tempore per nares evacuari ſanguis conſuevit, & plerumque uterinæ fluxionis, aut fluxus hæmorrhoidalis, vel ſolemnis alicujus evacuationis vices agit.

§. X.

Cauſas hæmorrhagiæ narium abſolvunt ea, quæ de hæmorrhagiis in genere §. IV. adferebam, tum ea, quæ variam ejusdem ſpeciem conſtituunt, in quibus deſcribendis mox detinebar.

§. XI.

Non eundem ſemper habet eventum, ſalutarem ſæpe, ſubito etiam nonnunquam lethalem, quæ quidem diverſitas pendet, ut & §. VI. monebam, tum a copia, qua fluit, tum a cauſa a qua producitur, tum etiam a morbis, quibus ſupervenit, tum denique a tempore, quo ſuccedere nonnullis morbis obſervatur. Certum eſt perſæpe ægros a graviſſimis malis per narium hæmorrhagiam liberari, a cephalæa puta, vertigine, apoplexia, convulſione, tetano, viſcerum inflammationibus præſertim hepatis, & lienis, quin & ſæpe eosdem aliosve morbos præcavere deprehenditur, e contra præmature ſi ſiſtatur, graviſſima ſæpe mala, hæmorrhagias cumprimis in aliis locis inducit, vel & inde graviores capitis morbi ortum agnoſcunt; ſic apoplexia, phrenitis, morbi oculorum, aurium, dentium, faucium inflammationes, tonſillarum, uvulæ, eryſipelas faciei, cordis palpitatio, anxietates præcordiorum, reſpiratio difficilis, pleuritis, peripneumonia, phthiſis, febres acutæ variæ.

Multo periculoſior eſt hæmorrhagia narium ſenilis cæteris paribus; juvenibus hæmorrhagia narium ſæpe tabem prævertit, prævertit hæmoptoën iis præcipue, qui ad hanc diſpoſiti, anguſto thorace, alatis ſcapulis, collo longiori, fibra tenui, & delicata donantur. Mala eſt poſt lapſum ab alto, non ut cauſa; etenim ſic prodeſſe etiam poſſet, ſed mala eſt ut ſignum, vaſa enim alicubi intra encephalon forte læſa, & ſanguinem extravaſatum notat. In febre acuta vix non ſemper bona, propriumque dixit eſſe febribus ardentibus ex-

exquiſitis per narium hæmorrhagiam judicari Galenus a); ſed in febre putrida, maligna, hydrope vix non ſemper mala; vidi tale exemplum in Juvene Nro. 15. in Noſocomio SS. Trinitatis febre putrida detento, narium hæmorrhagiam lethalem, neque ulla ratione internis, & externis omnibus laudatis medicamentis a Cel. meo Praxeos Prof. Maximilian. Stoll in auxilium vocatis, ſiſtendam; quem ex Keneangea demortuum ſectio cadaveris docuit: tale quid ibidem vidi in hydropico Nro. 14. decumbente, qui etiam oborta narium hæmorrhagia occubuit. Ubi ex naribus effluit ſanguis, & totius corporis perfrictio cum tenuioribus ſudoribus ſubſequitur, morbi malignitatem denunciat. Mala, cui ſuccedit convulſio, ſingultus, delirium, frigus extremorum. Aretæus b) de pleuritide agens, poſtquam enumeravit illa, quæ contingunt morbo in perniciem tendente, ſubjungit: *at ſi in melius vergat, ſanguinis e naribus eruptio cum impetu, tumque repente morbus ſolvitur.*

§. XII.

In cura narium hæmorrhagiæ ſerio perpendendum, an illa vere ſit cohibenda, an minus, ne graviora mala, quæ ſuperius mox dicebam, hæmorrhagiam hanc, forte ſalutarem, & criticam, ſed intempeſtiva ſedulitate conſopitam, inſequantur: optimum erit igitur *criticam* a *ſymptomatica* bene diſtinguere; ſiquidem priorem relinques,

a) Comen. I. in Epid. II. T. 9. p. 18.

b) De cauſ. & ſig. morb. acut. l. I. c. 10. p. 10.

ques, moderaberis, aut juvabis; ubi vero ſemel conſtiterit criticam minime eſſe, non eſſe ſalutarem, ad arma recurres, eidem ut ponas obicem.

Fit autem critica prægreſſis ſignis coctionis, & criſeos, die judicatorio; cujus autem ſigna ita complexus eſt Hippocrates a). *In ardentibus cæterisque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii etiam contentio non cum dolore corripit, his e naribus ſanguis profluit;* item b) in alio loco: *quibus vero in ejusmodi febre (non lethali) caput dolentibus, pro tenebris ante oculos apparentibus viſus hebetudo contingit, vel ſplendores obſervantur, & pro oris ventriculi morſum hypochondrio ſive ad dextra, ſive ad ſiniſtra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, illis pro vomitu ſanguinem de naribus fluxurum expectandum eſt; magis autem juvenibus: trigeſimum vero annum agentibus, minus: ſed his vomitiones expectandæ.*

Rubores faciei pariter inter hæc ſigna numeravit, dicens: *febricitantibus, quibus quidem rubores in facie, & capitis dolor fortis, & venarum pulſus, his ſanguis fluxio plerumque contingit* c): huc quoque refert, *ſubitam anxietatem cum vigiliis* d), Item *oculorum rubedinem* e), præterea

ca-

a) Epid. comm. 2. text. 55.

b) Idem in progn. l. 8. p. 682.

c) Idem coac. præn. p. 143. T. 8. p. 859.

d) Idem n. 13. t. 8. p. 858.

e) ibid. n. 167. p. 861.

capitis concuſſiones, & aurium bombos a), *ſubitam mentis percuſſionem cum anxietate* b), *ſurditatem* c): complexus eſt quoque immortalis Boerhaavius hæc ſigna ſequentibus: *hæc prænuntiatur*: (agens de hæmorrhagia narium) *cervicis dolore, temporum gravitate, tenebricoſa caligine, præcordiorum contentione ſine doloris ſenſu, invitis lacrymis ſine lethali ſigno alio, rubore faciei, pruritu narium* d). De quibus omnibus notandum tamen, ex his communia quædam eſſe, vigilias, ſurditates, tinnitus aurium, quæ cum aliis quidem conjuncta ad præſagiendam hæmorrhagiam conducunt quidem, ſed per ſe propria ſigna non ſunt; notes quoque, ſigna hæc non ſemper omnia apparere, ſed ſufficere, ſi quædam ex his conſpiciantur; quo tamen plura adfuerint, eo certius hæmorrhagiam futuram annunciant; ſunt autem præcipua, prægreſſa coctio, dies criticus, morbus hac criſi ſolvi ſolitus; quales ſunt inflammationes capitis, hypochondriorum, thoracis, raptus humorum ad caput, unde capitis, cervicis, temporum, & colli gravitas, tenſio nuchæ, viſus hebetudo, & caligo, aut ſplendor oculorum, tenſio hypochondrii, difficilis reſpiratio, narium pruritus, ex quo ſigno non futuram tantum, ſed jamjam præſentem hæmorrhagiam ſignificari monuit Galenus: juvenis enim æger decumbens quinto morbi die de lecto exſilire tentabat, ut vitaret rubrum ſerpentem,

a) Ibid. n. 168.

b) Ibid. n. 185. p. 862.

c) Ibid. n. 196. p. 863.

d) Boerh. de cogn. & curand. morb. §. 741.

tem, quem adrepentem ſe videre credebat: obſcura quædam rubedo, quæ in dextra naſi parte ad genam usque extendebatur, multo magis conſpicua apparebat, unde ex dextro nare ſanguinem erupturum concludebat Galenus; juſſit autem famulo, ut clanculum vas adferret excipiendo ſanguini idoneum, atque ſub veſte occultaret; paulo poſt æger indicem digitum prurienti naſo immittebat, moxque cruentum eduxit, ſequente ſanguinis rivo, quem adſtans famulus, ſuppoſito vaſe, quod occultarat, excipiebat: præſentes Medici qui audacem hanc Galeni prognoſim riſerant, hoc viſo pudibundi aufugerunt omnes a). Hæc autem, quæ hucusque commemorabam ſigna, certiora adhuc erunt, ſi ætas ægroti, & natura, anni tempeſtas, anni conſtitutio eodem colliment; etenim ſi æger ſit adoleſcens, aut juvenis, natura calidus, & ſanguine repletus, atque ipſi alias ſeu ſano, ſeu ægro hæmorrhagia narium familiaris fuerit, æſtasque, & conſtitutio anni calida acceſſerit, omnia hæc certiora erunt utique, imprimis ſi & conſueta aliqua ſanguinis evacuatio ſit retenta, & plures tunc ægrotantes hoc modo judicentur.

Verum in acutis morbis larga hæmorrhagia requiritur, ut levetur malum; hinc parcam evacuationem, & proinde ſtillicidium ſanguinis malum, periculoſum, & lethale ſignum eſſe exiſtimant Medici, idque authoritate Galeni & Hippocratis, rationibusque, quibus illi utuntur, perſuaſi; ita enim Galenus b) ad verba Hippocratis: *na-*

a) Galen. de Prænot. ad Poſthum. C. 13. t. 8. p. 387.
b) 1. Prorrh. comm. 2. t. 47.

naresque in his ſtillantes malum eſt: hæc addit. *Excerni pauca in ægris unum quoddam ex ſignis eſt, quæ ex toto pravitatem habent; nihil enim eorum, quæ decretoria exiſtunt, exiguum ſecerni convenit, ſed quæ ita evacuantur, omnia duorum alterum ſubeunt; nam vel quæ non queunt tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus: vel imbecillitatem oſtendunt naturæ, quæ proponit quidem ſuperflua excernere, ſed nequit;* tum etiam alio in loco a) ſuper verba Hippocratis: *nares pauca ſtillantes,* hæc habet: *hoc in comitibus eſt malignarum ardentium febrium, ut ſanguinis profluvium leve. Et ut breviter dicatur: omnis de naribus ſtilla pravum eſt ſignum;* item alio in loco b) *ſtillaſſe nares pernicioſum eſt ſignum, cum in aliis, tum maxime in febribus ardentibus;* verum contrarium etiam docuiſſe videtur Hippocrates in *Coac. prænot. t.* 87. *in codic. Foeſii*, quæ ſententia habetur itidem 1. *Prorrh. com.* 3. *text.* 40. Equidem licet parca illa ſtillicidia ſemper ſuſpecta ſint, tamen non ita abſolute, & ſimpliciter ſtillicidium ſanguinis e naribus pro lethali & malo ſigno habendum credo; ſed cautione, & diſtinctione opus; ſiquidem ex materiæ pravitate, multitudine, virium imbecillitate, aut his omnibus id accidat, cauſiſque ſupra ex Galeno allegatis, omnino malum ſignum erit; & præcipue ſi in initio aut quarto die id accidat, ut eſt in *Coac. præn. t.* 179. & initio *Prorrh.* aut undecimo ut eſt in *Coac. prænot. t.* 337. & 1. *Prorrh. comm.* 3. *t.* 54. ſigna enim, quæ criticis diebus, aut prænunciis ap-

a) 3. Epid. comm. 3. t. 35.

b) 1. Epid. comm. 2. t. 75.

apparent, firmiora ſunt, quam aliis, & proinde ſi ea mala ſunt, talibus diebus ſunt deteriora; ſi itidem ſanguis, quo nares ſtillant, niger ſit, merus, ac ſincerus, ut *Epid.* 1. *comm.* 3. *t.* 18. At ſi futuræ criſis indicium fuerit, malum ſignum utique non erit; nam cum morbi acuti judicentur ſanguine ex naribus fluente, vel ſudore copioſo, die judicatorio, ut eſt in *Coac. t.* 150. *Epid. comm.* 2. *t.* 63, *&* 66. Galen. *in comm.* & 3. *de cris:* c. 2.; accidit interdum, ut ſalutarem hæmorrhagiam præcedat, & ſignificet ſtillicidium ſanguinis, uti factum fuit in *Meteone Epid. l.* 1. *ægrot.* 7. *ibid.* p. 109.; cui quarta die bis pauculum ſanguinis ex nare dextra ſtillabat; verum quinta die ex nare ſiniſtra ſanguis copioſus effluxit, ſudavit, & judicatus eſt; ſed & poſt judicium crebro adhuc ſanguinem erupiſſe, monetur in ægri ejusdem hiſtoria. Ut enim die judicatorio interdum natura quaſi ſe accingit ad ſudorem, levemque aliquem ſudorem provocat, poſtea vero die critico copioſius eum propellit; ita etiam hæmorrhagiæ narium quaſi prænuncium præmittere poſſunt narium ſtillicidium; accidere tamen poteſt, ut vel ob loci naturam, unde effluit, vel ob partium denſitatem, aut aliquam ſanguinis craſſitiem, ſanguis mox copioſius profluere non poſſit. Requirunt præterea, ut coctione prægreſſa, & die critico fiant; verum enimvero, etſi optimæ ſint hæmorrhagiæ, quæ cum ſignis coctionis, atque in ſtatu ut loqui amant, accidunt; tamen & illæ, quæ in augmento, vel etiam principio apparent, non ſemper damnandæ ſunt, ut ex allata Meteonis hiſtoria patet; ſtillare utique interdum poſſunt nares ſanguinem, atque exhibere copioſioris hæmorrhagiæ etiam die non decretorio indicium,

ubi

ubi coactionis ſigna non præceſſerunt; nam cum a natura quædam excretiones etiam ſine coctionis ſignis non inutiliter inſtituantur, ſi talem excretionem præſagiat ſtillicidium e naribus, pro malo ſigno habendum haud erit. Quapropter morbi natura perpendenda, & videndum, an per ſanguinem judicari aptus ſit, conſiderandumque a qua caûſa ſtillicidium illud proveniat; & quæ alia ſigna concomitentur.

Cognito jam hæmorrhagiam criticam eſſe, videndum, an ea moderata ſit, quæ naturæ viribus eſt committenda: an ea nimis ſit parca, quæ promovenda per emollientia, lac tepidum, tepidos vapores ope ſpongiæ, & ſi per hæc non ſuccedit, irritantia, & ſternutarios pulveres periclitaberis: aut demum an ea ſit nimia, iis noſcenda ſignis, quæ ſuperius adnotabam, quæ ſiſti debet ſitu erecto, ut minus hac ratione deferatur ſanguis ad caput, quiete ſumma, ligatura artuum, pediluviis tepidis, fungo agarico naribus intruſo, attracto naribus vini ſpiritu, remediis demum adſtringentibus, turundis aqua frigida, aceto, ſolutione aluminis, vitrioli, albi præprimis, imbutis, naribusque appoſitis, aqua frigida ad nucham applicata, cucurbitulis ad hypochondria appoſitis more Galeni, a) qui profuſam hæmorrhagiam fruſtra tentata ligatura artuum, aliisque remediis illico compeſcuit, dum magnam cucurbitam dextro hypochondrio applicaret; ſanguis enim ex nare dextra fluebat; ubi vero ex nare ſiniſtra flueret, regioni lienis illam applicari juſſit, ſi ex utraque nare

a) De Prænot. ad Poſthum. cap. 13. ibid. p. 851.

nare prodiret, utrique hypochondrio ſimul affigendum cucurbitulum voluit a).

Quod ſi innotuerit ſymptomaticam eam eſſe, cauſam inquire, eamque ut apta medicina eradices, incumbe; ut enim ex arte curatio fiat, cauſam tollas oportet, tum vaſa aperta obſeres; ſed & obſervandum, dari caſus, in quibus poſteriori indicationi prius ſatisfacere oportet, neglecta tantiſper priore; alios vero exiſtere, in quibus ſi obturatione vaſorum curam inchoares, ægrum in præſentiſſimum diſcrimen conjiceres; etenim ſi ſanguis non abundet, ſi impetuoſiſſime ruat, ſi corpus fuerit ſenile, laxum, frigidum, cacochymicum, hydropicum, tunc retento quantum fieri poteſt, per injectiones, ligaturas, ſanguine reſiduo, vaſa continuo ſunt conſtringenda; at ſi hæmorrhagia profuſa non fuerit, ſi fiat in corpore plethorico, ſi cum euphoria, ſive ſuppreſſa aliqua evacuatione ſanguinea, ſeu in morbis inflammatoriis, tunc ſubita illa vaſorum obturatione nihil periculoſius; lethalia ſiquidem hinc mala, quin & repentina mors forte eſſet expectanda: quare ſi plethora hæmorrhagiam excitaverit, primæ indicationi ipſa ſatisfacit natura, minuendo hoc fluxu plethoram, juvat eandem venæ ſectio quocunque loco inſtituta, tum & alia remedia venæ ſectionis vicaria; ſi nimius humorum ad caput impetus auxerit malum, tum motus nimius ſiſtendus, & præſertim revulſio a capite facienda venæ ſe-

a) Idem Method. Med. L. 5. c. 2. t. 10. p. 107. & lib. de curandi ratione per venæ ſection. cap. 11. ibid. pag. 440.

ectione in pede, venæ temporariæ pertuſione, nox aquoſis, frigidis, acidis, nitroſis epotis, eccoproticis, dein & externis frigidis capiti prulenter admotis, cucurbitis ad pedes, crura, applicatis. Si acrimonia, per ſua ſigna dignoſcenda, produxerit malum, partim involventibus, partim depurantibus, evacuantibus partim, pugnanum erit; quod ſi acrimonia ſingularis quædam uerit nota, ſcorbutica puta, venerea &c., tunc z ſpecifica contra hanc remedia probe ſeligaur. Evacuatio ſuppreſſa ſi anſam dederit morbo, prudenter revocanda, vaſorum apertorum obturaionem exigens. Neceſſitate urgente ultima ſaus ponitur in externis adſtringentibus, topicis, uorum alia ipſis naribus admoventur, alia viciis, remotioribusve partibus, inter quæ ſuperius am cucurbitas hypochondriis applicatas a Galeno ixeram; frigida vel ſola, vel aceto admixta, emporibus, nuchæ, quin & genitalibus admota; ungus angaricus tenuiſſime pulverſatus naribus inperſus; ſolutio aluminis, vitrioli, albi potiſſinum, turundæ ope applicata; glacies intruſa naibus, incuſſus terror, ſpiritus vini, & terebinhinæ, ipſa terebinthina cocta, maſtix, thus, coophonia, gypſum, ſanguis draconis, cortices ranatorum, gallæ, ſaturnina, & plura alia; id amen notes velim, melius hunc in ſcopum ſoluiones in uſum trahi, quam pulveres; novimus nim, pulveres ejusmodi ſtipticos facile ad fauces per interiora narium foramina delabi, ſcreaum, tuſſim, convulſiones, impetuoſas ſternutaiones adeo hic moleſtas concitare; verum ſi peiculum in mora ſit, præſtantiſſimum, & citiſſinum remedium ſæpe eſt turunda flexilis ex cereo parata, & debitæ longitudinis, ut ſic vaſa vel ero-

ſa, vel dilatata aut etiam rupta coarctentur, & comprimantur.

Hæmorrhagia oris.

§. XIII.

Sanguinis ſputum tanquam generali nomine dixit Celſus a) omnem, quæ per os fiebat ſanguinis excretionem, ſive a gingivis, faucibus, naribus &c. prodiret. Aretæus b) autem accuratius diſtinguere maluit; ubi enim ſanguis a capite, palato, faucibus &c. veniens exſpuebatur, ſimpliciter vocabat πτύσιν, vel αἱμοῤῥαγίαν; ſi vero a pectore, & viſceribus ibi locatis, imprimis pulmone, & aſpera arteria prodiret, ἀναγωγὴν vocavit, quia ſurſum aſcendit ſanguis; hoc vocabulo ad eundem affectum deſignandum etiam Trallianus c) eſt uſus.

Quam hic hæmorrhagiam oris, ſputum ſanguinis adnoto, ſanguinis quidem per os ejectionem, ſed neque ex pulmonibus, neque ex ventriculo velim intelligas, verum ex diverſis oris partibus.

Hic

a) Lib. 4. c. 4. n. 5. p. 202.

b) De cauſ. & ſign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 12.

c) Lib. 7. C. 1. p. 285.

Hic autem ſanguis ore rejectus vel ex gingivis, lingua, faucibus, vel ex naribus internis, aut ex capite ipſo, vel ex œſophago, aut demum ex aſpera arteria prodire conſuevit.

§. XIV.

Fit ſanguinis ex ipſis internis oris partibus rejectio in plethoricis, ſi quædam forte oris interni vaſcula habeant debiliora, ut ſit in hæmorrhoidibus ſuppreſſis, ſi forte fluxus ſanguinis aliorſum determinetur, ubi tunc aliæ oriuntur hæmorrhoides ſuccedaneæ, aut varices oris; hinc complures proſtant diſſertationes de hæmorrhoidibus interni oris; ſed & hæmorrhagia oris interni obſervatur in ſcorbuticis, obſervatur itidem in febribus malignis, præcipue ſi maligna febris prehenderit corpus ſcorbuticum, & cacochymicum, qualis viſa eſt in Noſocomio SS. Trinitatis his annis in puella tempore feriarum autumnalium, hæmorrhagia inquam gingivarum in febre putrida, maligna potius, & corpore antea jam ſcorbutico. Hæmorrhagiæ oris interni obſervatæ quoque ſunt in gravidis ob cauſam ſatis manifeſtam, ob impeditum ſcilicet, aut difficiliorem ſanguinis circuitum per abdomen, ob uteri increſcentis molem, & ſanguinis majorem affluxum ad partes ſuperas. Orgaſmus ſanguinis quiscunque, undecunque natus interni oris, palati, linguæ, gingivarum, veli penduli hæmorrhagias facit; item ſuppreſſa menſtrua, dens evulſus: hæ ſunt potiores hæmorrhagiæ interni oris cauſæ; hic autem ſanguis ore rejectus ſolummodo exſpuitur absque ſcreatu, & absque tuſſi.

Verum etiam ſanguis ore rejectus ſubinde ex naribus internis egreditur, dum quis narium hæmorrhagiam paſſus ſupinus decumbit, vel vero ſi dormienti nares fluant, tunc, uti patet, ſanguis per interiora narium foramina in os redit, indeque evacuatur, quale ſanguinis ſputum non raro vanum hæmoptoës incutit metum.

Sed & ex ipſo ſubinde capite ſanguis prodit, qui ore rejicitur; fit id ob lapſum ex alto, poſt ictum in caput, ubi ſanguis intra aurem colligitur, intra meatum auditorium, vel vero ubi intra caput ubicunque extravaſatus ſalutari naturæ conamine novas ſibi in os parat interdum vias, & ſputo cruento demum redditur.

Nonnunquam ex œſophago is ſanguis prodit, eumque ut plurimum non ſimpliciter ſolummodo, ſed ſcreatu evacuamus; verum & ſcreatu eductus non venit ex ipſis œſophagi vaſis, ſed ex capite, naribus interioribus, in œſophagum delapſus, indeque primum educitur; ſubinde tamen œſophagi vaſculum quoddam præternaturaliter aut dilatatur, aut rumpitur, atque ſic ſanguinis exſtillat paullulum quod pariter ſcreatu educitur.

Ex aſpera arteria prodiens ſanguis, tuſſicula ejicitur; ſubinde, præprimis ſi ex inferioribus aſperæ arteriæ plagis prodeat, non tuſſicula, ſed vera tuſſi evacuatur.

§. XV.

De hæmorrhagiæ hujus effectu, aut prognoſi peculiaria nulla adducam, cum e prioribus

fa-

facile intelligantur; curam quoque nullus non videt variare, ob varios, quos mox recenſebam modos, ob varias, quas percurrebam cauſas; quæ tamen ex his, quæ hucusque dicta ſunt, haud magno labore erui poteſt, atque adeo illi repetendæ ſuperſedebo; hic evacuantia, corrigentia &c., etiam adſtringentia &c. collutorii forma conveniunt.

Hæmorrhagia pulmonum.

§. XVI.

Si ſanguis per os ex pulmone ejiciatur, *Hæmoptoë* vel & *Hæmoptyſis* dicitur.

Diverſas autem hic ſanguis qualitates præſefert; ſubinde enim floridiſſimi, & lætiſſimi eſt coloris, ſubinde quaſi a mactata recenter victima prodit, ſubinde ſpumoſus eſt, multumque intricati aëris continet, nigricans nonnunquam, & grumoſus, ater nonnunquam, & nigricans, fluidus tamen apparet; lateritius ſubinde, contrito quaſi in pulverem lateri ſimilis, ſubinde ichoroſus, modo prodiens ſanguis filamenta facit, ſtriasque, modo profluit meracus absque aliis additamentis, cum ſputis nonnunquam, iisque itidem variis, mucoſis, pituitoſis, puriformibus, aut etiam vere purulentis, ſæpe per modum rivi, aliquando certa dierum, horarum, ſeptimanarum, aut menſium intervalla ſervat.

De hæmoptoë innocua etiam per annos loquitur Hippocrates; hæc fit a varicoſis pulmonum vaſis, rupta varice; idem propemodum hic accidit, quod de varicoſis hæmorrhoidum vaſis eſt notum, niſi quod in ano commodior ſit locus; contingit hæc hæmorrhagia plerumque, dum homo optime valet; ſanguis tunc primo prodiens grumoſus eſt, quem floridus ſequitur; in aliis vero hæmorrhagiis pulmonum floridus primo, dein grumoſus occurrit; grumi ſcilicet facti ex ſanguine florido in pulmone relicto ultimo rejiciuntur.

Quoniam non omnis, qui ore ejicitur ſanguis, hæmoptoën indicat, ſiquidem ſuperius ex oris internis partibus, ex naribus, œſophago, aſpera arteria eundem prodire narrabam, & ex ventriculo, ut inde dicam; quare ex quo loco adveniat ſanguis, qui exſpuitur, ut noſcat Medicus, plurimum proderit; cujus rei differentiam tum color ſanguinis, tum maxime tuſſis præſentia, vel abſentia manifeſtat; etenim ſi cum tuſſi exſpuatur ſanguis, pro certo ferme ſigno habetur, ex pulmone eum prodire, licet hoc errori ſit obnoxium, quale exemplum narrat Swietenius a), ubi vocatus fuerat ad juvenem, cui inter dormiendum ſanguis e naribus fluere incoeperat, cumque reclinato jaceret capite, ſanguis per narium poſteriora foramina in fauces delapſus, tuſſim excitavit, a qua evigilans exſpuit ſanguinem, unde maxime perterritus æger fuerat, ſe hæmoptyſi laborare arbitratus; eundem curavit, os, & fauces aqua tepida eluendo, ſimulque erecto capite, ſed ver-

a) Comm. ad §. 1198.

verſus anteriora nonnihil inclinato, ut in lecto ſederet, ſuadens; perrexit per integram horam valida ſatis per nares hæmorrhagia, ſed nulla aderat amplius tuſſis, nullum ſanguinis ſputum. Eodem loco de ſe affirmat, levem titillationis ſenſum in faucibus percepiſſe, & paulo poſt ſcreatu ſputum ſanguinolentum eduxiſſe, ſecutam fuiſſe irritantem tuſſiculam, & ſputum cruore tinctum; aperto ore ante ſpeculum irradiante ſole, vidit ad latus dextrum prope uvulam in velo pendulo palatino vaſculum arteriosum rubrum, quod capilli diametrum ſua amplitudine æquare videbatur, quodve aperto orificio ad latus uvulæ minimam ſtillabat guttulam ſanguinis fere omni minuto ſecundo; poſt horam mediam ceſſabat hoc, & vaſculum ſenſim contractum poſt trihorium diſparuit; idem in aliis ter adhuc ſe vidiſſe affirmat: tale exemplum adfert Galenus a); ſic enim habet: *Nos vero eum (ſanguinem) a capite per gurgulionis præcipuæ partes internas ad fauces affatim deſcendentem, tuſſiendo educi ſæpenumero conſpeximus; nam ſubito laryngi irruens tuſſim movet. Quare diligenter advertere animum oportet, ne aliquando hujusmodi ſanguinem ex ſpiritalibus organis aſcendere putemus.* Unde merito monuit in eodem capite, os interdum, & nares ſollicite conſideranda eſſe, ubi vel minimum dubium de loco oritur, unde veniat, qui exſpuitur ſanguis. Monuit & ſimilia Aretæus b) de ſanguine ex capite & palato deſcendente, & fallacem hæmoptoës faciente ſpe-

a) De locis affectis l. 4. c. 8. t. 7. p. 465.

b) De cauſ. & ſign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 10.

ſpeciem. Sola ſpuma rejecti ſanguinis jam ſuffecerat Hippocrati, ut ex pulmonibus rejectum diceret, ſic enim a) habet: *qui ſanguinem ſpumoſum exſpuunt, his e pulmone talis ejectio fit;* & alio in loco b): *qui ſpumantem ſanguinem evomunt, partibus infra ſeptum transverſum dolorem nequaquam ſentientibus, iis e pulmonibus vomitio fit.* Qui e faucibus prodit ſanguis ſolo ſcreatu cum titillatione in faucibus percepta, floridus quidem ſed non ſpumoſus prodit, ſicuti qui ex ore ſcorbuticorum, læſis, & eroſis gingivis floridus quidem, ſed neque ſpumoſus, & ſpuendo tantum excernitur. Ex naribus exire prægreſſa narium hæmorrhagia, abſentia tuſſis, cum ſcreatu ejectio, & thoracis libertas ſuadent. In vomitu cruento cum nauſea, ſive vomendi conatu, grumoſus, ingeſtis remixtus, atque ſui præſentiæ ſigna in excretis alvinis exhibens, redditur.

Verum tutius inſtitues diagnoſim, ſi plura ſimul ſpectaveris; ſic ſi floridum ſanguinem, læte rubicundum, ſpumantem cum tuſſi ejici videris, & ſi teſte Sydenhamo c) dolor, & calor pectus plerumque obſideat cum debilitate quadam, & difficili reſpiratione.

Quæritur autem, an ſanguis ex pulmonibus ejici poſſit abſque omni tuſſi? Negatum id a pleriſque eſt, ſed ab uno alterove medico aſſertum; & tali quidem, qui ipſemet absque tuſſi e pul-

a) Aphor. 13. Sect. 5.

b) Coac præn. N. 433.

c) Proceſſ. integr. p. 523.

pulmonibus eduxit ſanguinem; id autem ſequenti arbitror fieri ratione poſſe, ſi pauxillum tantum ſanguinis ex pulmone prodeat, & pedetentim, tunc is tuſſiendo plerumque ejicitur; at vero ſi hæmorrhagia potius uno filo, aut rivo profluat ex pulmonibus majori rupto vaſe, tunc plerumque prodibit ſanguis uno tractu absque ulla prorſus tuſſi; exemplum tale videram in puella in Noſocomio SS. Trinitatis N. 55. decumbente; etenim absque tuſſi cum leviſſimo, & vix ullo conatu ſanguis uno rivo profluxit; hunc autem ex ipſis pulmonibus venire multa docuerunt, & imprimis dolor, atque preſſio totius thoracis ſiniſtri, & vis thoraci ante quadriennium ab equo calcitrante illata.

Præcedunt plerumque hanc evacuationem, magna pulmonum debilitas, horripilatio, laſſitudo, pedum refrigeratio, anxietas circa præcordia, pectoris oppreſſio, ſpirandi anguſtia, dolor gravativus, undulatorius circa diaphragma, flatus in abdomine, & dolor dorſi, frequens cordis palpitatio, aucta ad motum corporis quemcunque, etiam poſt cibum, potumque largius aſſumptum increbreſcens, rubedo faciei, calores volatiles, titillatio ingrata circa bronchia, & fauces, ſputa dulcia, craſſa, nigreſcentia mane præprimis, efferveſcentia quædam percepta in corpore &c.; quæ dum ultra modum augentur, in aëream tandem pulmonis ſuperficiem ſanguis prorumpit, ibique cuſtodes ſenſiliſſimos nervos convellens, motu automatico tuſſim excitat, qua cum aëre, & muco in bronchiis hærente reciprocis motibus conquaſſatns, atque inde ſpumeſcens, aucto impetu per rimam glottidis ejicitur ſanguis.

§. XVII.

Communiter hæmoptoë dividitur in eam, quæ per αναςομοσιν, διαπεδεσιν, διερεσιν, διαβροσιν, & ρυξιν fieri dicitur; verum quoniam difficilius cognitu ſint hæ ſpecies, ut §. II. monebam, atque adeo ad prognoſim multo magis quam ad praxim conducant, hinc eas enumeraſſe ſufficeret, magis practicam ſubſtituendo diviſionem; quæ tamen circa has adferri ſolent breviter enarrabo.

Ea, quæ per anaſtomoſin accidit reliquis minus eſt periculoſa; vaſa enim, quamvis dilatata, manent integra, & humores boni ſunt, cæteroquin potius fieret eroſio, quam anaſtomoſis; ſimul ac enim ſanguis tranſire poteſt per ultima vaſorum extrema, dilatatio vaſorum minuitur, & proprio elatere contracta, brevi ſic anguſtantur, ut ſanguinem rubrum non amplius transmittant, ſed ſolitos tantum humores ſanguine tenuiores; naturaliter enim ſanguis ruber nunquam exit in tracheas, ſive vaſa pulmonis aërea, ſed ſecreti a ſanguine humores, qui humectant, & lubrico muco obducunt totam internam trachearum ſuperficiem. In exemplo paulo ante memorato patuit, quod vaſculum dilatatum in velo pendulo palatino, ob ſanguinem rubrum contentum, manifeſte conſpicuum, paucis horis ſe ſubduxerit oculis, dum ad ſolitam, & naturalem amplitudinem rediiſſet; hujus autem ſigna recenſentur, ſi absque manifeſta cauſa, nulla illata externa vi, neque acrimonia ulla præſente prodeat; ſi parva quantitate, & cum ſputis tantum ſtriatis, reſpiratione interim non multum læſa; quæ diagnoſis confirmatur, ſi corpus plethoricum, ſi fæmina ſuppreſſis

ca-

catameniis, aut vir hæmorrhoidibus ſuppreſſis laborent; ſiquidem & Aretæus a) notat, hanc ſpeciem contingere fæminis menſium ſuppreſſione laborantibus, per menſtruam periodum redire, & niſi curetur, ſæpius reverti.

A ruptura vaſorum hæmoptyſin natam credimus, ſi tales cauſæ prægreſſæ fuerint, a quibus vaſorum ruptura metui poſſit; ſic ab ictu, lapſu, pondere magno elevato, clamore valido, iracundia &c. Si ſubito ſanguis floridus & ſpumoſus exſpuatur, novimus a magna vi pulmonibus illata rupturam vaſorum factam fuiſſe b). Metus quidem eſt, ne ob ſubitam rupturam vaſorum, ſi majora fuerint, purpuream vomant animam, & ſubito pereant, quales caſus plures in obſervatis medicis habentur; quod ſi hoc diſcrimen evaſerint, multa curationis ſpes ſupereſt: *rupturæ enim facilior ſolidatio eſt, quia vulneris labia ſe mutuo contingunt* c); cum enim vulnus recens ſit, & in ſano cæteroquin corpore, ſi fiant omnia, quæ regulæ artis requirunt, conſolidatio rupti vaſis ſperari poterit.

Ubi autem eroſis vaſis hæmoptyſis ſequitur, longe difficilior erit cura; optime monuit Aretæus d): *ulcus enim non vulnus efficitur.* Sponte utique patet, ulcus in eroſo pulmone ob humo-

a) De cauſ. & ſign. morb. acut. lib. 2. c. 2. p. 15.

b) Aret. de cauſ. & ſign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 13.

c) Ibid. pag. 14.

d) Ibid. pag. 15.

morum acrimoniam natum, longe diſſicilius curari poſſe, quam recens vulnus a violenta factum cauſa. Cognoſcitur autem, eroſionem eſſe hæmoptyſis cauſam, ſi nulla vis externa illata fuerit, ſi tuſſis diuturna, & irritans fuerit prægreſſa, ſi parca tantum ſanguinis copia exſpuatur, ſed perpetuo ferme, vel ſaltem redeat frequentiſſime ſanguinis ſputum; ruptis enim vaſis larga ſanguinis copia ejicitur quidem, ſed ſedatur citius; ob hanc cauſam Chriſtophorus Benedictus a) celebris elapſo ſæculo Londini Medicus, qui optime de hoc morbo ſcripſit, licet difficiliori ſtylo uſus fuerit, hanc regulam prognoſticam poſuit: *ſanguis per vices in pectus confertim fluens minus periculoſus, quam qui ſenſim & jugiter emanaverit; fluxio enim periodica, licet copioſior* ἀναςομώσεος, *jugis pedetentim facta* ἀνηβρώσεως *ſymptoma;* præterea ſi ſigna alicujus acrimoniæ adfuerint, ſcabioſæ, venereæ &c.; ſed de his ſat multa.

Melius eam dividi puto in *hæmoptoën febrilem*, pro diverſitate febris, in *inflammatoriam, bilioſam, pituitoſam, putridam, malignam* &c. ſubdiviſam; & *non febrilem*, in *orgaſticam ſeu plethoricam*, in *traumaticam*, ſeu *vulnerariam*, in *hæmoptoën tuberculoſam, chronicam*, ſeu *habitualem, periodicam, abdominalem*, ab *eroſione*, demum ab *oſſificatione* aortæ, & *anevriſmate* cordis ſiniſtri; quas uberius in earundem cura mox pertractabo.

§. XVIII.

a) P. 106. tabid. theatr.

§. XVIII.

Çauſæ hæmoptoën efficientes innumeræ propemodum poſſunt recenſeri, quarum aliæ communes cum reliquis hæmorrhagiis, quasve potiſſimum in §. IV. enumerabam, aliæ etiam propriæ; huc pertinet ætas juvenilis a decimoquinto, ad trigeſimum quintum uſque annum; a parentibus in filios traducta diſpoſitio; debilitas vaſorum pulmonalium inſolita, qualis in hominibus corpore gracili, collo longo, thorace anguſto, ſcapulis multum exſtantibus, fibra tenui, delicata, & ſumme irritabili, ingenio præcoci, genis identidem roſeis, & cute tenerrima dotatis; hi plerumque hæmoptoë primo tentantur, ſero demum ex phthiſi occumbunt; plethora, quæ ut univerſim corpus afficit, ita pulmonem cæteris corporis viſceribus longe vehementius aggravat; ſiquidem intra idem tempus, quo per totum corporis ambitum ſanguis circulatur, omnis etiam humorum maſſa per pulmonem ſolum trajicitur; ſanguis præter modum tenuis, ac diſſolutus, vel etiam juſto ſpiſſior; tenuior ſiquidem ſanguis ſuapte natura aptior eſt, ut per fines vaſorum pulmonalium, accedente a tergo preſſione, ſe ſubducat; ſpiſſior autem dum in iisdem finibus hæret immeabilis, efficere poteſt, ut ipſi vaſculorum parietes tanto vehementius urgeantur, diſtendantur, ac denique etiam rumpantur; acrior demum ſanguis ad erodenda vaſa eſt promptior, quæcunque acrimonia illa fuerit, ſcabioſa, venerea, ſcorbutica, catarrhoſa &c.; neque hoc totum eſt, ſed etiam evacuationes aliæ ſive naturales, ſive per conſuetudinem inductæ, dum a quacunque cauſa ſupprimuntur, non leve pulmoni periculum minitantur;

tur; docent id fluxus menſtrui, lochiorum, & hæmorrhoidum ſuppreſſiones; novimus enim, ut jam monueram, menſtruam evacuationem erroneam per pulmonem quasdam fæminas pati, utero quaſi oppilato, officium non obeunte; idem contingit in viris hæmorrhoidariis, ſi forte hæmorrhoides aut ſupprimantur penitus, aut parcius fluant, ut tunc ſanguis ad pulmones, ex quadam ratione debiliores, decumbat, ibique pravo quodam modo evacuetur; quid, quod & hæmorrhagia narium præter conſuetudinem ſubſiſtens, & intermiſſæ, ſed familiares tamen quibusdam hominibus ſeu venæ ſectiones, ſeu ſcarificationes &c. non raro viam ſternunt huic malo; præterea quidquid circulum ſanguinis difficiliorem per abdomen reddit, totum id ſubinde efficere ſolet hæmoptoën, e. g. obſtructa viſcera abdominalia, lien prætumidum, hepar infarctum poſt febres diuturnas male curatas; ſcirrhus, vel polypus in ipſis vaſis pulmonalibus; alvus difficilis, rara, dura; ipſa graviditas & uterus tumidus; hydrops abdominis vel impediendo circulum ſanguinis per abdomen, vel etiam ſanguinem diſſolvendo; cum ſciamus, ſanguinem ultimis præcipue hydropis conſummati temporibus nimium quantum eſſe attenuatum, eſſe acrem, ut hæmorrhagiæ inde oriantur: huc pertinet validior quæcunque corporis exercitatio, ſaltus, curſus, equitatio, lucta &c., quibus omnibus motu muſculari exagitatus ſanguis in pulmonem violentius impellitur; exercitationes validiores ipſorum pulmonum, cujusmodi ſunt cantus acutior, diu protractus, modulatorius, riſus immodicus, ſternutatio vehemens, violenta tuſſis, tubarum inflatus &c., quibus non tam reliquum corpus, quam quidem ipſe pulmo concutitur;

titur; pertinet huc itidem nixus reſpirationis fortior, ſub elevatione majorum ponderum, aut illorum geſtatione, ſub partus molimine &c., quo nixu, dum abdominalia viſcera valide comprimuntur, fieri non poteſt, quin earum partium ſanguis in venas ſubterfugiat, indeque ad cor delatus, pulmonem majori quantitate obruat, ubi eodem tempore ſpiritu diu, multumque retento, collecto, & retardato ſanguine vas quoddam rumpitur, & prodit ſanguis ea ferme ratione, ac ſi vis quædam thoraci illata foret: animi affectus immoderati, quales ira, terror &c., quibus quantopere vitalia afficiantur vel ſola palpitatio cordis, & quæ hanc ſubſequitur anheloſa reſpiratio luculentiſſime oſtendunt; ſed & ſoli abdominis ſpaſmi undecunque nati, ſpaſmi ventriculi, & inteſtinorum in hyſtericis, & hypochondriacis ſanguinem copioſius in pulmones aliunde debiliores urgent, ut demum hic ſpaſmus ſputum cruentum producat; ſpaſmi orti a ſaburra billoſa, quæ ſpecies non infrequens eſt æſtivali præprimis tempore, & cujus exemplum in Noſocomio in Puero No. 9. decumbente, me vidiſſe recordor: febris acuta a quacunque cauſa orta, debili pulmoni ſuperveniens, quippe qui a ſanguine alias moderate fluente male habet, adauctæ circulationis impetum multo difficilius ſuſtinere potis erit: ingeſta acria, multo ſale, & aromate condita, potus vinolenti, ſpirituoſi, cibi difficilius digerendi, vel etiam eupepti, ſed majori, quam ferant vires, copia aſſumti; his enim non parum augeri ſanguinis circulationem, maxime vero pulmonem, qui in peregrini aſſimilatione plurimum adlaborat, inde pati, notius eſt, quam ut hic pluribus declarari debeat; neque infrequens eſt hæmoptoë a po-

tu

tu frigidæ æſtuante corpore celebrato: extrinſecus adventitia, qualia ictus, impactus, corpus valide irruens, vel contuſio thoracis, lapſus ab alto, coſtarum fractura, vel intropreſſio, vapores acres inſpiratione adducti, tuſſimque validam moventes; aëris denique ambientis calor maſſam ſanguineam rarefaciens, vel & levitas, pulmonem non ſatis diſtendens; gelu demum corporis ſuperficiem vaſaque externa conſtringens, indeque ad interiora magis urgens humores huc in cenſum venit.

§. XIX.

His breviter enarratis, jam quos poſt ſe relinquat effectus, & in quos alios metamorphoſetur morbos breviter diſcutiam. Sunt autem alii generales, ſpeciales alii; cum enim & hæmoptoë nil præter hæmorrhagiam ſit, nemo non videt, poſſe ab illa omne malorum genus, more alterius cujuscunque ſanguinis profluvii, naſci. Itaque ſi immoderata fuerit, non modo corpus vitali ſanguine defraudare, indeque leucophlegmatiam, cachexiam, virium jacturam, & his pejora, alibique jam recenſita mala procurare, ſed etiam mortem ipſam inferre poteſt, idque modo vario; primo enim ipſa ſanguinis rejectio nimia copia, deperditione nimia, & ſubitanea ſanguinis, ut in quacunque hæmorrhagiæ validioris ſpecie ex keneangia, occumbere cogit: ſecundo occidit, lente inducendo cachexiam, quod evenit, ſi ſputum cruentum paulo quidem parcius ſit, ſed frequentiſſime redeat; lentam enim, tardamque keneangeiam inducit, & humorum omnium non minus, ac ſolidarum ſimul partium pravum ſtatum, caco-

chy-

hymiam, & cachexiam, quæ ſero tandem mors
nſequitur: tertio etiam repente hæmoptyſis occi-
it, non ob nimiam ſanguinis rejecti copiam, ſed
eſiculæ bronchiales, bronchia ſubito, quod reple-
ntur, unde repentina ſequitur ſuffocatio; ultimo
emum phthiſi; cum enim peculiaris viſceris hæ-
norrhagia ſit, præter mox enarrata communia, &
b aliis quoque hæmorrhagiis oriunda mala, alios
uoque, qui ad ipſum hocce viſcus ſpectant, mor-
os poſt ſe relinquit; horum primas pulmonum ex-
lcerationes obtinent, atque inde, quam mox di-
eram, orta phthiſis; quoniam vero hæmoptyſis
on mutatur in phthiſim pulmonalem, niſi ulcus in
ulmone produxerit; conſiderandum hinc venit,
ua ratione contingere id ſoleat.

Si a vaſorum ruptura contingat hæmopty-
s, violentis cauſis prægreſſis jam pridem enume-
atis, tum utique verum habetur vulnus, & om-
ia, quæ vulneri recenti contingunt, etiam locum
abent, obſervanturque ab attento medico, prou-
& alibi partes vulneratæ, ſenſim magis, magis-
ue a ſe recedunt mutuo; idem & hic contingit;
iſi enim magnum vas ruptum fuerit, quod unda-
m ingentem ſanguinis copiam fundit, hæmoptoë
ncipit cum ſputo ſanguineo pauco, ſed mox in-
reſcente, minuitur poſtmodum, &, ſi quieſcat
ger, brevi plerumque ceſſat, ſic tamen, ut ſpú-
m dilutum, tenue, ſubrubellum educatur ad-
uc; uti in vulnere oculis patente rubere labia,
olere, tumere cum levi febricula, vulnus ali-
ujus momenti ſi fuerit, videmus, ita & in pul-
ione fieri credendum; tuſſicula enim naſcitur, &
uandoque levis doloris ſenſus, tunc prout in vul-
ere pus in conſpectum prodit, ſic & hic puru-

lenti quid exſpuitur; quod ſi parca tantum copi[a] appareat, mali haud erit ominis; nam ſub ho[c] pure vulnus conſolidatur, externi vulneris mo[r]e; poſt pacatum autem ſomnum, matutino tem[-]pore coctum, & purulentum ſputum obſervatur & conſolidato vulnere ceſſat. Interim tamen no[-]tandum, diuturniorem ſæpe curam in pulmoni[s] vulnere fieri, quam in externa corporis parte aër ſiquidem ſic arceri nequit, & pulmo, ob re[-]ſpirationem ad vitam neceſſariam, omnino quieſce[-]re prohibetur, quare & a medicis prudentibus i[n] hæmoptyſi quies continua imperatur, prohibetu[r] loquela, molliſſimus victus, & ab omni animi af[-]fectu cavendum ſuadetur, ut, quantum licuerit quieſcat pulmo; quod non ideo tantum obtinet ut caveatur hæmoptoës recidiva, verum & ill[o] ſcopo, ut vas ruptum conſolidetur citius. Pon[e] jam minoris diametri vas fuiſſe ruptum, ſæpe fe[-]liciſſima ſit curatio, ut poſtea tota vita immune[s] vivant non a phthiſi ſolummodo, verum & ab hæ[-]moptoë ipſa; ubi vero majores vaſorum rami rupt[i] fuerint, magis dehiſcet tale vulnus, major naſce[-]tur puris copia, & magnus metus eſt, ne pe[r] mollem pulmonis ſubſtantiam propagetur ſuppura[-]tio circa vulneris nata labia, & phthiſim pulmo[-]nalem inducat, quare & Hippocrates a) monuit *Tabes perículoſſimæ ſunt, quæ a ruptione craſſa[-]rum venarum.*

Ratio autem altera, quare hæmoptyſin ſe[-]quatur pulmonum ulcus, ex ipſa hujus viſceri[s] fabrica intelligitur. Si pulmo inflatus exſicce[-]tur,

a) Coac. prænot. n. 438. t. 8. p. 878.

ur, & dein diſcindatur, cellulofum ſe totum exhibet, non ideo tantum, quod trachearum ultimi ines in membranulas cavas abeunt, quod in theatro anatomico Cell. meus Anatomiæ Profeſſor Joſephus Barth toties coram demonſtravit; verum tiam manifeſte apparet membrana celluloſa, quæ nterſtitia relicta inter folliculos aëreos replet, & innumeris arteriolis irrigatur, uti feliciter repletis per injectiones pulmonum vaſis, per microſcopia manifeſte videtur. Si jam contigerit uptis his vaſculis ſanguinem effundi in cellulosam hanc membranam, cruor extravaſatus, corruptus mora, & acrior redditus, ſuppurationem, & ulcus pulmonale ut producat, par erit; ſanguis enim extravaſatus, qui in aëreis vaſis pulmonum hæret, tuſſi educi poterit facile, ille vero, qui in membrana celluloſa hujus viſceris colligitur, per hanc viam exire nequit, niſi, eroſis iam tracheis vicinis, exitum invenerit. Videntur & Hippocratis a) obſervata hæc confirmare, quæ dicta ſunt, ubi recenſet cauſas, unde purulentus fit pulmo: *Quum venularum quædam in ipſo rupta fuerit; rumpitur autem a laboribus: & cum rupta fuerit, ſi craſſior quidem fuerit venula, plus fundit ſanguinis, ſi vero tenuior, minus; partimque conſertim quidem ſanguinem exſpuit, partim vero, niſi conſtricta vena fuerit, in pulmonem funditur, in eoque putreſcit, cumque putruerit, pus facit. Procedente vero tempore, interdum pus ſincerum, interdum ſubcruentum, quandoque etiam ſanguinem, & ſi uberius repleta fuerit venula, ipſa ſanguinis copiam conſertim a ſe evomit, puſque craſ-*

 ſum

a) De morbis l. I. c. 5. t. 7. p. 537.

ſam ab accedente, ac intus putreſcente, pituita exſpuitur. Deſcribitur hic primo hæmoptoë, dein a putreſcente ſanguine, qui in pulmones delapſus fuerat, ulcus, quod vel pus ſincerum dabat, vel eroſis vaſculis vicinis ſubcruentum, imo & quandoque magna ſanguinis copia, eroſis a pure acriore vaſis, prodiit.

Hinc etiam intelligitur, quare Hippocrates a) dixerit: *a ſanguinis ſputo puris ſputum malum;* non enim hoc intelligendum eſt, a parca copia ſputi illius purulenti, quod rupti vaſis incipientem conſolidationem ſignificat, uti paulo ante fuerat dictum; verum a tali ſputo puris, quod & majori copia prodit, & diuturno tempore pergit, ſicque ulcus pulmonis ſignificat; unde & Galenus optime in commentario ad mox allatum aphoriſmum monet: *quod non omne ſanguinis ſputum ſequentem habet puris exſputionem, ſed tantum illud, quod mali moris eſt.*

§. XX.

Facturus morbi hujus prognoſim medicus, ad copiam imprimis, & qualitatem ſanguinis rejecti, cauſam hæmoptoës, temperiem ægri, & morbi ſymptomata attendat oportet; etenim pro varia horum conditione, varium quoque erit hujus periculum; ſi quidem quo plus rejicitur ſanguinis, eo quoque periculoſiorem eſſe hæmoptoën cæteris paribus indubitatum eſt, & viciſſim; quare quo major virium proſtratio hæmoptoën ſubſe-

a) Sect. 7. Aphor. 15. t. 9. p. 299.

ſequitur, eo plus periculi, & contra; deſipientia autem, ſingultus, & convulſio peſſimi ſunt ominis, & mortem vicinam annunciant. Virorum hæmoptoë pejor eſt cæteris paribus, quam illa fæminarum; pejor in ſenili, quam juvenili corpore, pejor quoque in prædiſpoſitis; timenda magis, quæ a diſſoluto, & acri ſanguine trahit originem; atque adeo mala admodum, quæ febrem putridam comitatur; peſſima quæ varioloſam, & petechialem febrem; unde etiam mictum ſanguineum, & violentam ſanguinis e pulmonibus eruptionem, pro certiſſimis mortis ſignis habuit in variolis Sydenhamus a); fateturque ſe nulla methodo has hæmorrhagias compeſcere potuiſſe: neque mala in hydropico, cachectico, ſcorbutico, atrabilario homine; hæreditariam omnium curatu difficillimam, & cui debilitas pulmonum originem dedit, affirmant practici; quo diutius compeſci negat, eo funeſtior eſt, violentiorem cauſam indicans; neque boni quid præſagire permittit, quæ ſæpius recurrere conſuevit; etenim cum per ſe anceps, & periculoſa ſit, haud injurie magis tunc timendum, ne pulmo non conſolidetur, atque adeo ulcus rebelle, & phthiſi viam ſtraturum, relinquatur. *A ſanguinis ſputo puris ſputum malum* jam dudum notavit Hippocrates b); ſiquidem pulmonem ſuppurari, atque adeo mali ulceris metum incutit. Quæ aliarum evacuationum ſanguinearum ſalutarium præprimis vicaria eſt, etſi non negligenda, minus tamen timenda reliquis; hinc quæ ſuppreſſis catameniis vel hæmorrhoidibus ſu-

 per-

a) Sect. 3. c. 2. p. 197.

b) Sect. 7. Aphor. 15.

pervenit, cæteris paribus minus habet periculi, & longiori tempore tolerari poteſt; in qua ſanguis paucus, floridus, ſine multa tuſſi, ſine febre, vel illa ſaltem non redeunte, & absque ſignis acrimoniæ eiicitur, ea curatu aliis eſt facilior; facilius quoque medelam admittit, quæ a cauſa externa leviore tamen, quam quæ ab interna ſimili ortum agnoſcit, modo cæterum bona ægri fuerit temperies.

§. XXI.

Ut de curatione morbi hujus quædam adferam poſcit ordo; hanc vero pro varia hæmoptoës ſpecie variare itidem quisque videt; quare a febrili initium ducens, reliquas ſingillatim percurram.

Pro varia, cui aſſociatur, febre, propriis ſignis noſcenda methodum quoque variare neceſſe eſt; occurrit *inflammatoria* ſæpius *febris* non univerſalis modo, ſed ea quæ pulmones infeſtat præprimis; pulmonum inflammatio ſæpiſſime ſputum cruentum ſibi junctum habet, ſit inflammatio illa pleuritica, ſit peripneumonica; quod ſi ſputum illud cruentum ex quacunque ratione paulo fiat largius, non amplius *ſputum cruentum*, ſed *hæmorrhagia* audiet *pulmonum*, erit nihilominus idem morbus, erit pleuritis, peripneumonia, vel ſi mavis, erit *hæmoptoë inflammatoria*.

Medendi ratio abunde patet ex præmiſſa pleuritidis, & peripneumoniæ notione; etenim omnem medendi methodum abſolvet apparatus antiphlogiſticus, iſque ſummus; repetitæ phleboto-

miæ,

niæ, emulſa tepida, leviter nitroſa, emollientes tepidi, & copioſi potus, ſumma quies, loquelæ abſtinentia, cataplaſma aut fotus emolliens ad totum thoracem appoſitus; univerſim omnis illa materia medica, quæ alias ſolet in pleuritide, & peripneumonia vera indicari.

Quare in confeſſo eſt, nulla opiata convenire poſſe in hæmoptoë inflammatoria, æque parum ac conveniunt in pleuritide ſimplici, aut peripneumonia; patet itidem pernicioſum rerum adſtringentium uſum, ſucci catechu, aliorumque in hæmoptoë celebratorum, ex idea pleuritidis, idea peripneumoniæ inflammatoriæ, quæ haud dubie horum uſu exacerbantur; ſed & malus eſt mos illorum, qui actu frigida, aquam frigidiſſimam, nivealem, glacialem, aliaque frigida adhibent pro potu æque, ac ad thoracem, vel nucham pro epithemate applicanda.

Neque minus frequens bilioſæ febris eſt comes hæmoptoë, quæ provenit a bilioſa colluvie ventriculum & inteſtina gravante: novimus colluviem hanc nonnunquam ſpaſmos abdominis producere, retardare, & impedire liberum ſanguinis per abdomen motum, ſanguinem ibidem impeditum regurgitare, urgerique ad alias partes, in fæminis non raro ad uterum, unde uterina hæmorrhagia, in maribus ad pulmones ſæpiſſime, ut inde hæmoptoë originem agnoſcat.

Hæmoptoë hujusmodi, quam *bilioſam* nuncuparem, aliam omnino medelam non requirit, quam quæ febri principi medetur, ſolventem, indicata via evacuantem: vidi Puellam 17. annorum

No. 69. in SS. Trinitatis Noſocomio tali hæmoptë detentam; medebatur febri bilioſæ ſolummodo, atque una hæmoptoë curabatur.

Hæc eſt celebris illa jam dudum nota hæmoptoë, quæ ipecacuanhæ, aut tartaro emetico paret; etenim emeticum ſtimulantem bilioſam materiem excutiet, & ſic remoto ſtimulo ceſſabit ſpaſmus, ceſſabit ſpaſmi effectus, atque adeo ipſa hæmoptoë; lætus equidem recordor, me excepiſſe Cel. Maximil. Stoll meum Praxeos Profeſſorem, dum narraret propinato emetico ejusmodi hæmoptoën non ſemel a ſe momento quaſi conſopitam.

Verum & peripneumoniam notham, ſeu pituitoſam ſæpius comitatur ab immeabili pulmone, a ſanguine cordis dextri viribus violenter nihilominus intra pulmones protruſo, eos tamen permeare difficulter valente, utpote pituitoſo infarctu oneratos, qualis conditio eſſe pulmonum ſolet in *peripneumonia ſenili*, ſeu *notha* dicta.

Curam ea abſolvent, quæ pituitoſæ febri medebuntur, quæ vires cordis, & movendorum molem minuent, quæ infarctum pulmonum expedire, & quidem ea expedire ratione queunt, qua id proficuum eſt in peripneumonia notha; novimus autem id fieri præcipue ſolventibus iteratis, blandioribus eccoproticis, & ſubinde etiam venæ ſectionibus jam præmiſſis, non raro etiam ipſis emeticis.

In febribus putridis, malignis, variolofis, petechialibus, obſervata hæmoptoë funeſtum plerumque eſt ſymptoma; attamen ſi magna vi ſanguis

guis effundatur, ni reſpiratio multum lædatur, ni adſit ſtrepitus inter reſpirandum, ni ſimul adſit dolor punctorius, ni, inquam, gravia hæc comitentur ſymptomata, aliquoties hæc ſpecies curationem admittit; eam tamen ſemper, quæ in morbi principis ablatione conſiſtit; quare eadem huic occurrent, quæ febrem putridam, malignam, varioloſam, petechialem &c. ſolantur.

§. XXII.

Illius quam *orgaſticam*, ſeu *plethoricam* hæmoptoës ſpeciem ſuperius nominabam, ſit ea plethora momentanea, & ad tempus ſolum, qualis eſſe, atque obſervari ſolet ab exercitio vehementi corporis quocunque, ab aſſumptis ſpirituoſis, ſtimulantibus, ab ira, vociferatione, cantu, clamore &c., ſeu ſit plethora non orgaſtica, non momentanea, ſed permanens totius corporis, patet, inquam, illius medendi rationem conſiſtere in venæ ſectionibus, emulſis nitroſis, quiete corporis, in artuum extremorum ligatura, loquelæ abſtinentia, in potu acidiuſculo.

Verum patet etiam, nocere & hic opium, nocere actu frigida mox in initio; prodeſſe tamen demto ſanguine, celebratis jam neceſſariis venæ ſectionibus, leviſſime tantum frigidiuſcula, prodeſſe acidiuſcula, utpote quæ ſanguinem in orgaſmum deductum, conſopire valent; quod ſi orgaſmo conſopito, demta plethora, reſtet adhuc tuſſicula quædam, opium forte parce datum ſerius prodeſſe eo ſcopo poterit, ne ipſa ſuccuſſio per tuſſim inducta, novæ hæmoptoës fiat cauſa.

§. XXIII.

Hæmoptoë *traumatica*, ſeu *vulneraria* variam agnoſcit originem; ſic omnis tuſſis diuturna, undecunque nata ſanguinem valebit excutere, præcipue tuſſis illa per eminentiam *ferinā* dicta; quæ pulmones diuturnis ſuccuſſionibus, ſuccuſſionibus frequenter repetitis, & validis quaſi vulnerat; hæc quoque in illis obſervatur, in quibus externum vulnus, thoracem penetrans, infligitur, ut inde & pulmo ipſe vulneretur; quod ſi magnum vulnus non fuerit, ſanari ſæpe eſt viſum; ſed etiam vulnera pulmonum interna nonnunquam hæmoptoën cauſant, ſi e. g. alienum corpuſculum inter bibendum, inter manducandum rimam glottidis ſubeat, immanem tunc tuſſim concitat, quam diutius protractam ſputum ſanguinis comitatur; oritur itidem hæmoptoës hujus ſpecies a lapſu ab alto, a forti in thoracem impactu, contuſione &c.

Eadem propemodum cura hic obtinet, quæ in peripneumonia, aut pleuritide inflammatoria; & univerſim ubicunque vis alicui viſceri atque thoraci præprimis illata fuerit; cura proderit unice antiphlogiſtica pro dato caſu plus minus generoſior; poſt aliquod tamen tempus, præmiſſis jam pluribus venæ ſectionibus, adhibitis emollientibus, & tepidis potibus, proderit lene ad veſperam opiatum.

Neque ſilentio hic præterire poſſum pravam quorundam methodum, qui in contuſionibus internis præcipue pulmonum, balſamica præſcribunt, ſcopo, ut loqui amant, conſolidante; etenim contuſa pars, pars vulnerata adeo non con-

ſoli-

ſolidabitur, ut vi balſamorum ſtimulante locus vulneratus inflammationem, eamque ſatis magnam contrahat, hacque validiori ſuborta, mala ſequatur ſuppuratio, atque lethalis in pulmonibus.

§. XXIV.

Hæmoptoën *tuberculoſam* ſuperius itidem numerabam; multiplex autem eſt tuberculorum origo; vel enim fiunt a ſcrophuloſa materie, aut etiam a non ſcrophuloſa quidem, ſed ſimplici pituitoſa ad thoracem decumbente, aut etiam a non bene ſoluta pleuritide, & peripneumonia prægreſſa, ſed depoſita lymphæ coagulabilis portione ad pulmonis ſubſtantiam: verumtamen quæcunque ſit origo illorum in pulmonibus, omnis generis tubercula pulmonum, hæmoptoën facere ſunt obſervata; difficilior etenim erit humorum ſanguineorum per partes pulmonis tuberculis obſeſſas motus, difficilior circuitus; hinc præcipue ſi cor dextrum violenter moveat, atque movere pergat in pulmonem ſanguinem, vaſa quædam hinc inde rumpentur, orieturque, de qua hic modo fit ſermo, hæmoptoës ſpecies.

Proſunt imprimis parvæ venæ ſectiones eo ſcopo, ut vis cordis minuatur non minus, quam movendorum moles; proſunt blandiſſima inde ſolventia, ſerum lactis, aquæ præprimis ſelteranæ, roitſchenſes, aliaque ſimilia.

§. XXV.

Hæmoptoë *chronica*, ſeu *habitualis* oritur plerumque in homine ad phthiſim prædiſpoſito, ſed

ſed cæterum perfecte ſe bene habente; ſæpius redit, & emanet iterum, iterum denuo rediens; ſanguis primo grumoſus, dein fluidus exit, quod varices in pulmonibus præſentes retinendo aliquamdiu ſanguinem, ruptæ poſtmodum grumoſum reddant, quem fluidus ſubſequitur: abit in phthiſin per ſe quidem non raro, ſæpius licet ob perverſam curam, roborantia ſcilicet, aut balſamica ſi propinentur; ſic enim firmatis totius corporis vaſis, magis impeditur circulus, plus ad pulmones forte debiliores defertur ſanguinis, hinc & citius rumpuntur vaſa, atque inde fit ulcus, ex quo phthiſis ordi-tur.

Curatur repetitis quidem, ſed parcis venæ ſectionibus, antiphlogiſticis mitioribus, diæta vegetabili, excarni; vitando ea, quæ humorum circulum accelerare valent. Laudat Cl. Mackbride ipecacuanham parcis doſibus, ut intra nauſeas effectus illius conſiſtant, & quaſi revellatur ſanguinis copia a pulmonibus ad irritatam partem; ad finem peruvianum corticem; ubi autem ſæpius redierit pulſu ſemper duro manente, phthiſim timendam ait, ubi ſerum lactis, vel aqua ſelterana cum lacte aſinino, aër purus, & equitatio ſuadentur.

§. XXVI.

Hæmoptoë *periodica* a ſuppreſſa ſolemni evacuatione noſcit natales, ſanguine ad pulmones modo recurrente; ſit illud a ſuppreſſis catameniis, ſeu ſit a ſuppreſſis hæmorrhoidibus, eadem ratione intempeſtive exitum per pulmones molientibus.

Si

Si a ſuppreſſis menſtruis fuerit, in ipſo hæmoptoës actu generalibus inſiſtes, ligaturis, quiete ſumma, enematibus emollientibus, demum & aliquantulum irritantibus, ut ſic ad inferas partes derivetur ſanguis; reliquo autem tempore in ſuppreſſionis cauſam inquires, eique auferendæ adlaborabis; pediluvia, ſemicupia ſuadebis, remediaque blandiſſime & urinam, & alvum moventia; hæc ſiquidem remedia humores per debita corporis cola blande educunt, utut ſit abſtinendum omni modo a validioribus emenagogis.

Ea, quæ ſit ab hæmorrhoidum ſuppreſſione ſanguine ſeſe erronee per pulmones evacuante, in actuali fluxu iisdem propemodum levatur, quæ mox recenſebam in hæmoptoës actu a menſtruis ſuppreſſis; ſilente autem hoc fluxu, inventæ cauſæ occurres, præſto eris remediis leviter aperientibus, blandiſſime ſollicitantibus alvum, atque iis omnibus, quæ hæmorrhoidales venas aperiunt, quin tamen ſimul inducant humorum univerſalem orgaſmum; hinc proſunt hirudines, profuit etiam, vaſa hæmorrhoidalia aperire linctu canis, vel felis, vel & frictione cum foliis ficus peracta, aut etiam lanceola; juvat itidem, derivare ſanguinem ad vaſa hæmorrhoidalia inſeſſu in aquam dulcem per ſemicupium, vel vero juvabit eundem ſanguinem provocare vaporibus, ope ſellæ perforatæ ad anum admiſſis.

§. XXVII.

Hæmoptoës *abdominalis* ſpecies tanquam novum genus ſpectari poteſt, ſubdividendum denuo in ſpecies alias inferiores; prout enim illa

cauſa

cauſa in abdomine reſidens varia fuerit, ita etiam hæmoptoës abdominalis varia erit ſpecies.

Uterus gravidus in quibusdam prædiſpoſitis, impediendo liberum humorum per abdomen motum, ſanguinem verſus laxos forte pulmones urgendo; uterus, inquam, gravidus in quibusdam ultimis graviditatis temporibus hæmoptoën efficit; prægrande alicubi ovarium, & in molem immanem excreſcens, alvus diutiſſime obſtructa, fæces antiquæ ſputum cruentum fecere. Patet hic curam in generalioribus illis conſiſtere, alvum reſerare, eamque tenere apertam debere.

Hydropicorum quoque hæmoptoë haud infrequens eſt, ubi videlicet abdomen nimium quantum ab aqua turget, ita ut difficillimus ſit humorum per abdomen motus, ut inæqualis per omnes corporis partes ita fiat ſanguinis diſtributio, plus ſanguinis petat caput, plus pulmones, fortaſſis jam ab alio vitio debiliores, ita quidem ut laxior pulmo decumbentem ibi ſanguinem, validius illuc ruentem nequeat ſuſtinere; non raro hæc hæmoptoë ſub ultima modo hydropis conſummati tempora accidit; nonnunquam etiam in hydrope, qui primo aſpectu non adeo periculoſus videtur, oritur, idque ſubito, aquis videlicet partem aliquam ſubito deſerentibus, & petentibus thoracem, vel vero aquis ad caput ſubito ruentibus; atque inde explicandæ veniunt hydropicorum repentinæ, ſuffocantes, vel appoplecticæ mortes. Cura equidem ſi quæ fuerit præter generalia, ea erit, quæ principis morbi curationem abſolvet; ſi autem ultimis hydropis temporibus

id

id accideret, vix non conclamatæ res habentur, neque boni quid ſperare licebit.

Sed & hæmoptoë abdominalis oriri poteſt a ſpaſmo ventriculi, & inteſtinorum, undecunque nato, nato non a bilioſa ſaburra ſolummodo, ſed etiam a ſaburra verminoſa, ab animi pathematibus, a quacunque demum alia cauſa; hæmoptoë hypochondriacorum, & hyſtericarum ſolis ſæpe ſpaſmis debet originem. Medebuntur eidem, quæ ſpaſmos conſopiunt, evacuantia, anthelminthica; hinc eſt, quod hypochondriacorum, & hyſtericarum hæmorrhagias antelminthica ſæpe tollant; atque hæc eſt hæmorrhagiæ ſpecies, ubi opium ſubitaneam fert opem; hinc etiam eſt, quod cum maxima utilitate, & fructu adhibita legamus in hæmoptoicis veſicantia, quæ res non alios omnino explicatus admittit, niſi quod veſicans in ea, cui applicabatur, parte dolorem excitando, ſolveret alibi exiſtentes ſpasmos, qui cauſa hujus hæmoptoës fuere: explicari quoque inde poſſunt, alterantium effectus, ipecacuanhæ præprimis, ea puſilla doſi datæ, ut vomitum non excitet, ſed ut effectus illius omnis intra ſolas nauſeas & vomitutiones conſiſtat, ut ſic in abdomine, aut ubicunque exiſtentes ſpasmi ſolvantur irritato leviter ventriculo, irritatis inteſtinis; ea ſiquidem univerſalis in œconomia corporis animalis lex obtinet, ut, accedente per artem excitato ſpasmo, qui prius ſpasmus aderat, tollatur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Hæmoptoë ab *eroſione* variam itidem patitur ſubdiviſionem, prout materies erodens, materies, quæ pulmones exulcerat, variaverit, prout fuerit vel venerea, ſcabioſa, ichoroſa, herpetica, vel vetus catarrhoſa, aut etiam materia ſcorbutica &c.

Quare & cura varia ſit neceſſe eſt, pro ratione varia peccantis materiæ; novimus efflorefcentias diverſas cutis ferme omnes facillime ad interiores partes recurrere, & præ cæteris petere pulmones: quod ſi actu hæmoptoë adſit, proderunt illa omnia, quæ in omnibus hæmorrhagiis adhiberi conſuevere, quies, ligaturæ, abſtinentia ab aromaticis, calefacientibus &c.; extra eandem vero neceſſe erit, indagare in naturam materiæ erodentis, cui, cum per artis ſigna innotuerit, omnem aptare medelam erit neceſſe.

§. XXIX.

Ultimo memorando venit hæmoptoë ab *oſſificatione* aortæ, atque ab *aneuriſmate* ſiniſtri cordis, quarum prior fit a retardato deſcenſu ſanguinis per aortam, forte ob aortam alicubi preſſam, quæ preſſio innumeris utique modis contingere poteſt, forte ab ejusdem oſſificatione; ſi oſſificatio cauſa fuerit, immedicabilem hanc eſſe quisque videt; palliare fors illam poteris minuendo impetum ſanguinis parcis, & repetitis venæ ſectionibus, diæta tenui, vitando ea omnia, quæ circulum, & copiam ſanguinis augere poſſent; ſi autem preſſio induxerit malum, ſique eadem auferri

i poterit, ſpes curæ ſupereſt per ablationem ejus-
em; ea vero, quæ a cordis ſiniſtri aneuriſmate
gnoſcit originem, incurabilis omnino eſt, neque
liud præſtare poteris, quam inſiſtendo generali-
us, ut eam aliqua ratione lenias.

Hæmorrhagia ventriculi.

§. XXX.

Vomitus cruentus græcis αἱμωτεμεσις, ab αἱ-
μα ſanguis & εμεω vomo derivata vox, ſanguinis
um conatu vomendi per os rejectionem ſignificat.

Sanguis varius eſt, plerumque niger, inter-
lum grumoſus, contentis ventriculi, bili, pituitæ
&c. mixtus.

In eo hanc hæmorrhagiam diſtinguunt ab
a, quæ per pulmones fit, ut ſuperius adnotabam,
quod in hac floridus, ſpumans, coccineus, & cum
uſſi atque ſtrepitu ejiciatur ſanguis, teſte Illuſtr.
Præſide a); ſic & Hippocrates b) habet: qui *ſan-
guinem ſpumoſum exſpuit, huic ex pulmone talis
rejectio fit;* ubi e contra ut plurimum grumoſus,
excitato vomitu, ſine tuſſi e ventriculo expelli-
ur; verum & ſuperius demonſtrabam, ſanguinem
ſæpe ex palato, naribus, faucibus profluere, qui
vomitum nonnunquam ſimulat, unde titillatio cir-
ca

a) Præcept. Med. Tom. I. p. 199.
b) Aphor. Sect. 13.

ca illas partes, inſpectus, & accuratius examen diſcrimen facile dabunt; nam quod ſanguis proprie ex ventriculo prodeat, docent præterea ſenſus doloris, preſſionis, & gravitatis ad regionem ventriculi ferme continuus, copia non adeo magna, ſanguis cum nauſea rejectus, ac mordacitas, in deglutiendo, tum ſanguis aliquando cum cibo, alias cum bile vel pituita mixtus a). Ante vomitum per aliquod tempus percipiunt ægri in ſcrobiculo cordis anxioſam quamdam contractionem, cum gravitate, & tenſione infra coſtas ſpurias, ad hypochondria præprimis, anxii demum fiunt, & grumoſum ejiciunt ſanguinem; quo evacuato, levamen percipiunt, anxietas, & tenſio evaneſcit, parum, aut nil virium amittunt, ſiquidem ſanguinis evacuatio non fuerit nimia b).

Arbitrabantur olim, quam modo, plures, ſanguinem in ventriculum per vaſa brevia venoſa infundi, quæ liquidum ſuum per ramum ſplenicum eodem ablegant; verum id fieri contra leges circulationis novimus; alii vero brevius, & magis naturale, magisque aliis hæmorrhagiis analogum iter ſtatuunt, hunc ſanguinem per extremos arteriarum apices effundi in ventriculum, ſive ibi dehiſcant, dilatentur, aut diſrumpantur eædem, aſſerentes.

§. XXXI.

a) River. Prax. Med. l. 9. c. 8.

b) Ill. L. B. de Störck loco cit.

§. XXXI.

Variæ ſtatuuntur vomitus cruenti ſpecies, eſumtæ ut plurimum a variis, quibus excitatur auſis, quas ſingillatim recenſendo, ipſas multilices, & inter ſe diverſas vomitus cruenti ſpeies in medium adferam.

Sanguis quantitate peccans, aut idem in uis canalibus plus æquo rarefactus, ſeu plethora era non minus, ac ſpuria vaſa rumpere, aut eoum ora extrema dilatare, & aperire potis eſt; cruor imius in corpore coacervatus ob alias ſolennes vacuationes ſanguineas impeditas, menſtrua pua, hæmorrhoides, conſuetas venæ ſectiones &c. lethora, ſed plethora tandem ad ventriculum deerminata, ibique hæmorrhagiam faciens; inde ſt, quod quædam fæminæ reperiantur, in quibus ienſtruæ purgationes, obturatis uteri viis per omitum periodice fluunt; & alii ægrotantes, in uibus deficiente hæmorrhoidum ſolito, & ordiato fluxu, ſanguis per os, aut nares ſtato temore rejicitur, vel idem diſſolutus admodum faile ab extremis, & capillaribus arteriis elabitur, t excidit, minus deinde per venas revehendus, uare plethorici, & habitu athletico donati, item t qui victu euchymo, & copioſo utuntur, aut odem ſpirituoſo, & calido, vaſorum ruptioni, tque dilatationi ſive in ſtomacho, ſive in aliis artibus præ aliis obnoxii ſunt; cum enim diſtens ſanguiferis vaſis a cruoris redundante copia, ve ab ejusdem aucto motu, non poſſit ille connuo cordis motu propulſus libere circuitum ſuum eragere, neceſſe eſt, ut hic, aut illic fractis ſuis arietibus, & repagulis, erumpat, ac facilius

quan-

quandoque in ſtomacho interiori, ubi vaſa magis laxa & mollia ſunt, utpote ſemper irrigua, & per plures digeſtiones, multosque ventriculi labores debilitata.

Quod de athleticis, plethoricisque corporibus dictum eſt, dici pariter de iis debet, qui febre ardente, maligna, peſtilentiali, varioloſa, morbilloſa &c. tentantur, aut qui ab aliqua externa, & procatarctica cauſa, inſolatione videlicet, exercitio immodico, ſeu corporis, ſeu animi, vini, & liquorum ardentium immoderato uſu admodum excalefacti ſunt &c., in quibus, quia ſanguis eſt valde attenuatus, aut vehementius in vaſis ſuis motus, non poteſt, vel minima data occaſione, quacunque ratione id fiat, per anaſtomoſin, rixin &c. non effundi.

Verum & alia eſt cauſa cur ſpaſmus in partibus membranaceis imi ventris, ubi turbato ſanguinis per vaſa infimi abdominis motu ob partes ſpaſtice contractas, unde ſanguis excluditur, & in alia viſcera urgetur copioſius, localem plethoram efficiens, unde variæ hæmorrhagiæ fontem ſuum agnoſcunt; ſi enim id ad nares fiat, aut fiat ad pulmones, mala ſuperius deſcripta habebis; ſi vero ad ventriculum determinetur, per ruptos, vel dilatatos vaſorum apices exitum molietur.

Sed & cauſa cruenti vomitus habetur in obſtructionibus viſcerum abdominalium ventriculo vicinorum, ſeu hepar, ſeu lien, aut quodcunque aliud fuerit viſcus; etenim hæc obſtructa ſanguinis motui per ea obicem ponunt, atque inde excludunt, hinc neceſſario efficiunt, ut per

ali-

aliorum viſcerum vicinorum arterias plus ſanguinis fluat; etenim hepate, vel liene obſtructo, per arterias ventriculi e. g. plus ſanguinis fluet, valentius, atque majori cum impetu, unde vaſorum ventriculi dilatatio, aut ruptura, atque inde hæmorrhagia, & vomitus cruentus; ſed & alia ratione affecto hepate vomitus cruenti origo concipi poteſt; ſi ſcilicet ſanguis ex vaſe hepatico arterioſo, vel venoſo dilatato, aut rupto effundatur, & deferatur per ductos biliarios ad duodenum, atque inde ad ventriculum, unde vomitu excutitur.

Neque minus frequenter á debilitate vaſorum ventriculi, ab eroſione, ab exulceratione venarum, & arteriarum, quæ ſtomachum perluunt, procedit vomitus ſanguineus; atque id per omnia illa, quæ virtute acri, cauſtica, & corroſiva donata ſunt, apta proinde tunicam ſtomachi internam & ipſam perreptantia vaſa exedere, ac exulcerare; in cenſum huc veniunt purgantia vehementiora, emetico-draſtica, conatum vehementem in vomendo excitantia, venena hauſta, liquorum acidorum uſus, pulvis cantharidum aſſumptus, comeſti fungi, atque alii cibi pravi, acredinem & corruptelam venenatam facile contrahentes; vermes mordentes vomitum, & alvum cruentam, dyſentericam ferme faciunt; hirudo forte cum aqua fontana, aut fluviatili deglutita teſtante feliciſſimo Riverio a); humores etiam acres ſtygii, aut per moram in ſtomacho tales facti; aut a ſanguine ſalibus onuſto ſuppeditati, &

a) Obſerv. 26. Centur. 4.

in ſtomachum depluentes, non adſimiles iis, qui in pulmonem delapſi, hæmoptoën pariunt; bilis acrior, tempore quo bilioſæ febres epidemice graſſantur, bilis ſtimulus, inquam, alliciens ad ventriculum ſanguinem, vomitum cruentum cauſat.

Habetur quoque vomitus cruentus a percuſſione externa violenta ortus, a vulnere, periculoſus certe, ſi ſanguis in cavum abdominis ſimul effundatur; quod noſces a tumore abdominis, pallore faciei pulſu debili, extremis frigidis, ubi convulſio, & hanc inſequens mors, ſcenam claudit; externas inter aut evidentes cauſas recenſetur equitatio validior, ſaltatio, crapula ingens, & plura hujusmodi, quorum effectus nimiæ ventriculi diſtenſioni, & ſolutioni eſt tribuendus.

Alia ſpecies cruenti vomitus illa obſervatur, quæ a cancroſo ulcere ventriculi provenit: aderat mox præterlapſis annis in toties memorato noſocomio vetula, quæ & vomitu, & ano ſanguinem ejiciebat, quæ etiam inde occubuit; in fundo ventriculi ſcirrhus reperiebatur non ſimplex, ſed in cancrum jam converſus, ſpeciem referens majoris tuberis ſolani; vaſa ampla, varicoſa, ex omni parte verſus cancroſum ſcirrhum extendebantur, ubi in ipſo eroſa, atque fundentia ſanguinem, deprehendebantur.

Solemnior cruenti vomitus eſt illa ſpecies, quam etiam *morbum nigrum* Hippocratis vocant, ſeu *morbum atræ bilis*, cujus brevem hanc adjungam deſcriptionem. Varicoſa ventriculi redduntur vaſa venoſa ea prorſus ratione, ut in hæmorrhoidariis vaſa tumere ſolent, aut quemadmodum

va-

varicoſa in cruribus gravidarum redduntur; fit autem id varias ob rationes, præcipùe incuſatur ſanguis menſtruus diu retentus, vel vero fluxus hæmorrhoidalis alias conſuetus ſubſiſtens, aliæque modo evaneſcentes ſolitæ evacuationes, ſanguine ad ventriculum decumbente; quod ſi forte vel ipſa ſanguinis in tali varice contenti, grumoſique accedat accrimonia, quæ varicem erodat, vomitus ſequetur grumoſi, atrique ſanguinis, *vomitus dictus atræ bilis;* vel vero ſi medicamentum quoddam draſticum aſſumatur, ſi aſſumantur alimenta acria, quæ ſollicitent, rodant, aut diſrumpant varicoſas venarum tunicas, ſequetur vomitus materiæ ſanguineæ, ſpiſſæ, grumoſæ, atræ, quæ materies ore, & alvo ſæpiſſime copioſe ejicitur; hæc vomitus cruenti ſpecies haud rara occurrit, atque optime a Tiſſoto deſcripta in epiſtola ad Zimmermannum habetur, ubi plura legi hanc in rem poſſunt.

Prænuncii plerumque habentur, contractio in ſcrobiculo cordis, gravitas hypochondriorum, dolor ſine oppletione ventriculi, ſine vitiis bilis aut diætæ errore, ſpinæ dorſi dolor; poſt paſtum, aut cibos ſtimulantes, purgationes, evacuationem, ſequitur debilitas, animi deliquia.

Datur ultimo vomitus cruentus ſimulatus; habentur exempla, ubi ſanguis crudus animalium deglutiebatur, potiſſimum ab iis, qui militiam abhorrent, ut ferendis armis inepti pronuncientur; hic ſanguis recens deglutitus inde vel per ſe vomitum faciens ejicitur, aut etiam deſuper aſſumto emetico.

Quare perſpectis diverſis his cauſis, patet nullatenus antiquis aſſentiendum, qui ſtagnantem ſanguinem a capite, liene, utero &c. tanquam a partibus mandantibus deducunt, vomitus cruenti cauſam ſtatuentes; error namque ille ſatis ſuperque concidit per ſolam circularis ſanguinis motus doctrinam, quamquam nos etiam non negemus, eundem aut ex ore in ſtomachum deſcendere poſſe, ut in puero recens nato poſt frenulum ſublinguale reſectum contigiſſe notant obſervatores, aut dum in repleta nimis mamma loco lactis, ſanguinolenti ſeri copia ab infante exſugitur, deglutitur, & paulo poſt revomitur, vanum vomitus cruenti terrorem inducens, aut ex gutture, faucibus, & œſophago a ſero acriori eroſis, atque exeſis, vel a quacunque cauſa dilatatis, ruptisve ibidem vaſis, imo & inteſtinis ſtomacho vicinioribus, aut etiam ex pancreate, atque hepate ulcere laborantibus, ſi nempe per ductus biliarios, aut choledochum deferri in duodenum poſſit, atque hinc in ventriculum exantlari, unde vomitu etiam reddi obſervatur.

§. XXXII.

Morbus hic periculo vix unquam carens, ex cognita cauſa, modo excernendi, ac copia humorum excreta, effectibusque inde ſubſecutis, plus minusve periculi ſubeſſe medicum docebit. Si diuturnior hæc perſtiterit ſanguinis evacuatio, communia omnibus hæmorrhagiis modum excedentibus relinquit mala, atrophiam, partium etiam affectarum exulcerationem, & hinc phthiſin teſte Hip-

Hippocrate a) *a ſanguinis vomitu tabes, & puris purgatio ſurſum;* periculum hujus evacuationis alio loco b) adnotat: *Sanguinem ſuperne efferri malum;* magna ſi fuerit ſanguinis rejecti quantitas, vel ſi prava ſuperveniant ſymptomata, periculum adaugent: *Sanguine multo effuſo convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum* c); item, *a ſanguinis fluxu delirium, aut etiam convulſio malum* d); tum alio in loco: *Qui ſanguinem vomunt ſiquidem ſine febre, ſalutare; ſi vero cum febre malum* equidem in febribus putridis malignis, varioloſis &c. prouti omnis hæmorrhagia valde eſt periculoſa, ita etiam ſanguinis vomitus vix non ſemper eſt lethalis; periculum eo majus dicendum, quo majus, & notabilius vas ruptum fuerit, & copioſior ſanguinis rejectio; item ſi arteria potius, quam vena ſit rupta, utpote ſanguinem magis floridum, magisque vitalem, vehementius fundens; ſi notabile ſtomacho vulnus inflictum fuerit, ſi lipothymiæ, & ſyncope frequenter ægrum infeſtent; minus vero portenditur periculum, dum affectus ex ſuppreſſione menſtruorum, aut hæmorrhoidum vel alterius ſolennis evacuationis prodit, dum vas dilaceratum non eſt admodum inſigne, nec ſanguinis rejectio copioſa, dum ſanguis ex ore, faucibus, œſophago in cavitatem ſtomachi delapſus eſt, aut ex inteſtinis pro-

a) Sect. 7. Aphor. 78.

b) Sect. 4. Aphor. 25.

c) Idem Sect. 5. Aphor. 3.

d) Idem Sect. 7. Aphor. 9.

e) Sect. 7. Aphor. 37.

proximis aſſurrexit, vel ex pancreate &c., niſi aliunde partium cruorem fundentium dilaceratio magna fuerit.

§. XXXIII.

Rarius excretione a natura facta hoc malum ſolvitur, ſuperveniente diarrhæa bilioſa, aut calculoſa, hæmorrhoidibus, vel fluxu menſtruo juxta Hippocratem a): *Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus ſolutio fit.* Omnis cæterum indicatio medendi ea erit, ut minuatur niſus cruoris in ventriculi vaſa, ut is niſus a ventriculo avertatur; ut cauſæ ad ventriculum determinantes, aut allicientes ſanguinem vel enerventur, obtundantur, aut auferantur: tandem ut effuſi cruoris copia abſoluto jam vomitu in ventriculo, & inteſtinis a putredine præſervetur, atque brevi ex his eliminetur, ne putridus atque acerrimus factus ſanguis peſſima inducat mala.

In paroxiſmo igitur alia, alia extra eundem erit medendi ratio; in illo generalibus in omni cauſa convenientibus, ligaturis artuum, quieti ſummæ, phlebotomiis ſæpiſſime inſiſtes, habita tamen cautela illa, ut ſi hæmorrhagia jam nimia ſit prægreſſa, ſi metus ſit, cito cohiberi non poſſe per venæ ſectiones, ab iisdem potius deſiſtamus, ne novam κενεαγγείαν, eamque majorem per venæ ſectiones inducamus, quam inductura ſola hæmorrhagia fuiſſet; proderit tamen enema frequenter injectum, enema emolliens, leniter irritans, ut

a) Sect. 5. Aphor. 32.

ut humorum motus ad infimum abdomen fiat, potiſſimum depletis inteſtinis, atque adeo minus ruat humorum motus ad ventriculum, reſtituatur motus periſtalticus, & cum eo ceſſet vomitus: ſed & potus nitroſi conveniunt, potus demulcentes, aqua ſimplex, & aqua frigidiuſcula cum nitro, ſucco citri, ſucco granatorum, ribeſiorum, aliorumque acidorum, ſed eorum præprimis, quæ ventriculo amica, & grata ſunt, nauſeas, vomitumque avertere poſſunt, quæ apta nata ſunt, ad ſanguinem orgaſticum tunc temporis præſentem componendum. Tandem hic adſtringentia locum obtinuere præcipue in gravioribus ventriculi hæmorrhagiis, ſiquidem ea immediate hic applicari valent, ubi tale auxilium adferre ſolent, quale externe loco ſanguinem fundenti applicata videmus: hic ſolutiones vitrioli martis, ſolutiones aluminoſæ, ſucci adſtringentes fructuum immaturorum apprime conveniunt, ſuccus catechu, cæteraque adſtringentia, cum hic ad locum quaſi vulneratum, ad ipſos arteriarum, aut venarum apices diſruptos, aut nimis dilatatos applicentur; ubi e contra in hæmorrhagia narium, aut pulmonum, ut ſuperius oſtendebam, hæc adſtringentia interne minus conveniunt, utpote quæ ad locum affectum immediate applicari nequeunt.

Quod ſi ex illis quæ præceſſerunt, ex præſentibus, vel ægrotantis, adſtantiumve relatu mali cauſa ut plurimum manifeſtetur, contra hanc pugnabis: ſi plethora innotuerit, orgaſmus, quietem ſummam, venæ ſectiones caute & in tempore inſtitutas, antiorgaſtica, refrigerantia requirunt: ſi fuerit a ſuppreſſis conſuetis evacuationibus, revellentia, aut derivantia ad illa loca, per

quæ

quæ alias excerni conſueverant, per ablationem cauſæ talis ſuppreſſionis, indicantur.

Acrimonia humorum, cibi, potus, medicamenti, veneni exigit aquoſa., oleoſa, lactea, mucilaginoſa, diluentia, vel ſpecifica acrimoniam invertentia, imo & vomitoria, ſi venenum in ventriculo adhuc adfuerit, neque præſente inflammatione, ſaltem graviore. Si vomitorio medicamento draſtico inepte dato originem debeat, proderit, ſint vaſa varicoſa, aut etiam non varicoſa, diſrupta, copioſus potus ex lacte, & oleo, & his conſimilibus, ut irritans medicamentum obtundatur, & obvolvatur, dein vero ſi nihilominus perſtaret vomitus, & ipſa motio corporis, violenta agitatio inter vomendum ſanguinem magis magisque ad ventriculum alliceret, & ſic hæmorrhagiam augeret, proderit opium, non tam ut pravum irritantem ſtimulum educat, quod utique minime præſtat, ſed ut excitatos tumultus ſopiat, & ventriculum reddat inobedientem irritanti ſtimulo. Si a diſſolutione humorum, ut in variolis, febribus putridis, malignis &c. accidit, febris cura inſtituenda antiſepticis, compingentibus, præcipue cortice, acidis mineralibus, aliisque optime indicatis. Si vermes, anthelminthica, evacuantia: ſi obſtructiones, ſolventia: ſi ſpaſmi, antiſpaſtica, opiata per os, clyſmata, & ſcuta ſtomachica applicantur: ſi humorum tenuitas, & laxitas ſolidorum, roborantia, adſtringentia, & incraſſantia: ſi ab hirudine deglutita, indicatio eſt enecare per muriam ſalis communis, tum evacuare per emeticum, ſanguinem adhuc fluentem cohibere per aquam frigidam, vel alia adſtringentia: ſi violentia externa, ſumme antiplo-

phlogiſtica: ſi bilis ſtimulus, ſolventia, evacuantia: ſi ulcus cancroſum, antiſeptica, adſtringentia, demulcentia, palliativo ſaltem ſcopo occurrent: quare decantata ſpecifica omnia vana eſſe, neque tale mereri nomen, ſponte patet.

Fracto hæmorrhagiæ impetu, aut finito jam vomitu, ſanguinem adhuc in ventriculo, vel inteſtinis hærentem attenuare, a putredine præſervare, atque evacuare indicatur; id quod præſtant remedia purgantia, aceſcentia, vegetabilia, ut fructus tamarindorum, caſſia, manna, cremor tartari, rheum vel ſolum datum, vel cum myrobolanis, vel rheum toſtum, atque idem ſolum, vel cum cremore tartari, doſi frequenti, ſed exigua exhibitum, ut partim diſrupta vaſa ad ſe invicem adducantur, partim etiam, ut reliquiæ grumorum alias putredinem contracturæ præſerventur, & blande eliminentur.

Si lipothymia, ſyncope, atque virium deperditio affectum hujusmodi comitentur, ut ſæpe contingit, imprimis poſt magnam rejecti ſanguinis copiam, remediis jam memoratis cardiaca, & reficientia vires, admiſcenda veniunt.

Victus ratio, quæ in hoc affectu non exiguam attentionem meretur, cauſæ ſanguinei vomitus accommodata ſit neceſſe eſt; ſic demulcens, & incraſſans in tenuitate, & acrimonia cauſæ morbificæ, quo in caſu avenata, hordeata, gelatinæ, oryza, emulſiones, carnes juniorum animalium, omniaque viſcoſa, gelatinoſa, & glutinoſa edulia plurimum conveniunt; in humorum orgaſmo debet eſſe refrigerans, & acidiuſcula; in habitu eu-

ſar-

ſarco, & plethorico ſit tenuis, & parca; in obſtructionibus aperiens &c.; ſemper vero in omni occaſione plus, minus adſtringens, ut ſtomachi vulnus, quod maxime urget, citius coaleſcat, vitando cane pejus & angue ſalſa omnia, acria, piperita, & nimis detergentia, verbo, quæcunque ſolutam ventriculi unitatem impedire, novamque ſanguinis effuſionem inducere poſſunt. Præterea modicum admodum, euchymum, ſeu facilis coctionis, & ſæpius repetitum alimentum ſumat ægrotus; inter fructus cydonia condita, aut cocta, malus punica, ceraſa acidiuſcula, berberis fructus, imo & pulpa ſorborum, atque meſpilorum, parca tamen quantitate ſumta, locum habere poſſunt; ſomnus ſit moderatus; aër temperatus, potus exiguus, & ex decocto aliquo nonnihil ſubadſtringente; cum ſucco cydoniorum, aut granatorum; alvus ſit libera, animi pathemata æque, ac corporis exercitia nimia fugiantur.

Hæmorrhagia inteſtinorum.

§. XXXIV.

Si ſanguis alvo ſine dolore notabili reddatur, *diarrhœam cruentam*, aut *hæmorrhagiam inteſtinorum* vocant practici.

An aliud fuerat *fluxus hepaticus* antiquorum, quam diarrhæa ſanguinea, ſed dilutior, ſanguine cum multo ſero permixto? morbus enim hic ita raro obſervatur hodiernis medicis, ut afferat Sylvius de le Boë, celebris olim apud Batavos

pra-

practicus, & cum illo magna practicorum præſertim neotericorum cohors, ſe nullum unquam hoc affectu detentum vidiſſe, quod dedit anſam quibusdam dubitandi, an *fluxus hepaticus* dictus, excogitatus potius fuerit, quam obſervatus, aut ſaltem, an alius quidam morbus pro hoc fluxu acceptus illis fuerit: equidem hepaticus fluxus veteribus deſcriptus eſt revera *non ens*; cum hi hepati ſanguificationis attribuerint munus, ex qua deficiente hunc fluxum oriri contendebant, quorum primum falſum cum ſit, quod ſupponat ſanguinem ex chylo fieri in hepate, a quo per meſeraicas venas, & portæ ramos attrahitur, atque adeo anatomiæ repugnet, & recepto nunc apud omnes medicos motui ſanguinis circulari, non poteſt quin ex ſe ipſo penitus alterum corruat, refutatione prorſus indignum.

§. XXXV.

Varias illius ſpecies, diverſæ, quibus debet ſuos natales, cauſæ conſtituunt, quas ut enumerem ſuadet ratio. Haud raro oritur in hominibus plethoricis, in hominibus, qui cujusdam membri amputationem, membri imprimis alicujus majoris paſſi fuere, qui plus ſanguinis conficiunt, quam mutilatum corpus conſumere poſſit; obſervatur in ſedentariis, otioſis, in laute paſtis, in fœminis opipare viventibus: diarrhæa hæc ceſſat, & denuo redit, atque evacuationem nimii humoris facit, facit ſubin vices venæ ſectionis, vel hæmorrhagiæ variæ, aut alterius cujusdam, & innoxiæ, conſuetæ tamen profuſionis ſanguineæ; hinc hæmorrhagia narium, lochia, hæmorrhoides &c. ſuppreſſæ diarrhæam

ſan-

ſanguineam producere valebunt. Obſervatur quoque in obſtructione viſceris cujusdam abdominalis, præprimis vero hepatis. Ab inteſtinorum læſione, a roſione per vermes facta, facta a medicamentis rodentibus, inflammantibus, cantharidibus interne aſſumtis; novimus cantharides interne in variis morbis præcipue viarum urinariarum præſtans dare remedium, ſed doſi pauciſſima, ſed datæ cautiſſima manu; hinc contingit, ut ſi dentur largiori doſi, diarrhæam cruentam efficiant. Diarrhæa cruenta obſervatur itidem a ſquilla, a corpore acri quocunque, a vitro deglutito; novimus homines quosdam vitra conterere dentibus, & deglutire innoxie; ſit tamen perſæpe, ut commorſum vitrum inteſtina vulneret, atque diarrhæam inducat cruentam. Alia diarrhææ cruentæ ſpecies eſt a rupta inteſtinorum varice; novimus enim vaſa ventriculi, & proximorum inteſtinorum ampliari, reddi varicoſa eo prorſus modo, ut obſervatur in recto inteſtino, eadem rumpi more varicum inteſtini recti in hæmorrhoidibus, & inde oriri diarrhæam cruentam, ſalutarem ſubinde, ſi is fluxus ſanguinis non ſit profuſus, ſubinde etiam lethalem. In putridiſſimis, maligniſſimis febribus, in febribus varioloſis, petechialibus &c. malo quidem omine obſervatur diarrhææ cruentæ ſpecies; qualem in febre variolas confluentes comitantem deſcribit Sydenhamus; ſed & in ſcorbuto, & in hydrope æque mala occurrit.

§. XXXVI.

Idem omnino pediſſequi habentur effectus, qui aliis præternaturalibus tam ſanguineis, quam alterius generis evacuationibus ſuccedere conſue-

ve-

rerunt; ſiquidem ad cachexiam, tabem, hydropem, & ſimilia diſponit corpus, etiam ex κενεαγγεια mortem inducens.

De morbi hujus eventu diverſimode ominandum; ſi enim affectui chronico, & rebelli, variis acutis, & malignis febribus, longis diarrhæis, atque dyſenteriis ſuccedat, periculo plenus eſt, & ſæpe lethalis; item ſi cum pravo corporis habitu, in cacochymicis, ſcorbuticis, hydropicis &c., virium jactura, febre lenta, & viſcerum infarctu confirmato junctus videatur; quod ſi per ſe incipiat ab aliqua externa cauſa non admodum valida excitatus, ſi hæmorrhoidum fluxui non valde inveterato aſſocietur, aut fluxui alvi ſeroſo, & recenti. Verum hepaticum fluxum conſtituens, aut (quod uſque aliquando contingere poteſt) poſt aquas minerales epotas, & non recte excretas ſuperveniat, conſtantibus aliunde viribus, nec admodum depravato ſanguine, adeo magna mala non ominatur. Dum molæ inteſtinorum exeunt, ſeu concrementa ſanguinea, cartilaginea, fibroſa cum ſanguine puro, quæ præcedit adſtricta alvus, dolor inteſtinorum, imminutus appetitus, animi deliquia, & mortem intra paucos dies inſequi affirmat Celeb. Vogel.

§. XXXVII.

Ex idea deſcripti morbi, ſpecie certe utplurimum diverſi, curam quoque variare in aperto eſt; quæ ſi in plethoricis, aut in mutilatis, in ſedentariis laute paſtis acciderit, plerumque medelam non petit, niſi vel nimia fuerit, vel eam prævertere volueris venæ ſectione: ſi vices ſup-

 preſſæ

preſſæ alicujus conſuetæ evacuationis egerit, curatur, aut proxima vice prævertitur, apto remedio evacuationem ſuppreſſam revocando, vel ſi hoc fieri recuſet, inſtituta vicaria phlebotomia: ſi ab obſtructo viſcere quodam natales agnoverit, majorem quidem attentionem expoſcit; curatur ceterum eodem modo, quo omnes ſanguineæ evacuationes, methodo univerſali, ſiquidem nimia fuerit; hac autem conſopita, princeps morbus aptis remediis deobſtruentibus, reſolventibus eſt adgrediendus.

Neque hic præterire poſſum gravem obſervationem in præſcribendis deobſtruentibus remediis: ſi pars quædam corporis obſtructa ſit, & reſolventibus tentetur, reſolutionem hanc mitiſſimis primo, dein paulo fortioribus tentandam eſſe, ſana ſuadet ratio, mitioribus in initio, paulatim tantum, & pede ſuſpenſo procedendum eſſe ad valentiora, neque præpropere & validis reſolventibus utamur, aut obſtructum non amplius reſolubilem locum nihilominus urgeamus actuoſioribus remediis, atque ita indolentem ceterum, in ſtatum inflammatorium, & ſuppuratorium convertamus; fit itidem, ut remediorum vis omnino non in irreſolubilem ſolummodo obſtructionem impendatur, ſed in peſſumdandam ſuperſtitem ſanitatem; ſiquidem adhibitis fortioribus remediis obſtructus locus adeo non reſolvitur, ut potius materia obſtruens altius impingatur, & ſuperſtes ſanitas periclitetur penitus; atque ita contingit, ut qui vivere, obſtructo loco relicto, diutius potuiſſet, ipſa medendi methodo fuerit e vivis ſublatus; hinc ſi videamus effectum nullum ſequi a lenioribus, non facile, niſi cautiſſime ad valentiora

ora accedamus, & ut primum innotuerit, nil qui emolumenti, tumorem antea indolentem incipere ſubinde dolere, illico erit ab intempeſtiva ac, & periculoſa medicina abſtinendum: verum tumor ſit ita durus, ut nil amplius organici appareat, ſed ſi durities fere ſit cartilaginea, tunc juſmodi tumor non quidem inflammabitur, non olebit, non ſuppurabitur; at vero illa remedia alida, quæ dederis, inſumentur in peſſumdandam eliquam ſanitatem; etſi enim agant ſpecialius præ eliquis in unam partem, non tamen agunt in eam llam, verum in totum reliquum corpus, illudue immutant; quæ remediis validis facta immuatio non poteſt non cedere in detrimentum ægri, ui ſic peribit ex morbo factitio, ubi non periiſet ex diuturno tumore.

Quod ſi diarrhæa cruenta cauſam inteſtinoum roſionem a vermibus factam, factam a meicamentis rodentibus, inflammantibus, canthariibus, ſquilla, vitro comminuto agnoverit, anhelminthica, diluentia, mucilaginoſa, obvolvenia, obtundentia, evacuantia præſto erunt: ſi a uptis inteſtinorum varicibus eam oriri comperum habueris, ſalutaris ſubinde erit, niſi nimium uerit profuſa; ſecus aptis remediis conſopienda s omnino, quæ in hæmorrhagia ventriculi a tali auſa orta mox commendabantur. In febribus puridis, malignis, petechialibus, varioloſis, ſcorbuto, hydrope, &c. aliam medendi methodum præer generalia, & quæ morbo principi medentur, ntiſeptica, incraſſantia, largas corticis doſes, arcam, acida mineralia, ſerum lactis aluminoſum, ntiſcorbutica &c. non agnoſcit. Ubi concrementa ſanguinea, fibroſa, cartilaginea cum ſanguine

redduntur, enemata oleoſa, juſcula cum oleo amygdalino laudat Cel. Vogel.

Victus ea omnino ratione inſtituatur, ut ſuperius in ventriculi hæmorrhagia fuerat adnotatum; aër ſit campeſtris, purus, vel alpinus, vitentur loca humida, paludoſa, vitetur quies nimia, conducit enim motus levis, & frequens, ſi aut nulla, aut pauca ſubſit febris; ſi autem febris extorret ægrum, quies imperetur, ſed tamen in loco aëre puro, & ſicco ſæpius luſtrato. At ſi hoc fieri nequeat ob degendi neceſſitatem, ob temporis, & ægrotantium circumſtantias; aër purior, & ſiccior reddatur luſtrando cubilem fumis aromaticis.

Hæmorrhagia ani.

§. XXXVIII.

Si ſanguis per aperta inteſtini recti vaſa altius, profundiusve locata evacuetur, *hæmorrhagiæ ani*, ſeu *hæmorrhoidum* nomine venit. Quamquam *hæmorrhois* olim ſignificaret qualemcunque ſanguinis evacuationem, utpote compoſita vox ex græco αἷμα ſanguis, & ῥέω fluo; ſtrictiori vero ſenſu, & hodiedum in medicina recepto; profluvium ſanguinis ex vaſis hæmorrhoidalibus, quæ anum interne non minus, quam externe coronant, ſignificat; idem teſtatur Hippocrates toto tractatu *ſect.* 6. *op. ſuor. edit. ab Anutio Foëſio*, quem inſcribit de *hæmorrhoidibus*; item *ſect.* 3. *aphor.* 30. & *ſect.* 67. *aphor.* 12. & 21. Cum hoc conſentit Ga-

Galenus *lib. de theriac. ad Piſonem cap.* 8. Imo etiam citra ullum ſanguinis effluvium pro tumore in recti inteſtini cavo, aut confiniis ab influente ſanguine cum calore, & dolore præprimis excitato, habent hæmorrhoides.

Quare in confeſſo eſt, ſedem mali univerſim locari in vaſis hæmorrhoidalibus, tam venoſis, quam arterioſis externe anum non minus circumdantibus, quam internis in recto inteſtino locatis; obſervationibus tamen confirmatur potiſſimam ſaltem partem fluere per venas hæmorrhoidales præ arteriis.

§. XXXIX.

Eam breviter modo attingam quæſtionem, olim præcipue, quam modo magis agitatam; an morboſus ſit, an ſit utilis hæmorrhoidum fluxus, an optandus, aut etiam, ſi fieri poſſit, concitandus arte? Quod ſi Stahlianos reſpondentes audias, omnimodo id affirmabunt, utiliſſimum fluxum hæmorrhoidalem aſſerentes; remedium haberi in eo præſervans, prophylacticum multorum aliorum, & gravium quidem morborum, quæ Stahlianorum opinio tantum valuit, ut hodiedum adhuc quamplurimi inter inſignia naturæ beneficia reputent, ſi fluxu hæmorrhoidali potiri poſſint; vulgatiſſimus evaſit morbus, & adhuc ſatis patens non tam re, quam opinione, cum quidquid ferme affectuum encephali occurrit, vertigo, cephalalgia, temulentia, quicunque lumborum dolores, nuchæ, dorſi, & quidquid obſervatur in abdomine incommodi, totum refundatur in hæmorrhoides non fluentes, in fluxum hæmorrhoidalem ſup-

preſſum; omnia hæc ſymptomata pro conaminibus hæmorrhoidum militare volunt. Verum cum recentioribus ſtatum hunc morboſum aſſero, ſtatum præternaturalem, ſint hæmorrhoides, ſeu cœcæ, ſeu fluentes, ſanguineæ, aut mucoſæ, vel aliæ quæcunque; præclare in rem meam Senertus a): *Hæmorrhoides autem*, inquit, *pertinent ad morbos magnitudinis auctæ, cum ſymptomata in genere excretorum, toto genere ſint præter naturam, neque enim omnium hominum eſt, ex his venis ſanguinem effundere, ſed quorumdam, & quamquam, cum moderate fluunt, utiles ſunt, & a multis morbis præſervant, tamen humor, qui ad excretionem naturalem ſtimulat, naturali modo ſe non habet, neque unquam ſanguis, niſi in fœminis ſecundum naturam excernitur.* Eidem aſſentitur Etmüllerus b) dum affirmat: *Quodemumcunque modo accidunt hæmorrhoidales affectus, naturaliter nemini contingunt, adeoque eorum affectus ſemper præſupponunt ſtatum præternaturalem.* Neque obeſt in caſibus quibusdam hunc eſſe breviorem alio morbo, eſſe ſolutionem, & criſim alterius morbi gravioris; fuere, & ſunt aliquando ſalutares hi fluxus in morbis a plethora, a ſanguinea ſtaſi oriundis. in phrenitidis, maniæ, melancholiæ quadam ſpecie, orta a nimio humorum motu encephalon petente, in epilepſia ab eadem cauſa, in aſthmate plethorico, in colica dicta hæmorrhoidali, vel in colica orta a plethora abdominis, difficillimo, tardo, laborioſoque motu ſanguinis per vaſa abdominalia, in quadam lumbagine, orta ab eadem cauſa, in

a) Tom. 4. p. 473.

b) T. II. §. I. p. 144.

in ſputo cruento, aliisque, ut mox dixeram, morbis plethoricis, in quibus venæ ſectionis vices ſubit, & plus etiam, quam ipſa venæ ſectio præſtat, cum evacuet nonnunquam aptiſſima via, & faciat venæ ſectionem quaſi topicam per affectum locum; ſed an propterea evacuatio naturalis dicenda? an venæ ſectio naturale quid eſt? & tamen quot non curat morbos? equidem nemo negaverit, febres omnes tot eſſe ægritudines, ubi tamen & obſtructiones, & chronici plures ſæpiſſime etiam rebelles morbi ad omnem methodum, eisdem percurantur; neque vomitum, aut diarrhæam naturalem dices, ſolvuntur tamen his viis morbi plures. Nollem profecto quis menſtruum fæminarum fluxum ad confirmationem aſſerti ſui in medium proferat, niſi in phyſiologicis, & anatomicis ſe ignarum amet profiteri, ſecus enim illuc amandandus foret; præterea quare & fæminæ his vexantur?

§. XL.

Hæmorrhoides dividi communiter ſolent in *veras*, & *ſpurias*; priores in *fluentes*, ſi fundant humorem, pro cujus diverſitate *ſanguineæ*, ſi ſanguinem, *albæ*, vel *mucoſæ*, *ſeroſæ* &c. ſi ſerum, mucum, pus, &c. reddant, & *cæcas*, ſi vaſa in varices extendantur; in *externas*, ſi circa anum externe in oculum cadant, *internas*, ſi interius inteſtinum rectum occupent digito explorandæ; in *febriles*, ſi adſit febris, ſecus *non febriles*; in *inflammatorias*, *ſuppuratorias*, *gangrænoſas*, *fiſtuloſas* &c.; in *recentes*, ſi primo adoriantur, & *inveteratas*, ſi jam ſæpius adfuere; in *regulares*, ſeu *periodicas*, ſi accurate recurrant, ſe-

cus *irregulares*, & *erraticas*; priores omni menſe, omni tertio, quarto menſe redeunt, poſteriores incerto tempore, vere potiſſimum, & autumno, aut vere ſolo recurrentes teſte Ill. Præſide L. B. de Störck a); in *criticas*, ſi ſolvant, aut mitigent morbum, ſecus in *ſymptomaticas*; in *protopathicas* ſi ſolæ morbum efficiunt, & *deuteropathicas* ſi alium morbum ſequuntur; demum pro copia effuſi humoris in *moderatas*, *parcas* & *nimias* partiri conſueverunt; *ſpurias* conſtituunt *rhagades*, vel ſi mavis *rhagadia*, *criſtæ*, *thymi*, *fici*, &c. Verum quoniam diſſertationis meæ ſcopus eſt, hæmorrhagias pertractare ſolummodo, hinc omnes hæmorrhoidum ſpecies miſſas faciam, de iis tantum, quas *fluentes ſanguineas* dicebam, verba facturus; hinc reliquas nominaſſe ſuffecerit.

§. XLI.

Proxima hæmorrhoidum cauſa accumulatio ſanguinis in hæmorrhoidalibus vaſis ſtatuitur; quidquid autem ad hoc contribuit, in claſſe remotarum cauſarum recenſetur. Univerſalis plethora non minus, quam topica, præprimis vero ab evacuationibus neglectis, imminutis, impeditis, aut ſuppreſſis huc in cenſum venit; præterea infarctus qualiſcunque abdominis, undecunque proveniens, a flatu inteſtina diſtendente, ab obſtructionibus viſcerum abdominalium tam chronicis, quam acutis, præcipue vero hepatis, ubi portarum vena ſeſe exonerare non valens, venæ hæmorrhoidales ſanguinem majori copia recipere coguntur; vena-

a) Præcept. Med. pract. Tom. II. p. 74.

narum hæmorrhoidalium omnis compreſſio, qua refluxus ſanguinis intercipitur, aut impeditur, utero e. g. gravido ultimis præprimis graviditatis temporibus, inteſtinum rectum, vaſaque hæmorrhoidalia comprimente; huc pertinet difficilis, laborioſus partus, uteri incuneatio, fæces duræ, exſuccæ, in ſegniori ventre diutius accumulatæ, & inteſtinum rectum in ſaccum extendentes, venasque comprimentes; diæta ſicca ex indigeſtibilibus, farinoſis, non fermentatis; calculus veſicæ, conſuetudo fæces diutius retinendi; frequens inteſtini recti, & aliquantiſper perdurans prolapſus, omnis irritatio, frictio, eroſio, debilitatio, contuſio inteſtini ejusdem, quæ fit equitatione, vectione ſupra ſtrata viarum, diuturna ſeſſione in depoſitione fæcum ob vaporem inde egredientem vaſa hæmorrhoidalia afficientem, frequenti clyſmatum, hirudinum, ſuppoſitoriorum præcipue acrium, applicatione; hinc & Cel. Roſenſtein teſtatur, quandoque in infantibus fluentes naſci hæmorrhoides a rudi clyſmatum, aut ſiccioris ſuppoſitorii applicatione; abuſus quoque veneris a parte poſteriori præprimis, teneſmus, & dyſenteria diutius durans huc referuntur; ſeſſio in mollibus, & calefacientibus ſellis; morbi veſicæ urinariæ, vaginæ, uteri varii; acrimonia ſanguinis quæcunque, quæ rodendo hæc vaſa profluvium creat; inflammatio inteſtini recti, aſcarides, vita ſedentaria, ſed utique non ſola, maxime ſi ad hanc accedat diæta lauta, vinoſa, ſpirituoſa, aromatica; & univerſim vitæ regimen tale, quale obſervant plerumque homines nobiliores ſimul, & litterati, plerumque in muniis talibus conſtituti, ubi continua ſeſſio requiritur; etenim ſi diæta vinoſa, ſpirituoſa, aromatica, lauta accedat, defectus ſit

tamen exercitii, tunc accumulantur humores præcipue in abdomine, tardiſſime moventur, fiet plethora, aut fiet quaſi continua febricula, continuus humorum per abdomen circulantium orgaſmus; hinc illæ querelæ de ventriculo debili in hominibus robuſtiſſimis, pinguiſſimis, querelæ doloris capitis, vertiginis, atque malum illud refugium ad uſum cardiacorum, ſtimulantium, ſtomachicorum in hominibus pleniſſimis alias, & ſucculentis, in quibus debilem ventriculum haud accuſes; fictitia eſt hæc ventriculi debilitas, debilitas ſpuria, obſervata a nimio humorum orgaſmo, a nimia plenitudine; aſſumta acria, draſtica, ſalina, animi pathemata; uſus illorum, quæ vi propria, vi ſpecifica in hæmorrhoidalia vaſa agere videntur, aloën puta, myrrham, allium, piper, colocynthidem, helleborum nigrum, omniaque remedia, quæ titulo emenagogorum, aut ariſtolochicorum nota ſunt, huc revocanda; ea ſiquidem viris propinata, vi hæmorrhoidalem fluxum ciente donantur; ultimo hæreditariam diſpoſitionem quoque memorat Fr. Hoffmannus a), dum meminit hominis triginta annorum, qui per quindecim, & ultra annos ſingulis fere menſibus fluxum ſanguinis hæmorrhoidalem expertus eſt, ad quem tota ejus familia diſpoſita erat, tam pater, quam mater, & ſorores, in quibus circa annum decimum quartum, aut tertium, menſibus licet rite fluentibus, idem fluxus obſervatus eſt; notandum tamen, tubercula hæmorrhoidalia, imo & hæmorrhoides fluentes ſi in infantibus obſervantur, rariſſime a diſpoſitione hæreditaria oriri, ſed plerumque de-

beri

a) Sect. II. c. 8. p. 464.

beri acrioribus ſuppoſitoriis, aut rudiori clyſmatum adplicationi.

§. XLII.

More omnium reliquarum ſanguinis evacuationum mala a plethora oriunda avertere, curare, & prævertere valet, eliminando ſuperfluam ſanguinis copiam, vel ad partes inferiores revellendo; eximii propterea uſus ſunt in capitis morbis, in morbis pectoris, abdominis; hinc ſummis laudibus extolluntur Boerhavio a) in apoplexia, cum ſic & ſanguinis minuatur copia, & fiat a capite per vaſa hæmorrhoidalia revulſio; quem locum commentatus Swietenius ita habet. „ Quo„ tidiana docet experientia, quod illi, quibus „ conſueta eſt per hanc viam ſanguinis evacuatio, „ varios morbos capitis patiantur, cephalalgiam, „ vertiginem, aurium tinnitus &c., ſi minus fe„ liciter ceſſerit hæmorrhoidum fluxus, " cui & Hippocrates aſſentitur b). *Ex hæmorrhoide parum apparente vertigines obortæ parvam ſiderationem brevi ſuturam ſignificant, ſolvit venæ ſectio; & quidquid hoc modo apparuerit, mali aliquid ſignificat*, idem alio in loco c): *Quæ appoplecticis veniunt hæmorrhoides ſalutares*; imo & maniæ ſolutionem per has fieri idem d) affirmat: *maniacis ſi varices, aut hæmorrhoides ceſſerint, maniæ ſo-*

a) Aphor. 1017. de cog. & curand. morb.

b) Coac. præn. n. 346, t. 8. p. 871.

c) Idem coac. præn. n. 478. t. 8. p. 260.

d) Idem aphor. 21. ſect. 6. T. 9. p. 260.

ſolutio. In cephalalgia levamen procuraſſe a), curaſſe epilepſiam b) legimus, præſertim ſi tales morbi a negotio hæmorrhoidali dependeant; ſed & phrenitides levant teſtante immortali Boerhaavio c), & illius Ill. Commentatore; imo veteres medici monuerunt, hæmorrhoides a pleuritide præſervare, & a ſuppreſſis male hæmorrhoidibus pleuritidem quandoque fieri, in hanc rem ſic habet Hippocrates d): *qui hæmorrhoides habent, illi nec pleuritide nec peripneumonia &c. corripiuntur;* teſtatur quoque Galenus e), a ſuppreſſis hæmorrhoidibus pleuritide correptos multos fuiſſe: ſalutares pronunciat Hippocrates phthiſicis f): *quæ phthiſicis accidit ſputorum ſuppreſſio, dementiam nugacem infert, his ſpes eſt aperturam hæmorrhoidem.* In nephritide initio morbi large fluentes laudat Cel. Bœrhaave g) cum Ill. ſuo Commentatore; derivatur enim & hic impetus ſanguinis a renibus, minuitur reſiſtentia, adeoque per cæliacam utramque majori copia tranſibit ſanguis; idem affirmat divinus Vates h): *melancholicis, & nephriticis ſuccedentes hæmorrhoides, bonum;* melan-

a) Salmuth cent. 1. obſ. 73.

b) Raym. fort. cent. 1. caſ. 42. 45. p. 56. 59. Zacut. luſit. prax. adm. obſ. 28. Rhod. cent. 1. obſ. 65.

c) Aphor. 779. de cogn. & curand. morb.

d) De humoribus. Text. 26. T. 8. p. 576.

e) Comm. 3. in lib. Hipp. de alim. t. 6. p. 271.

f) Coac. Præn. n. 437.

g) Aphor. 996. de cogn. & curand. morb.

h) Hipp. aphor. 11. Sect. 6. 8. 9. p. 254.

lancholicos quoque, & hypochondriacos a regulari hæmorrhoidum fluxu non raro ſummum levamen ſentire auctor eſt Ill. Præſes a), præcipue ſi niger, & tenax ſanguis prodeat; Galenus quoque b) ſe obſervaſſe teſtatur, evacuatione per hæmorrhoides conſueta intempeſtive cohibita, quosdam nephritide fuiſſe correptos. Salutariter quoque fluunt, quibus ulcera antiqua cacochymiam evacuare ſolita, clauduntur, quo in caſu peſſima ſæpe inde proficiſci mala, & vix ſanabilia novimus.

Verum nimius hæmorrhoidum fluxus non minus, ac quæcunque hæmorrhagia modum excedens, peſſimorum malorum mater eſſe conſuevit; unde debilitas totius corporis, cachexiæ variæ, atrophiæ, hydrops, & plura ſimilia, quæ & Santorinus c) adnotavit: *ſi modum*, inquit, *hæmorrhoides excedunt, ut nimia ſit excretio, quot morborum funebres apparatus? quantum cruciatuum armamentarium? Hinc hydropes, cachexiæ, tabes;* imo hoc pergente animi deliquia ex inducta κενεαγγεία, & mors malo, & vitæ finem ponit; ſubita autem illarum ſuppreſſio æque gravia mala cauſare eſt viſa, quod & Hippocrates d) monuit. *Qui hæmorrhoidibus laborant, neque pleuritide, neque peripnevmonia corripiuntur; intempeſtive vero curati, multi hujusmodi morbis tentati ſunt, perni-*

a) Tom. II. præc. med. pract. p. 89.

b) Comm. 3. in lib. Hipp. de aliment. t. 6. p. 271.

c) Tract. de hæmorrhoid.

d) De humor. text. 26. t. 8. p. 576.

niciosſe ſeſe habentes; idem alio in loco a) notat; *ex hæmorrhoide parum fluente obortæ vertigines parvam ſiderationem ſignificant futuram*. Cel. Boerhaave b) inter cauſas catalepſiæ illorum ſuppreſſionem locat, cui & Ill. Swietenius aſſentitur; meminit poſterior hominis quinquaginta annorum ſaniſſimi, cui hæmorrhoidibus malo ſane conſilio ſuppreſſis, mira pulſus vacillatio, quam paulo poſt tenſio in hypochondrio ſiniſtro verſus pectus aſcendens, & mox hæmoptoë ſecuta eſt, tandem omnibus ad revocandas hæmorrhoides fruſtra tentatis, & recrudeſcente ſæpius hæmoptoë tabe mortui, ante mortem tumentis toto corpore; cæcitates, paralyſes, vomitum cruentum, aſthma &c. inde ortum agnoſcere, fatetur Ill. Præſes c). In quibusdam hydropis quædam ſpecies viſa eſt inde ortum duxiſſe, qualis ſæpe in puellis plethoricis, bene paſtis, fluxu menſtruo ſuppreſſo oritur, longe diverſa a reliquis hydropis ſpeciebus, utpote quæ ab humorum turgore noſcit natales; ceſſat quidem non raro etiam ſine malis ſequelis hæmorrhoidalis hic fluxus d); atque tunc natura haud turbanda venit.

§. XLIII.

Quamprimum conſtiterit hæmorrhoidalem omnino eſſe talem fluxum ex colore ſanguinis plus minus floridi, aut ad atrum colorem accedentis, qua-

a) Coac. præn. n. 346. t. 8. p. 871.

b) Aphor. 1040. de cog & currand. morb.

c) T. II. præcapt. med. prac. p. 75.

d) L. B. de Störk. præc. med. prac. T. II. p. 77.

qualem atrabilarium auctores nominant, cum vel ſine dolore de vaſis hæmorrhoidalibus ſupra, vel in ſphinctere ſitis egredientis, cum fæcibus raro mixti, ſed earum latera tingentis, & in ſubjectis quoad reliquas circumſtantias hæmorrhoidariis, ſpectandum erit an criticus ſit, an ſymptomaticus, an febrilis, vel minus: criſis autem per hæmorrhoides ſperari poteſt, ſi reliquarum excretionum ſigna abſint, ſi alias per hæmorrhoides ſanguis fluxerit, ſi prægreſſa fuerit coctio, dies ſit criticus, atque æger nuchæ tenſionem, æſtum aliquem circa ſpinam dorſi, dolorem, aut tenſionem lumborum, vel dolorem in abdomine percipiat a), ſi adſit teneſmus ad anum, tumor varicoſus vaſorum hæmorrhoidalium, ſi fluant cum levamine morbi, virium reſtitutione, prægreſſis ſolitis perturbationibus, præſertim in morbis inflammatoriis capitis, hypochondriorum, & inteſtinorum, atque adeo in delirio, phrenitide, apoplexia &c. b).

Quare ſi hæmorrhoides criticas eſſe conſtiterit, neque exceſſive fluant, naturæ committendæ; ſi excedant, moderandæ; ſi juſto minus fluant, facilitandæ erunt: dum igitur indicantur, & moderate proportionateque fluunt, nil aliud medico agendum reſtat, quam evitare in rebus ſex non naturalibus errores ut ſatagat, & naturam utpote magiſtram optimam turbare evitet; diæta ſit ex mollibus, ſtatui præſenti accommodatis, motu corporis moderato in uſum tracto; tum ſtu-

a) Senert. inſtit. med. l. 3. part. 3. c. 16. p. 912.

b) Magn. de Hæn. Theſ. de Hæmorrhoid.

ſtudeat, ne obſtaculo ſint fæces induratæ, & inteſtinum rectum clyſmatibus eluat, atque ſi copia humorum in corpore obſtaculo foret, venæ ſectio in pede eſſet celebranda. Quod ſi plus juſto fluant, quod ex virium imbecillitate, copia excreti ſanguinis, diuturnitate fluxus, ex fœdo, & pallido totius corporis colore innoteſcit, pro re nata in- & externis medicamentis malo opitulandum erit, ſemper cauſas reſpiciendo, quod efficitur venæ ſectione, incraſſantibus, emulſis, opiatis, bolo armena, terra catechu, ſuccu acaciæ, hypociſtidis, ſanguine draconis, alumine, decoctis ex radicibus adſtringentibus, tormentillæ, biſtortæ, corticum granatorum, corticis peruviani, acidis mineralibus, martialibus &c.; tum clyſmatibus emollientibus, involventibus, potiſſimum in recto ſi acre irritans hæreat, & irritum conatum teneſmoideum inducendo verſus has partes humores alliciat; externe fomentis ex plantis, radicibus, corticibus adſtringentibus, ex aluminoſis, ſaturninis, vitriolatis, zincinis &c.; omnibus vero palmam præripit agaricus præparatus, ſi loco aperto rite applicari poſſit. Si autem parciora fuerint, in cauſam erit inquirendum, qua cognita tam ſcopo pharmaceutico, quam chirurgico, & diætetico malo erit ſuccurrendum; ſi e. g. a ſpaſmis vaſorum, aut eorum rigiditate, vel ob ſpiſſitudinem atrabilariam, aut quamcunque aliam cauſam id fiat, tunc medicamentis antiſpaſmodicis, venæ ſectione, emollientibus, balneis, ſemicupiis, ſaporibus emollientibus, ſolventibus medicamentis erit obveniendum; ſi cauſa fuerit acrimonia, obtundentibus, obvolventibus, ſpecificis pugnabis. Quod ſi ſymptomaticæ fuerint; in cauſam itidem ſedulo elaborandum; quoties a ſola ple-

plethora, inductoque majore ſanguinis orgaſmo hoc nimium profluvium oritur; proſunt quies, diæta tenuis, venæ ſectio brachii, manna, tamarindi, ſerum lactis tamarindinatum, omniaque tamarindorum præparata juxta mentem Martialis; cremor tartari, nitrum, rheum, emulſa leniora; hæc & ſimilia antiphlogiſtica eo in caſu præprimis conveniunt, ubi venæ hæmorrhoidales varicoſæ factæ ſunt ob impeditum per eas ſanguinis refluxum a ſcybalis duris in recto inteſtino commorantibus; quod ſi laxitas viſcerum nimium hæmorrhoidum fluxum efficiat, proderunt potius parcæ, ſed crebro repetitæ rhei, aut myrobolanorum doſes, inſignem tunc utilitatem adſerentes; alio tempore proſunt martialia in vehiculo copioſo aquoſo, aut etiam in ſero lactis exhibita: ubi viſcera obſtructa fuerint, confugiendum erit ad ſuccos reſolventes, aperientes, decocta radicum aperientium cum oxymelle, ſalibus; ad pillulas ſaponaceas addito rheo confectas ſimul ex gummi ferulaceis; ad vinum rhenanum aperientibus ſpeciebus cum marte infuſum, ipſe etiam ſubin cortex peruvianus convenit; item aquæ martiales, pyrmontanæ, ſpadanæ, ſchwalbacenſes, in nimio hæmorrhoidum fluxu a debilitate & laxitate viſcerum oriundo inſignem adferunt utilitatem; quod ſi vires a nimia ſanguinis jactura facta conciderint, juvabunt interne præter recenſita bolus armena, terra catechu, & quæ paulo ante dicebam; externe vero ſpiritus vini, vel etiam acetum, ſolutio aluminis, vitrioli, ſacchari ſaturni, acetum lithargyrii cum aqua calcis ope ſpongiæ ano ſi applicentur, proderit itidem vinum rubrum gallicum, aut budenſe, decoctum e malicorio, radicum adſtringentium, tormentillæ, biſtortæ,

elota prius alvo, in rectum inteſtinum injicere; optime autem agaricus præparatus, ut ſuperius monui, ſi loco aperto rite applicari poſſet, prodeſt; quamprimum autem profluvium ſanguinis notabiliter imminuitur, adſtringentium internum uſum ſeponendum ſuadet Ill. Præſes a). Febriles ſi fuerint, correſpondens & febri, & fluxui medela eſt facienda.

Haud raro accidit, ut fæminæ menſium loco hæmorrhoidibus, ſuccenturiata quaſi evacuatione laborent, atque conceptui ineptæ reddantur; quapropter ad hoc malum corrigendum lento pede eſt progrediendum, & nunquam illico ſiſtendus fluxus, ſed prius uterus medicamentis has in partes agentibus, in & externis, a lenioribus incipiendo, eſt præparandus, ac dum niſum jamjam perſentiſcere incipiunt, hæmorrhoides externis lenioribus roborantibus ſunt ſupprimendæ, ut ſic catameniis præſentibus optatum ſcopum aſſequamur; nam ſi roborantibus, adſtringentibus illico in hæmorrhoides ageretur, malum pejus ſemper foret timendum; etenim ſanguis per has vias excerni aſſuetus, utero derelicto quamcunque corporis partem minus reſiſtentem petere, atque pro ratione viſceris, & partis varia mala, pejora prioribus producere poteſt.

Curato immodico hæmorrhoidum fluxu dicti affectus recurſui impediendo graviter erit incumbendum, quod apprime fiet victus ratione convenienti, exercitio modico, phlebotomia identi-

a) Tom. II. Præc. med. pract. p. 78.

tidem celebrata, laxata & expurgata, benigne tamen, alvo, reſeratis primarum viarum & viſcerum ductibus; balneis denique, vel aquarum mineralium, vitriolatarum, nitroſarum, aut aluminoſarum, ferratarum, aut etiam thermalium uſu, prout viſcerum, aut ipſius ſanguinis diatheſis poſtulare videbitur; caveant ſibi maxime circa fluxus tempus ab omnibus induratis, concoctu difficilioribus, inflantibus cibis, ſpirituoſis, gravi animi commotione, ira præprimis.

Hæmorrhagia viarum urinariarum.

§. XLIV.

Sanguinem cum vel ſine urinis effluentem, easque rubro colore plus minus pro ſui copia intenſo inficientem, *mictum cruentum* vocant medici.

Una licet via ſe manifeſtet hic ſanguis, varios tamen agnoſcit fontes; ſiquidem a renum, ureterum, veſicæ, aut urethræ ſanguineis apertis vaſis eſt petendus.

Diagnoſi mictionis cruentæ nulla opus eſt, utpote quæ ipſis habetur oculis; cave tamen nè urinam bile, atque ſale copioſe ſaturatam, & ab iisdem rubefactam pro cruenta accipias; quod ex madefacto urina linteo, & inde croceum colorem induente tibi plane conſtabit, aut etiam ex rubore ſplendente, & perſpicuo, quem tamen ſanguis urinæ miſtus opacum magis, aut turbidum facit;

quo vero ex loco cruor manet, determinabunt doloris locus, copia excreti ſanguinis, phænomena urinæ ejectæ, ſymptomata conjuncta; quam vero difficulter id fiat, nemo in artis opere verſatus ignorat: qui e renibus exit ſanguis copioſior eſt, & urina magis dilutus, atque permixtus, ſine dolore erumpens; præclare in rem meam Hoffmannus: *quod ſi ſanguis ſincerus confertim, & ſine dolore mingitur, ex renum ſubſtantia ſanguineo-vaſculoſa illum prodiiſſe ſciendum*; quod & Heurnius a) affirmat: *a rene qui mingitur ſanguis, & copioſus eſt, & urinæ conſiſtentia nihil aliud eſſe, quam tenuis ac dilutus ſanguis, mox tamen recedit liquidus, minimeque cruentus, & rubicundus.* Dum calculus ex renibus per ureteres deſcendens, aſperitate ſua vaſa ureterum dilacerat, non raro hæmorrhagiam dolore atroci ſtipatam cauſare ſolet, quam ab ureteribus venire ſuadet dolor in regione lumbari, & adjuncta ſymptomata, nauſea, vomitus, iſchuria &c., quin etiam in hac profuſione ſanguinis una cum urina minguntur arenulæ, ſabuloſæ particulæ. Ex veſica prodire ſanguinem inde noſci affirmat Hoffmannus: *ubi parcior ſanguinis quantitas, obſcuri, nigricantis coloris, cum vel ſine materia purulenta, maxime ſi cum dolore & ardore in pube ſub mictione vel poſt eam redditur, tunc ex veſica læſa illum ſtillaſſe certum*; hujus autem præſentis doloris mox reddit rationem, eam in ſtructura veſicæ quærens; in genere enim partes membranaceæ longe exquiſitius ſentiunt, quam partes parenchymatoſæ; de-

im-

a) Comment. in aphor. Hipp. pag. 78.

nde qui ex veſica mingitur non exacte permiſcetur urinæ, ſed in fundo depoſitus grumeſcit a).

In hæmorrhagia urethræ ſanguis etiam absque urina effluit continuo ſtillicidio, non mictu, sincerus, nullique humori permixtus, cum dolore inter mingendum, & pleıumque vim, ſeu læſionem, externam agnoſcit; nonnunquam in coitu fit cum voluptate ſine omni urina, ſine dolore.

§. XLV.

Diviſionem præſentis mali ipſæ diverſæ cauſarum conſtituent ſpecies; eo autem omnia reducuntur, quæ vaſa renalia dilatant, aut ſolvunt continuitatem, qualia ſunt: plethora, evacuationes ſolemnes ſanguinis ſuppreſſæ cum ſpecifica quadam, & individuali renum laxitate, ac debilitate: aucta circulatio quacunque ratione, ſeu per febrem, ſeu per exercitia corporis validiora, quæ ſanguinem uberiorem ad renes determinare valent, qualia curſus, equitatio, vectio in curru, præcipue per viarum ſtrata, unde tam frequens equo, aut curru longiori tempore vectis mictus cruentus: calculus ſed is non qualiscunque, verum aſper, & anguloſus a ſede ſua ubi impactus erat, divulſus, ſive per motum, aut corporis exercitium vehemens, renes, ureteres aut veſicam vulnerans: urinæ copia dictas partes nimium diſtendens, aut ejusdem intenſa acrimonia illas ipſas erodens: virus venereum per obſcœnum concubitum in urethræ tubum immiſſum,

 pro-

a) Ibidem.

proſtatam, & ipſius ductus membranas in maribus ſenſim exedens, & in fæminis collum, ſeu uteri vaginam; injectiones nimium detergentes, acrioresve in veſicæ, aut uteri canalem, vel cavitatem, ad ulceris (ſi quod adfuerit) deterſionem propulſæ: coitus effrenatus, & immodicus: acria quæcunque ingeſta, eaque præprimis, quæ vim quamdam ſpecificam, & in renes agentem, atque diureticam poſſident, qualia veſicantia, cum omnibus cantharidum præparatis, ſeu illa externe applicentur, ſeu illorum internus fiat uſus; novimus enim mictum cruentum ab ipſis veſicantibus largiter applicatis ortum fuiſſe, novimus ſecutum mictum cruentum ab aſſumta tinctura cantharidum, ſeu contra tuſſim convulſivam, ſeu contra inveteratas, & rebelles gonorrhæas, ſeu etiam ſcopo aphrodiſiaco; quamvis inferre nolim, tincturam cantharidum debere penitus ex medicina exulare, cum præſtantiſſimæ, certæque obſervationes exſtent utiliſſimi hujus remedii, verum hic abuſum velim intelligas: non minus corpora balſamica cruentant urinam, eam ſiquidem movent, & ſubinde inflammationem excitant in ſyſtemate uropoëtico: item vapores arſenicales, ſulphurei, tincturæ variæ antimonii, graviditas, plenitudo, pellendo ſanguinem in veſicæ vaſa: tumores alii in abdomine, ut hydrops ſaccatus præprimis venas iliacas premens: acrimonia peculiaris ſanguini inhærens, morbilloſa, utique non ſola, ſed aliunde mutuata ab alio morbo cum morbillis complicato; acrimonia varioloſa, ſed & hæc æque non ſola, ſi eam ſic velis compellare, petechialis, & univerſim materies illa febrilis, quæ febres putridas, malignas efficit cum ingenti, & ſæpiſſime lethali ſanguinis diſſolutione; notum eſt ſiquidem ter-

terribile illud in malignis febribus, varioloſis, petechialibus ſymptoma mictus cruenti: materies rheumatica ad veſicam delata: abſceſſus, & renum ulcera renalem ſubſtantiam excedentia aliam conſtituunt cauſam; faſciatio nimis arcta in infantibus: catheter rudiori manu ad calculi explorationem, aut urinæ extractionem introductus: vis externa regioni lumborum ictu aut lapſu illata; facta renum ſugillatio, contuſio: quibusdam periodice hic mictus cruentus redit, cauſam in ſuppreſſione alicujus ſolemnis evacuationis atteſtans: quibusdam hæreditarium eſt vitium, vix curandum, quidam effæminati inde redduntur, & lacte turgidas habent mammas teſte Cl. Vogel.

Neque præterire hic poſſum quin eam attingam mictus cruenti cauſam, quæ hæmorrhoidibus veſicæ debet ortum, ubi verus ſanguis ruber, qui alias per vaſa hæmorrhoidalia inteſtini recti evacuari conſueverat, modo vero per veſicæ vaſa in ejusdem cavum, vel & cavum urethræ effunditur, atque adeo modo cum, modo ſine urina prodit, prout hæmorrhoidibus nonnunquam anomalis, ubi ſuppreſſo hæmorrhoidum ordinario fluxu, ſanguis vaſa hæmorrhoidalia lateralia petit, atque ob anaſtomoſationem vaſa veſicæ illum præprimis recipiunt, unde ad veſicam decumbit potius, diſtendit illius vaſa, diſtentaque ſubinde rumpit; hinc mictus cruentus non a renali, ſed a varicoſo vitio veſicæ ipſius oritur, ubi ſanguis cum dolore, ardore ad pubem, cum tenſione, & preſſione in regione perinæi, interque ſummos mingendi conatus exprimitur, oborta etiam nonnunquam lipothymia, & ſudore frigido: id

 qui-

quidem in viris potiſſimum, & illis præprimis, qui ſunt hæmorrhoidarii.

§. XLVI.

Longus forem ſi effectus mictus cruenti proferre in medium vellem, & jam toties repetitos, denuo recoquere conarer; ſiquidem non alios, quam quos & quæ aliæ hæmorrhagiæ, agnoſcit, excepto loco, unde effluit, ubi & localia mala producere, inflammationem, ſuppurationem, ulcera varia, & tabem renalem eſt viſus.

Prognoſis quoque ex copia excreti ſanguinis, morbi diuturnitate, variaque ipſarum cauſarum parientium indole, gravitate, atque contumacia, varia a medico inſtitui debet; idcirco copioſus cum urinis excretus ſanguis, & mictio cruenta frequens, ac perſeverans, niſi illa a fluxu menſtruorum, lochiorum, aut conſuetæ alterius evacuationis dependeat, periculum ſemper ſecum adjunctum habet; minus vero dum ab exigui, aut capillaris vaſis ruptione procedit, modo aliunde gravem cauſam non agnoſcat: quodſi ab inflicto vulnere, a calculo, ulcere, inflammatione, urinæ ardore, gonorrhæa &c. mictus ſanguinis excitetur, exitum ſuis cauſis aliunde notis proportionatum habeat neceſſe eſt; in putridis, malignis, varioloſis &c. febribus, in hydrope mictus cruentus vix non ſemper eſt ſignum lethale.

§. XLVII.

Curationem mictionis ſanguineæ pro cauſarum diverſitate variandam in aprico eſt; ea tamen,

men in ablatione cauſarum, & apertorum vaſorum conſtrictione occupari debet: ſumma corporis quies in omni mictu cruento convenit, venæ ſectio repetita, utique non in omni mictu, ſed in eo, qui oritur a plethora, a ſugillatione, vique illata renibus, qui oritur poſt equitationem validam, vectionem in curru per ſtrata viarum; in eo qui ab orgaſmo humorum, proſunt emulſa nitroſa, & oleoſa quævis, diæta minus nutriens: ſi fiat a diſſolutione humorum in variolis, febre putrida &c., compingentibus, antiſepticis, cortice, acidis mineralibus erit pugnandum: ſi ab acrimonia humorum, hæc tollenda involventibus, inviſcantibus, corrigentibus, ſpecificis; ſi a calculo, vaſorum laxitate, rheumate &c., hæc ſua methodo tollenda; proſunt itidem ſubinde ſuis poſitis cauſis purgantia, ſed ex roborantium claſſe petita, maxime rheum, & mirobolani, mannam quoque in ſe utiliſſimam expertus eſt Sydenhamus; ad renes laxos corroborandos, ſaucios vulneratosque conſolidandos, ſerviunt varia remedia ſubadſtringentia, conſolida, equiſetum olim adeo hunc in uſum celebratum, cortex peruvianus, rheum toſtum, martiales, acidulæ aquæ, ſchwalbacenſes, ſpadanæ; ipecacuanham parca doſi laudat Cel. Dahlberg, Cel. Murray ſuccum herbæ veronicæ cum vino rubro & ſaccharo cochleatim datum commendat. Opium quoque non raro prodeſt; accidit nempe nonnunquam ut ſanguis ex renibus depluens, inque ureteres delatus, grumoſus factus, in uretere hæreat, ibi loci præcipue ubi ureter veſicam, ejusque tunicas ſubit; generantur tunc ſymptomata quaſi nephritidem calculoſam referentia, ſpaſmi, convulſiones, diſchuria, & iſchuria naſcitur ſæpe capitali cum periculo, niſi una emol-

lientia, oleoſa intus, forisque exhibeantur, niſi cum emollientibus remedium ſumme antiſpaſmodicum, & criſpatas fibras relaxans, opium dixerim, in auxilium vocetur; prodeſt quoque in mictu cruento ab hæmorrhoidibus veſicæ, tum & in eo, ubi eroſa & exulcerata eſt veſica urinaria, a calculo veſicæ ipſius, eandem rodente, vel vero a morbo illo Hippocrati *ſcabies veſicæ* appellato, cujus diagnoſtica ſigna ita eſt complexus: *quibus cum urina craſſa, quædam ſurfuroſa una exeunt, his veſica ſcabie laborat* a); verum non a ſola tali urina licebit inferre veſicæ ſcabiem, ſiquidem & in febribus acutis talis ſæpe excernitur; ſed ſi nulla adſit febris, & adſit pruritus, ac dolor in interiori parte veſicæ, ex ejusmodi urinis veſicam ſcabie infeſtari hariolari licebit; convenit pariter in mictu cruento a quocunque alio vitio veſicam exulcerante; etenim tunc mictus ſæpe cruentus difficillimus, laborioſus, diſchuria, iſchuria obſervatur; prodeſt tunc remedium narcoticum tanquam remedium ſaltem pallians ad obtundendum ſtimulum, ubi interna reliqua indicata remedia omitti non debent. Ne vere coagulatus forte ſanguis in renibus, aut veſica morans calculo commodiſſimam occaſionem præbeat, epotis diluentibus, & mellitis ſolvendus, atque expellendus erit.

Qui ſemel mictu hoc affecti fuere, vitent diu exercitia validiora corporis, equitationem, vectionem in curru per ſtrata viarum, diuretica, atque ea omnia quæ vias urinarias lædere poſſent; vitent decubitum in dorſum, decubitum etiam quemcunque diuturniorem.

Hæ-

a) Aphor. 77. Sect. 4.

Hæmorrhagia uteri.

§. XLVIII.

Præternaturale ſanguinis ex utero profluvium *uteri hæmorrhagiam* communiter vocant medici, ut a menſtrua, & omnibus utplurimum fæminis communi evacuatione diſtinguatur.

Quoniam vero plura dantur tempora, ubi hæmorrhagiæ uteri obſervari ſolent, hinc etiam pro hac diverſitate hæmorrhagias hujusmodi diverſas ſpectare licebit, in tot quaſi ſpecies ſubdiviſas; alia enim habetur hæmorrhagia virginum, gravidarum alia; alia puerperarum; memorabile quoque tempus eſt provecta ætas, illa ſcilicet, ubi jam menſes incipiunt ceſſare, & emanere; demum hæmorrhagiæ obſervantur indefinito tempore, ſi ulcus cancroſum in utero, aut circa eundem fuerit, quod ſubinde copioſius fundit ſanguinem.

§. XLIX.

Tempore menſtruæ purgationis fluxus quantitatem conſuetam ſanguinis excedit, veramque hæmorrhagiam refert, ſi vel diutius perſeveret, & cum copioſiori ſanguinis rejectione, vel ſi frequentius, quam debet ex naturæ lege, recurrat.

Quia de ſanguinis menſtrui quantitate nil certi ſtatui poteſt, licet ab unciis VIII ad X. illam determinare quidam velint, cum id dependeat a variis cauſis; abundantior enim in regionibus cali-

lidioribus, fæminis magis plethoricis, otioſis, laute paſtis, ſalacioribus, laxæ temperiei &c. habetur, & contra; cumque duratio pariter variet, imo in eadem fæmina variare ſoleat diverſis periodis; patet, ex his menſtruorum fluxum nimium deſumi non poſſe; verum potius ex difficili tolerantia, functionibus læſis, virium lapſu, inappetentia, cachexia, fædo faciei colore diagnoſis petenda; poſſent enim profuſiores eſſe menſes a peculiari quadam idioſyncraſia, ſic nimia ſalacitate, adeoque ſemper attendendum, qui fæmina eosdem ferat; nam ſi his elapſis bene tamen ſe habeat, nulla indiget medicina, & ſana pronunciari poteſt, teſte Ill. Præſide a).

§. L.

Cauſæ nimii hujus fluxus multiplices omnino habentur, quæ tamen omnes ad ſequentes reduci poſſunt: ad plethoram, orgaſmum humorum quacunque ratione procuratum, orgaſmum vino multo, vel etiam ſaltu inductum, inductum quacunque validiori corporis aut animi commotione, emmenagogis, motu febrili menſibus inſtantibus, aut etiam præſente menſtruo fluxu; inde contingit, ut menſes fluant magna, imo nimia quantitate, & veram conſtituant hæmorrhagiam; ſed etiam tempore menſtruationis alia ſubinde ratio eſt, cur catameniorum loco oriatur hæmorrhagia uteri, laxitas ſcilicet debilitasque ejusdem; quæ laxo ſunt utero, nonnunquam copioſos, & antevertentes patiuntur menſes, ita ut omni ſecun-

a) L. B. de Störck Præc. med. pract. T. II. p. 157.

cunda, aut omni tertia ſeptimana per integros ferme octo dies fluxum menſtruum tollerent, ſed non jam fluxum menſtruum, verum uteri hæmorrhagiam: plethora itidem non univerſalis totius corporis, ſed topica, ſeu localis ſolius uteri non raro copioſum hunc fluxum inducit; hæc autem varias agnoſcit cauſas, ſic ſpaſmos abdominales in hyſtericis, & hypochondriacis, ventriculi, inteſtinorum, ſanguinem majori copia urgentes, atque majori impetu verſus uterum; ab alvo diutius retenta, a ſcybalis multis, duris, difficulter excluſis; a biliosa colluvie reſtitante in ventriculo: tempus anni hic quoque in cenſum venit; certa ſiquidem res eſt, & ab ipſo Hippocrate jam dudum obſervata, ab aliis Clariſſ. Viris ſæpius viſa, vel in ipſo toties memorato Noſocomio binis, aut tribus annis; certa inquam res eſt, dari quaſdam anni conſtitutiones, ubi menſes abeunt in uteri hæmorrhagiam eodem ſimul tempore, dum epidemica, & popularis habetur hæmorrhagia uteri, ubi ſimul obſervantur abortus frequentiſſimi, quales etiam deſcripſit Hippocrates; tempus illud vernum plerumque eſt, ubi mares præprimis pleuritide, aut etiam ſputo cruento laborant; id autem accidere tunc videtur, quando poſt frigidiora emorientis hyemis tempora, ver ſubito ingruit, & paulo lætius tempus, humores ſubito rareſiunt, ſit illorum orgaſmus, plethora, unde & criſis oritur, & plethoræ ſolutio per hæmorrhagiam ſalutaris equidem nonnullis, & bona criſi, aliis autem inepta ſit morbi ſolutio, imo & prava quidem, graviorem utpote inducens morbum, ſit ſcilicet ſputum cruentum, aut etiam uteri hæmorrhagia, criſis utraque non ſatis apta: acrimonia ſanguinis itidem nimium hunc fluxum excitare valet; acrio-

ri-

ribus etenim ſalibus nimium onuſtus ſanguis occluſionem vaſorum impedit, aut multum retardat, quorum apertura fluxus perennatur: ſanguinis tenuitas in variolis, peſte, febre maligna; morbi uteri, quales polypi, ſcirrhi, cancri &c. idem præſtare valent.

§. LI.

Effectus menſium nimiorum iidem omnino ſunt cum aliis evacuationibus nimiis, ſic æquilibrium fluidorum ad ſolida deſtructum, ſe- & excretiones turbatæ, perverſa circulatio, debilitas, inappetentia, anxietas, coctio difficilis, degeneratio humorum in acrimonias varias, ſpiſſitudinem, cacochymiam, unde febres lentæ, tumores oedematoſi, cachexia, fluor albus, atrophia, phthiſis, leucophlegmatia, hydrops, diſſolutiones, ſyncope, extremorum frigus, convulſio, mors; vitia præterea topica vaginæ, uteri, eorundem debilitas, unde conceptus difficultas, facilitas abortus; univerſim quæ ſemel morbo hoc graviter laborarunt, valetudinariæ plerumque remanent.

Quoniam omnis & diuturna hæmorrhagia periculoſa eſt, hæc quoque periculo non vacat; hoc tamen magis vel minus imminet pro ratione copiæ excreti ſanguinis, & fluxus diuturnitate, ſtatu ægrotantis, & ſymptomatibus inde procedentibus; in mulieribus ſeneſcentibus nimia menſtruatio plerumque eſt incurabilis; infauſta prognoſis, quando ſupervenit convulſio, aut ſi ab inſanabili morbo uteri ortum agnoſcat.

§. LII.

§. LII.

Ut cura exactior & felicior inſtituatur, ea ad cauſas dirigenda venit: hinc ſi plethora univerſalis corporis, orgaſmus humorum culpandus ſit, præter ea, quæ in omni hæmorrhagia laudantur, profunt venæ ſectiones in brachio inſtitutæ, prodeſt potus poſca ex aqua & aceto, aut ſucco citri, potus acidiuſculus ex ſpiritu vitrioli, potiones nitroſæ: ſi ab uteri laxitate cauſa ſit repetenda, profunt præter generalia, epithemata frigidiora ex aqua & aceto applicata ad perinæum, adplicata ad pubem, cinnamomi eſſentia, balnea frigida celebrat Tiſſotus; Sydenhamus autem emplaſtrum adſtringens lumbis apponere, venam ſecare, atque adſtringentia præſcribenda ſuadet; Cl. Whytt laudat ſerum lactis aluminoſum ea ratione paratum, ut in lib. j. lactis drachma una aluminis coqueretur, atque edulcoratæ ſufficienti quantitate ſachari colaturæ, quater de die vaſculum ut ſumeretur, eſt author; injectiones roborantes, turundæ intruſæ juvabunt, etiam cucurbitulæ ad mammas more Hippocratis a); tandem ſufflaminata, conſopitaque penitus hæmorrhagia, uterum laxiorem firmare proderit, cui ſcopo diverſa propemodum ſatisfaciunt remedia, aquæ ſpadanæ ſuadente Hoffmanno, aliisque, martialia alia, pillulæ Sydenhami ex limatura martis, & extracto abſinthii confectæ, eſſentia cinnamomi; neque vellem quis objiciat a martialibus, a cinnamomo augeri potius hæmorrhagiam debere, ſiquidem vi ſua ſtimulante ſolida irritant, ut intra datum tem-

pus

a) *Sect. 5. Aphor. 50.*

pus citius vibrent; hoc utique conceſſero, verum cum Cel. meo Pathologiæ, & Materiæ Medicæ Profeſſore Matthæo Collin æternum mihi colendo Viro dicam, hac ipſa ratione tonum reſtitui vaſis, ut minus dilatentur, & ut citius ſeſe contrahant, atque hæc eſt ratio, cur talis fluxus ab horum uſu ſub initium augeatur, & dein ad debitum redigatur moderamen; vaſa enim antea minus laxa facilius cedunt ſtimulo, qui illis additur per martem, per cinnamomum, hinc fluxus major, per repetitam autem hanc actionem firmantur omnia ſolida, reſtituitur elater, ne tam facile cedant; ſiſtitur hæmorrhagia: convenit in eodem caſu cortex peruvianus parca, ſed repetita, & longius protracta doſi propinatus, neque paucis laxiſſimum uterum ſanatum legimus ſolo rheo, mirobolanis, rheo præprimis toſto, maximam vero partem ubi largus & difficili fluor albus aderat, celebratum quoque eſt decoctum aurantiorum ſubviridium, aut aurantiorum nondum maturorum a Ludovico Septalio frequenter adhibitum Decoctum id adhibebatur a Riverio multis modis, atque illi magis medicatum reddebatur extincto in eo chalybe, junctis aliis ferratis remediis; cortex aurantiorum interior albus, fungoſus, vim potiſſimum adſtringentem exerit, qua etiam hic ſummopere commendatur, flavedine utpote magis ſtimulante hic minus proficua, adeoque abraſa; diæta roborans, ſiccans in uteri laxitate, ſuppreſſo jam actuali fluxu, nimium quantum prodeſt, præcipue prodeſt abſtinentia a potu theato, quo perſtante, immedicabilis eſt uteri laxitas, immedicabilis fluor albus; vinum rubrum gallicum in prandio, & in cœna modicis doſibus aſſumtum; ſuccus catechu cum aliis roborantibus, ferratis forma pil-

lu-

lularum propinatus; multis certe modis hic ſucceſſus Bœrhaavio ad hunc ſcopum celebratur. Meadius fortiora quoque propinavit, vitriolum, alumen; noti ſunt utique illius pulveres ex alumine rupeo, & ſanguine draconis confecti; perperam forte hi pulveres exhibentur, ut tanquam ſtiptice actualem hanc hæmorrhagiam ſiſtere poſſint, cum potius proſint exiguis doſibus dati finito jam nimio ſanguinis fluxu ad eundem avertendum, ad tonum uteri laxum, ad tonum totius ſyſtematis reſtituendum: ſi topica plethora uteri fuerit accuſanda, pro diverſa ejusdem cauſa, medelæ quoque erit diſcrimen; etenim ſi alvus dura, longiori tempore ſuppreſſa id præſtiterit, auxilium feret alvum ducens remedium, enemata celebriora, purgationes mannatæ cum ſale amaro; videram tali ratione Juvenculam Nro. 45. decumbentem, cui uterus a longo tempore crebro, & largo ſanguinis fluxu manabat; ſed alvo ſuppreſſa, difficili, laborioſa, exhibito omni mane rheo, demum roborantibus, brevi recuperata ſanitate noſocomio valedixiſſe: verum alia eſt medela, ſi hæc momentanea, temporalis, localis uteri plethora a ſpaſmis ventriculi, inteſtinorum, aliorumque viſcerum, a ſpaſmis ſanguinem verſus uterum fortaſſe laxiorem urgentibus, ortum duxerit; proſunt etiam tunc omnia titulo antiſpaſmodicorum nota remedia; mentha, chamomilla, caſtoreata, opiata &c., tum celebratæ doſes ipecacuanhæ refractæ tamen ita, ut ipſius vis inter ſolas vomituritiones, & nauſeas contineatur; certiſſimæ ſunt obſervationes graviſſimarum uteri hæmorrhagiarum uſu ipecacuanhæ ſublatarum; datur autem hujusmodi ſcopo ad gr. $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$ partem cum pauxillo ſacchari, datur omni quadrihorio pulvis, ut ſic

continua quædam in ventriculo oriatur irritatio, qua facta, ſpaſmi alibi exiſtentes, ſolvantur, vel quacunque alia ratione, ſufficiat nobis certos noſſe effectus, & certas habere obſervationes, licet de vera rei explicatione haud conſtet; ſed etiam hæmorrhagiæ uteri obſervantur a topica ejusdem plethora, ob bilem in utero hoſpitantem, quas ipecacuanha pariter compeſcit, ſed non exiguis mox memoratis doſibus, verum ad ſolemnem uſque vomitum propinatis; ſat notæ ſunt hæmorrhagiæ hujusmodi, quarum plura exempla in T. I. Materiæ Medicæ Cl. Murray occurrunt, ubi virtutem hujus radicis deſcribit, quo etiam in loco plurimas, omnes, aut ſaltem potiores tales obſervationes adnotat: ubi vero ob anni tempus id acciderit, tempus anni vernum, ob orgaſmum ortum a vernali calore, venæ ſectiones occurrent, nitroſæ potiones, enemata, atque ceterus omnis antiphlogiſticus apparatus: quod ſi acrimonia ſanguinis, tenuitas, morbi uteri peculiares malum produxerint, præter generalia hæmorrhagiam inhibentia, quæ in ſpecie hujusmodi morbis convenire dicuntur, in uſum vocare licebit; diæta ſit cauſæ accommodata, tenuis, incraſſans, facilis digeſtionis, involvens &c.; ſi dolorifici fuerint menſes, & aucto dolore hæmorrhagia creſcat, laudani liquidi gtt. 50. in aqua roſarum in clyſmate Cel. Whytt exhibet.

§. LIII.

Triplicem in gravidis obſervo ſanguinis fluxum, ab invicem omnimode diſtinguendum; primo fluxum menſtruorum gravidarum, ſecundo flu-

fluxum hæmorrhoidalem gravidarum, & demum fluxum ſanguinis nuncium abortus.

Gravidis utplurimum una adhuc poſt conceptionem vice catamenia, utut parcius, fluunt; ſunt, quæ ultra medium graviditatis tempus fluxum menſtruum patiuntur, fæminæ ſcilicet ſucco plenæ, & quæ plurimum ſanguinis conficiunt; quare cavendum medico, ne ad gravidam vocatus catameniorum hunc fluxum pro fluxu habeat abortum præſagiente, & vanum gravidæ metum incutiat; hic ſanguis non ex utero, ſed ex vaginæ vaſis profundi videtur.

Diſtinguuntur autem catamenia ab alio fluxu ſanguineo, ſi fluxus hic nullam agnoſcat cauſam, abortum procurare ſolent, quasve poſtmodum enarrabo; ſi absque lumborum dolore, atque torminibus fuerit, ſi absque conſueto parturientium periodico teneſmo, quamvis & menſtruantes abdomine doleant, & lumbis; ſi alias durante graviditate talem fluxum omni menſe ſit paſſa, ſi demum regularis ſit fluxus, qualis menſium eſſe ſolet, nec impetuoſus, aut periculum minitans.

Etſi per ſe nil mali portendat hic catameniorum fluxus, tamen cum abundantiam humorum notet, conſultius eſſe aliquo ante conſuetam periodum menſtruam tempore, venam brachii ſecare, cum orgaſmus menſtruum fluxum præcedere, & comitari ſolitus, atque major ad uterinum ſyſtema ſanguinis affluxus ſic prævertatur, avertaturque: quod ſi quædam gravida menſes patiatur, ſuaderi ſemper circa menſtruum tempus deberet quies, & refrigerans victus ratio, vitan-

da omnia animi pathemata, ne incitatior ſanguis, ab alia quadam adventitia cauſa nexum placentæ cum utero ſolvat, & abortum efficiat; in dubio autem caſu injungenda ſumma quies, & decubitus, refrigerantibus emulſis, & venæ ſectione utendum.

§. LIV.

Fluxus quoque hæmorrhoidalis gravidas exercet multis ex cauſis; vel enim erant jam olim hæmorrhoidibus obnoxiæ, vel iisdem cruciantur modo ab utero diſtento, hæmorrhoidalia vaſa premente, vel ſunt hæmorrhoides ab alvo plerumque in gravidis dura, difficilique: quod ſi talis hæmorrhoidum per vaginam fluxus, abortivæ hæmorrhagiæ metum incuteret, ſedulo medicus quærat oportet, an conſuetudinalem per alvum jam ſæpius paſſa fuerit fluxum, an periodicum hoc reditus ſit tempus, an communibus hæmorrhoides concomitantibus ſtipetur ſymptomatibus; digito facta exploratio varices hæmorrhoidales in vagina deprehendens, hæmorrhagiæ ſpeciem clarius demonſtrabit.

Hæmorrhoidibus his ani, aut etiam hæmorrhoidibus labiorum pudendi, & vaginæ plerumque ſolum palliative medemur, alvum continuo liberam ſervando enematibus oleoſis, item eccoproticis, magneſia &c., diæta parciori, diæta refrigeranti, vegetabili, ſero lactis, emulſis nitroſis &c.

§. LV.

§. LV.

Hæmorrhagiam abortus prænunciam, utpote majoris momenti penſitatius, ut diſquiram, ſuadet ordo, jubet ratio. Stillicidium habetur ſanguinis, quod tamen ab aliis diſtinguas vellem; hoc ſiquidem comites habet partus dolores, dolores abdominis, lumborum ad inguina protenſos; datur enim, & aliud ſtillicidium ſuperius allatum indolens, vel ſaltem deſtitutum his pariendi conatibus, ſtillicidium ex varicibus ruptis, ſtillicidium hæmorrhoidale vaginæ, & pudendorum, quod innoxium eſt, ſæpe etiam ſalutare; ſtillicidium menſtruum, ſed de hic abunde ſuperius. Verum ſtillicidium hoc nuncium abortus eſſe, eo magis in diagnoſi confirmaberis, ſi & reliqua abortus futuri conſuleris ſigna, quæ breviter ſequentibus complectar: mammarum antea intumeſcentium tempore graviditatis, repentina extenuatio, collapſus, lac aquoſum fundentium teſte Hippocrate a), latera arcta, & venter ſupremus anguſtatus, abolita fœtus, ſeſe moventis ſenſatio cum laſſitudine, horror, frigus, & ſubſequentes dolores a lumbis incipientes, protenſi ad umbilicum, indeque pergentes ad inguina, dolores cum niſu quodam pariendi, & teneſmo deponendi urinas, per intervalla ſemper minora redeuntes, diſtinguendi omnimode a ſpuriis partus doloribus, utpote qui regulares non ſunt, quia in variis plagis incipientes, & deſinentes, jam ex umbilico ad lumbos, ad latera &c. pergunt; adſunt dolores colici, neque præcedit horror, niſi ſimul veri adfuerint dolores, oſculum

a) Aphor. Sect. V.

uteri humidum, mollius, hians, poſt quemlibet dolorem magis apertum teſte Ill. Præſide a), aquam, ſerum rubellum, ſanguinem fundens.

§. LVI.

Cauſæ hujus hæmorrhagiæ illæ propemodum habentur, quæ abortum procurant, quas in medium proferre, curæ diverſæ ſuadet ratio; cauſa proxima, placentæ aut ovi ex toto, vel ex parte ſolutio, ab interna uteri ſuperficie bene ſtatuitur; ubi remota in viro, ejusque ſemine, in matre, in fœtu, in cauſis demum externis quibuscunque in matrem, & fœtum agentibus eſt quærenda.

Equidem non ſemper mater abortus eſt culpanda, neque illi ſemper medicina eſt facienda contra habitualem abortum; cum & genitor non raro incuſari debeat; ex ſemine profecto depravato viri, lue contaminato, viri venere, morbisque aliis exhauſti, debile prognatum germen ad maturitatem vix perveniet; frequentior tamen cauſa in matre ipſa locatur: huc primo in conſpectum venit impotentia uteri ſeſe ultra certum terminum extendendi, uteri peculiaris quædam rigiditas, diſpoſitio quaſi, & conditio quædam cartilaginea, ita ut ad certum modo, determinatumque gradum uſque diſtendi poſſit uterus, quem ſi attigerit excreſcentem fœtum excludit; probabilis hæc cauſa, ſi fæmina bis, terve eodem graviditatis tempore abortum patiatur, neque antea gran-

a) Præcept. Med. pract. Tom. II. p. 165.

grandiorem fœtum enixa ſit: debilitas, & laxitas totius corporis nativa, aut etiam adventitia a morbis prægreſſis, a vitæ genere, ſeu localis ſolius uteri, a fluore albo diu antea præſente, a frequenti prægreſſo partu, diſpoſitione hæreditaria, morbo hyſterico, venere immoderata, & onania: matris ætas nimis tenera teſte Hippocrate a), ubi humores adhuc pro materni corporis nutritione impenduntur, ita ut fœtui nutrimentum deficiat: irritabilitas nimia; febres variæ acutæ qualeſcunque, putridæ præcipue, exanthematicæ, longæ, rarius intermittentes, & nonniſi in paroxyſmis longioribus, validioribusque; plethora vera, ſeu copia ſanguinis reapſe major, quam quæ apte vaſis poſſit contineri; plethora ſpuria, quæ molem humorum utpote rarefactorum majorem ſolum mentitur, in orgaſmo ab animi pathematibus ira præprimis, vino, ſaltu &c.; plethora ad ſpatium, ſi nempe eadem humorum quantitate manente, ipſum ſpatium venoſum, & arterioſum arctetur, & anguſtius reddatur, ut fit terrore; terror in ſenſibilioribus frequentiſſima eſt cauſa abortus; frigore magno ſubitaneo &c.; quare ſi diuturnum, & auſtrinum teporem hyemale excipiat frigus magnum, ſiccum, boreale, abortus erunt frequentes; ſed & gaudium accedens inopinatum abortum procurat; plethora topica ſyſtematis uterini in ſpaſmis a variis animi pathematibus, aliisque cauſis, aut etiam ſi humores alliciantur ad uterum pediluviis, balneis, ſtimulantibus; evacuationes nimiæ per alvum, per vomitum, purgantia etiam mitiora ſed frequentius repetita, vel etiam, mi-

 nus

a) Sect. 5. Aphor. 44.

nus frequenter ſed draſtica, & maxime reſinoſa; emetica, validiora præprimis, neque indicata a morbo, alias id petente, emetica antimonialia, vitriolata; ſed & diuretica, utpote quæ non tantum in ſyſtema uropoëticum, ſed & in uterum, atque uterinum totum ſyſtema agunt; emenagoga omnia circa tempus alias menſtruorum præprimis ſumta, omnia orgaſtica, vinoſa, ſpirituoſa, exercitia valida corporis, ſaltu, curſu, & quocunque alio motu abortum procurare valent. Methodus eſt puellarum quarundam, abortum ſibi procurare ſatagentium, earum præprimis, quæ clam conceperunt, ut repetitis purgantibus utantur, utantur purgantibus draſticis, aut etiam emeticis, atque iis non quibuscunque, ſed draſticis, vel vero emeticis variis vitriolatis; nonnunquam confugiunt ad emenagoga, eaque validiora, quæ ex ſabina, aloë, aliisque conſimilibus parantur, etenim abortiva ſpecifice talia nulla dantur, nulla dantur talia, quæ vim immediate exerant in fœtum, niſi ſimul vires ſuas oſtenderint in ipſa matre, & vires ſimul deleterias; verum hæc abortiva omnia reduci debent ad nimias evacuationes ſanguineas; notum enim eſt vel in vulgus ipſum, quasdam ſcopo abortum ſibi procurandi venam curare ſecari vicibus repetitis in pede præprimis, quamvis votis ſæpe fruſtrentur; etenim debilitatem ſibi inducunt, & ſanitatis jacturam pro toto fere vitæ tempore non raro, & tamen fœtum retinent uſque ad legitimum pariendi tempus, quem debilem quidem admodum, & vix vivum excludunt: ad purgationes alvinas nimias, & hyperemeſes; vel vero reduci debere ad emmenagoga validiora, ſabinam, ſuccinum, aloëtica longiori tempore adhibita, crocum, myrrham &c.: cauſa quoque abortus ſunt morbi uteri

varii, fluor albus diuturnus, quamvis obſerventur fluore albo vexatæ & extra graviditatis tempora, & ſub ipſa graviditate fœtum retinentes uſque ad juſtum pariendi tempus; fluor albus non qualiscunque, ſed malignus, venereus præ quocunque alio abortum cauſare ſolet, ubi vel difficulter concipiunt, vel conceptum dimittunt facillime; prolapſus uteri, vaginæ, ſcirrhus, cancer, abſceſſus, ulcera, polypus, hydrops uteri; morbi adjacentium partium, veſicæ urinariæ præcipue cum magno dolore conjuncti, ut in calculis, iſchuria, ſtranguria; alvus dura, & colon diſtentum duris fæcibus, unde uteri expanſio, & libertas præpedita; hæmorrhoides dolentiores, atque inde nata hæmorrhoidalis colica; fiſtulæ, & prolapſus ani, teneſmi, dyſenteria, diarrhæa exhauriens teſte Hippocrate; vomitus ſi modo violenti ſint, & diuturni; excipiuntur autem vomitiones illæ primorum menſium, quæ tamen raro ultra quartum menſem diſtenduntur, licet aliquando etiam ultimo graviditatis tempore vomitus oriantur, ſed ab utero ipſum ventriculi fundum urgente, ſollicitante; excipiuntur & vomitus a ſaburra bilioſa. Tuſſis difficilis, longa, convulſiva; morbi convulſivi varii ad ipſam uſque epilepſiam, ſiquidem vel cum epileptico paroxyſmo excluſorum fœtuum habentur exempla; hydrops varius; excretio lactis nimia, ſive hoc fiat lactatione, ſive ſponte, abortum procurant; contingit enim ſubinde, ut nutrix clanculum concipiat, aut vero ut mater propriam prolem lactans iterum gravida fiat, ablactari tunc infans debet, ne & lactanti, & fœtui detrimentum inferatur.

Cauſas abortus in fœtu abſolvunt: monſtroſa magnitudo, gemini, trigemini, hydrocephalus, hydropicus, aſciticus, convulſus, mortuus; ſola magnitudo fœtus utut non monſtroſi in matre parvula; nimii fœtus motus; vitia varia ſecundinarum; funiculi nimia longitudo, aut nimia brevitas, hydatides, ſteatomata, hydropes, ulcera, ſcirrhi, & variæ aliæ funiculi umbilicalis, aut ſecundinarum, degenerationes; aberrationes placentæ a ſua conſueta ſede, placentæ orificio uteri ſuperextenſæ; utero enim grandeſcente, & uteri cervice, ac ore diſtracto neceſſe eſt, ut ſuperextenſa placenta pariter diſtrahatur, atque illius nexus inde ſolvatur; ſequatur tunc hæmorrhagia lenta, initio parca, frequenter repetens menſe ſeptimo, profuſa demum; neque tamen ſemper abortus ſequitur, ſi placenta ori uterino ſuperextenſa ſit; ſunt enim quæ legitimo nihilominus tempore pariunt; verumtamen quandocunque pariunt, erit ſemper is partus cum inſigni, & lethali ſæpe ſanguinis jactura, aut hæmorrhagia conjunctus.

Hæmorrhagia ab hac cauſa orta illis qualitatibus, quas mox recenſebam ab aliis hæmorrhagiis noſcitur, tum quod in hac ſpecie ſub ipſis pariendi doloribus ſanguis profluat copioſius, ubi contra in aliis hæmorrhagiis ſub actuali pariendi conatu nil prodit; verum id adhuc melius obſtetricantis manus decidet, quæ præviam placentam a membranis ovi diſtinguet facile; plura in arte obſtetricia Cl. Levret legi poſſunt, qui primus hæc omnia accurate deſcripſit. Sed & abortus cauſa hydrops ovi cenſetur, ſeu aqua inter membranam utramque collecta, & nimia earundem tenuitas.

Ad

Ad cauſas externas aëris nimias viciſſitudines refer, ſi poſt mollem, tepidam, & auſtrinam hyemem, ver ſiccum, & frigidum ſequatur ipſo teſte Hippocrate, frequens erit abortus; cur autem id fiat, ratio in promptu eſt; ſit enim tunc temporis plethora ad ſpatium, ſed manente quidem eadem ſanguinis copia, arctabitur ſpatium ab aëre atmoſpærico frigido, vaſa arterioſa, & venoſa ſubito conſtringente; hinc prout epidemica menſtrua, ita & epidemicos abortus in noſocomio certis annis, & annorum conſtitutionibus videre licuit; quos tamen facile præcavebis deplendo vaſa, ut debita humorum ad ſolida remaneat proportio: huc quoque pertinent motus, nixus validi in elevandis ponderibus, elevationes ſubitæ brachiorum, vectiones ſupra ſtrata viarum, ſaltus &c., vulnera, lapſus, ictus, veſtimenta nimis arcta, thoraculi potiſſimum in iis, quæ clandeſtinam graviditatem celare conantur; nimia venus graviditatis tempore, quæ certe eo in ſtatu exulare deberet penitus.

§. LVII.

Unde certa formari poſſit prognoſis ſequentia notanda occurrunt: menſe primo abortus eſt frequens valde, & obſervante Hippocrate primis quadraginta diebus frequentiſſimi contingunt abortus, plerumque tamen abſque magno incommodo, certe abſque magna hæmorrhagia; atque adeo quia ejusmodi ovuli excluſio ſine magna moleſtia, atque pariendi magno labore contingit, & excluſi nondum ſit ea evolutio, ut fœtum diſtincte dignoſcas, abortum vocare nolunt medici; menſe ſecundo, & tertio complures pariter contingunt abor-

abortus, attamen paulo rariores, quam primo menſe, plura, majoraque incommoda ſecum habent, ſtillicidium, & deperditionem ſanguinis majorem, diuturniorem, attamen rarius hæmorrhagiam ſtricte ſic dictam, eamque periculoſiorem; hinc quo ſerior abortus accidit, eo majus eſt ab hæmorrhagia periculum; cæterum ſecundo, tertio, quarto, imo & quinto menſe raro quædam perit ex abortu; equidem multum, quin & plurimum ſanguinis, at non ſimul & ſemel, verum pedetentim perdunt, hinc minus mulctantur a fluxu uterino; juvat hoc ſcire, ne nimium trepidemus inſtante hoc abortu, atque fluente ſanguine, ne omnem apparatum ſiſtendi ſanguinem mox adhibeamus, & ne adhibeamus ſæpe remedia morbo ipſo graviora, cum raro, aut nunquam pereant gravidæ ex fluxu ſanguinis hoc tempore orto. Abortus ſecunda vice rediens eo periculoſior eſt, qui prima vice obſervabatur, tertio, quartove recurrens complures poſt ſe abortus trahit, ut tandem habitualis evadat. Periculoſiſſimus eſt vi quacunque procuratus, lapſu in abdomen, percuſſione, aſſumtis draſticis purgantibus, emeticis, emenagogis; validam enim in utero factam mutationem notat, ſiquidem non ſequitur abortus niſi poſt validiſſimam actuoſiſſimi remedii actionem, quod remedium omnium primo in matris ſanitatem, tum in fœtum agit. Viſa profecto triſtiſſima fuere exempla in toties memorato Noſocomio procurati abortus, dum matres una cum fœtu perierunt, & quidem, eo ipſo momento, quo abortus ſequebatur, ubi ſæpe tenellus fœtus matri ſupervixit; ſic viſus eſt vomitus enormis poſt aſſumtum ſabinæ infuſum ſecutus, & ob vomitus vehementiam ruptura veſicæ bilis, atque integra libra felis ex rupta veſicula in abdomen

effu-

effuſi; in alia fæmina viſus eſt vomitus vitriolo veneris initio excitatus ad procurandum abortum, vomitus hic continuatus perſtitit integris ſex ſeptimanis rebellis ad omnia oblata remedia, donec ægra emaciatiſſima aſſiduo ex alimentorum, & medicamentorum vomitu, ab atrophia perierit, ubi vix non ſub ipſo primum agone fætum ejecit; alia ex aſſumtis pillulis draſticis in hepatidem incidit, per quam itidem finem poſuit vitæ. Abortus ſcorbuticarum, languidarum, debilium periculoſi, periculoſus a placenta prævia; abortus febre putrida, aut dyſenteria laborantium vix præcavetur; abortus ſanguine nondum aut pauco, viſo, ex cauſa tranſitoria in corpore cæterequin bono, cito adhibita exquiſita medela, frequenter ſiſtitur; aſt ſi adſint veri dolores partus, frequentius de tempore in tempus recurrentes, vix inhibetur abortus; facilius præpeditur ore uterino adhuc clauſo, duro, ſtricto, quam hiante, molli, laxo; fluore albo diuturniore laborantes procliviores ſunt in abortum; uti & quæ menſes patiuntur profuſiores, & quæ venæ ſectionibus abutuntur.

§. LVIII.

Ad feliciter ſiſtendam hæmorrhagiam omnium primo eo medentis dirigatur attentio, ut cauſam, quæ placentæ nexum tollere conatur, noſcat; quæ ſi adhuc adfuerit, ſi poſſibile fiat, removeatur, qua ſemota, res omnis feliciter cedit, totumque negotium vel nulla medela, vel modica omnino adhibita votis reſpondet, & integre reſtituitur nexus; conciliandа eſt quies, ligaturæ artuum, & horizontalis decubitus in quacun

cunque cauſa imperandus, demum urgentioribus ſymptomatibus ab illa cauſa remota prodeuntibus eſt ſuccurrendum; quoniam vero diverſæ cauſæ ſeparationem placentæ facere valent, hinc & diverſæ methodo patet lōcus; ſic *e. g.* veſtes nimium adſtrictæ in puellis clanculum gravidis factis ſolvendæ; plethora, undecunque nata, minuenda per celebratam in brachio phlebotomiam, datis potibus refrigerantibus, nitroſis; in abortu a febre inſtante, optimum erit remedium id ipſum, quod febrim tollit; in valido impactu ad abdomen ea occurrent, quæ magnis contuſionibus medentur, venæ ſectio, potus emollientes, nitroſi, cataplasmata, & fœtus emollientes, vel emolliendo - diſcutientes ad locum ſugillatum adplicati; in abortu ab acri inteſtina irritante *e. g.* ab aſſumto purgante reſinoſo, proderunt ea ipſa, quæ dolores colicos, & irritationes inteſtinorum ſopiunt, deliniunt, ſic mucilaginoſa, oleoſa &c. ab æſtu nimio, inſolatione, humorum rarefactione undecunque, & quacunque cauſa producta proderit imprimis phlebotomia, refrigerantia interne aſſumta, applicata externe; a ſpaſmis hyſtericis, terrore, juvabunt antihiſterica ore aſſumta, per modum ſcuti applicata regioni ventriculi, regioni abdominis, aut more quorundam ad lumbos; ridicula reliqua ſic dicta retrahentia veterum diſpenſatoriorum emplaſtra: ſi a nimiis evacuationibus, præter generalia juvabit blandiſſimum juſculum, eaque omnia, quæ penuriam humorum aliqua ratione emendare poſſunt.

Hæmorrhagiam a prævia placenta initiantem quies ſolatur, & ſuſpendit, cum parca venæ ſectione in brachio celebrata, decubitus perpetuus

tuus ferme in lecto, diæta, & medicina antiphlogiſtica, refrigerans; at vero aliquantum progreſſam, neque his obedientem, nil ſiſtit, niſi uteri plena evacuatio accelerata; hinc prompte oportet immiſſa manu placentam ori uterino ſuperextenſam, & aliquantum jam ſolutam, ſolvere penitus, & verſum infantem arreptis pedibus extrahere.

Ante quiutum menſem ſi remedia interna, quies & tranquilliſſimus in lecto decubitus, venæ ſectio, epithemata actu frigida ad pubem, ad pudenda applicata, ligaturæ artuum ſi non juverint, manus obſtetricia erit inutilis; hac enim tempeſtate, hoc graviditatis tempore necdum uterus ſufficienter diſtentus habetur, ut vel manu, vel inſtrumentis quid efficere poſſis; totum quod fieri poteſt, erit, ut fœtus jam ſolutus, ſed hærens adhuc in ore uterino, vel hærens in vagina, digitis fors immiſſis eximatur; ſed verſioni, aut aliæ cuidam operationi obſtetriciæ ob uterum hoc tempore nondum ſufficienter dilatatum, locus non erit; contingit quoque ut fœtu dudum expulſo tempore hoc ante quintum menſem ſecundinæ diutiſſime remaneant, per unum, duos tresve etiam dies; & univerſim quo maturius contingit abortus, eo difficilius ſecundinæ abſcedunt, quamdiu enim hæ reſtitant, tamdiu ſanguinis fluxus continuat, quo in caſu penitus, & ex toto res committenda eſt medicatrici naturæ; non enim manibus datur acceſſus, neque inſtrumentis, neque etiam aliis pellentibus remediis urgendæ, verum tranquille erit exſpectandum uſque dum ſingulari benignitate naturæ expellantur; fors tantum artuum ligaturæ adhiberi queunt; poſſunt qui-

quidem ingeri juſcula non nimis tepida, ut puerpera refocilletur, & materies quædam pro nutrimento ſubſtituatur; poſt ſextum vero menſem extrahi quoque non debent, poſſunt tamen juvari immiſſa manu.

In omni abortu, ſi pariendi veri adſint dolores, ſi intenſiores fiant, crebriores, ore uteri magis magisque dilatato poſt ſingulos dolorum aſſultus, abortus præcaveri amplius non poteſt, neque poteſt ille, qui plures habuit prædeceſſores: duplex tunc ſpectandus eſt ſtatus; vel enim adeſt hæmorrhagia ſtricte ſic dicta, & major jactura ſanguinis, quam ſoleat fieri inſtante partu, vel vero omnia ita procedunt, prout id obſervamus in partu legitimo; in primo caſu uterus cito evacuari debet manu obſtetricante fœtu verſo, perque pedes extracto, quod quidem ſexto, & ſerioribus menſibus fieri poteſt, non autem citius; ſiquidem neque opus eſt, cum hæmorrhagiæ ante quintum, aut ante initium ſaltem ſexti menſis longæ quidem eſſe poſſint, ſed nec tumultuariæ, nec largæ; jacturam enim ſanguinis multo facilius toleramus, ſi fiat pedetentim, quam ſi eadem quantitas, aut etiam minor ſimul quaſi, & ſemel profundatur; in ſecundo autem caſu, ubi non nimium ſanguinis perditur; id quod ſcire poſſumus uſu, inſpectis linteaminibus, optime vero teſtimonio ipſius ægræ, ſi jam ſæpius pepererit, aut etiam aſſertione obſtetricis probe exercitatæ, totum negotium naturæ committendum more legitimi partus, dando non valida, non ſtimulantia, ſed innocentibus ſolando ægram, injiciendo enemata emollientia, vel leviſſime ſimul ſtimulantia, ut citius negotium compleatur.

Diſ-

Difficillima eſt curatio abortus habitualis, eaque diſtinguenda in eam, quæ fit inſtante abortu, & eam, quæ extra tempora graviditatis occurrit, abortu jam finito: inſtantem abortum ea ipſiſſima ſolantur, quæ allata antea fuere; verum omnis opera ponenda erit, ut corpus extra graviditatis tempora præmuniatur, ut mala hæc prædiſpoſitio, & abortiendi habitus tollatur; tum paullo ante illud tempus in graviditate, quo alias ſolebant fieri abortus, accuratius ſpectandum; quare extra graviditatem morboſa omnia tollenda, & cum plerumque laxitas, atque atonia peccet, conſtat, roborantia, martialia tanti uſus eſſe; ſic in fæminis debilibus, hyſtericis, habitualis abortus ſubinde præcaveri poteſt, ſi ſecundo, aut tertio graviditatis menſe dentur longo uſu, & moderata doſi roborantia, ubi cortex peruvianus, martialia &c. dictante Ill. Præſide a) commendantur; imo tali in caſu ſolum foliorum aurantiorum infuſum bis de die ad partus uſque tempora ſumtum idem ſapientiſſimus vir juvaſſe eſt expertus; ante illud tempus, quo alias ſolebat abortus fieri, vitandæ excitantes cauſæ, ſic veſtitus arctior, hinc deponendi thoraculi, venæ ſectiones intempeſtivæ, quæ inconſulto medico nunquam inſtituantur, venus omnis, motus nimius, elevationes ponderum, nixus quiscunque, ſaltus, inceſſus per loca glacie obducta, animi pathemata, rixæ &c.; hominum concurſus, ne a turba irruente lædantur, comprimanturque; ſpectacula, quæ animum valde commovent; caveant ab inſpectu epilepticorum, juſtificatorum, funambulorum, ne-

a) Præc. med. pract. Tom. II. p. 161.

neque narrentur gravidis puerperarum mortes, triſtes nuncii &c.

De uſu opii hic quædam adhuc adferam, licet & ſuperius plura dixerim, cum adeo ſolemnis in abortu ipſis fæminis, & fere in omni præternaturali ſanguinis fluxu ſit illius uſus. Duplex omnino ſtatus a medico diſtingui debet in fæminarum abortu; primo ſcilicet, utrum placentæ jam facta ſit actu major, minorve avulſio, aut utrum ſolummodo jamjam inſtet: quod ſi cruor floridus magna copia, & intra breve tempus ſub intenſis doloribus per vices erumpat, ſi grumos adeo ſecum vehat, ſi orificium uteri exploratum laxum deprehendatur, certiſſime ſcimus, placentam ex utero magna ex parte ſeceſſiſſe, abortum inevitabilem eſſe, quoniam placenta ad novum cum utero coalitum extra omnem artis potentiam eſt locata; in hoc primo caſu, abortu, ut ita dicam, jam fiente, & præſente, juvabit potius miſſam facere inanem omnem operam abortus evitandi, & quantocius manu fœtus extractionem procurare nullis licet præſentibus, & viribus matris per hæmorrhagiam nondum exhauſtis; nil eſſet in hoc rerum ſtatu damnoſius, quam ſi cum adſtringentibus adeo adamatis ad minuendas hæmorrhagias opiata porrigerentur, quidquid ab auctoribus ſane multis eam in rem dici ſit ſolitum; etenim opiata nullam hæmorrhagiam directe ſiſtunt, ſed eam augent potius; aliter longe res ſe habet, (eſtque ſecundus caſus) dum ſcilicet in gravida quocunque geſtationis tempore dolores in lumbis, in oſſe ſacro verſus pubem vergentes, cum extremorum frigore, torminibus ventris, & conatus abortiendi adſunt, nullus tamen ſanguis ſeſe manife-

ſtat

ſtat, aut dummodo ſanguis fluxus paucus ſit, & ſtillicidium placidiſſimum intervallatim recurrens, modo is ſanguis non tam ex utero, quam ex vaginæ vaſculis prorumpat, uteri orificio tunc temporis exacte clauſo; hic certe antequam, vi ſpaſmorum & affluxus ſanguinis, communio inter placentam, & uterum ſolvatur, & antequam abortus reddatur inevitabilis, prodeſſe opiata poterunt, verum tamen cum quiete ſumma injuncta ſimul, & ſitu horizontali gravidæ poſt adminiſtratam primam venæ ſectionem, qua in re incipiens hæmorrhagia, & abortus prodromus nonnunquam præoccupatur. Nollem tamen ſoli opio ſemper confidas, neque in hoc altero abortus initiantis caſu; etenim in fœminis robuſtis, plethoricis, præcipue narcoticis non eſt fidendum ſine præmiſſa venæ ſectione, ſine debilitata aliquantum vi vitæ noceret opium; nocerent quoque opiata in abortu inſtante, ſi id poſt iram gravem, poſt exercitationem validam, poſt ſpirituoſos potus aſſumtos, & univerſim poſt omnem humorum majorem rarefactionem, ubi adhiberi refrigerantia, una alterave venæ ſectio deberet.

Quare vides, male in omni abortu adhiberi ſemper eandem methodum, male ſemper venam ſecari, adſtringentia, & opium propinari, frigidum acetum pubi, & pudendis imponi; licet enim hæc bona ſint, tamen certis ſolummodo præſuppoſitis cauſis opem ferunt, & indicantur.

Verum in his fors limites propoſiti mei tranſcenderam? materiæ gravitas ſit culpanda.

§. LIX.

Accedentibus legitimi partus temporibus obſervantur quoque hæmorrhagiæ, verum minime confundendæ cum ordinario ſtillicidio ſanguinis ante, & ſub partu præſente; ad determinandas vero hæmorrhagias uteri non incongruum erit, ſanguinis in naturali partu profundi ſoliti poſſe quantitatem determinare; varia certe menſura ſtatuitur, licet certa regula dari nequeat, a ℔ ıß ad i℔ ij., rarius plus profundi artis obſtetriciæ magiſtri docent, quamvis nil certi hac in re ſtatui poſſit; cæterum menſura capi poterit a cognitione prægreſſi (ſi quis jam fuerit) partus, ex aſpectu, ex pulſu, utique non ſolo, ſiquidem falleret in lipothymiis aliunde accedentibus, qui tamen dum viget, ſecuros non reddit abſentiæ nimiæ ſanguinis jacturæ; hæ autem contingere obſervantur ante, in, & poſt partum; quarum omnium cauſa proxima eſt ſemper divulſus ex toto, vel pro parte nexus placentæ ab uterinis vaſis; quibus autem remotis cauſis id debeatur, dicam: ante, & ſub partu fit hæmorrhagia primo ob placentam præviam, & oſculo uteri ſuperextenſam, cujus rei rationem alias dederam; ſecundo, ob præmaturam placentæ ſolutionem fœtu nondum excluſo; oritur tunc hæmorrhagiæ quædam ſpecies, quam internam appellant, cum fluxus hic non obſervetur ore uteri obturato per fœtum ipſum; noſcitur autem talis hæmorrhagia ventris auctore tumore, pallore faciei, animi deliquio, pulſu parvo, inæquali, intermittente, extremorum frigore, ſudore frigido totius corporis, unde mors brevi matris, & fœtus ſequitur, niſi cito extrahatur fœtus, ut uterus ſe conſtringere queat; diverſæ autem occurrunt cauſæ, cur

pla-

placenta maturius ſolvatur, cur ſolvatur fœtu nondum excluſo: ſic cohæſio minus firma, funiculus nimis brevis, collo fœtus circumflexus, idem abruptus, avulſio partialis placentæ, ob rupturam uteri, fors ob convulſiones fœtus, fors a ruditer immiſſa obſtetricantis manu, & rudiori inſtrumentorum apparatu.

Medelam in priori caſu ſuperius jam attuleram; in reliquis vero unica ſalus erit, partus acceleratio, quæ quidem diverſa ratione contingit; vel enim verſione, ſi is adhuc ſit ſitus, & fœtus altitudo, ut pedibus arreptis extrahi poſſit; quod ſi caput jam in pelvi hæreat, partus tunc levretiano forcipe applicato abſolvi debet; fœtu vero extracto, uteri contractio erit urgenda, promovendaque, niſi ea ſponte contingat, modis paulo inferius exponendis.

§. XL.

Crebriores uteri hæmorrhagiæ contingunt poſt partum itidem ex diverſis cauſis trahentes originem; ſic ab uteri atonia, deperdito ejusdem elatere; uterus enim ultra modum diſtentus aquis, fœtu monſtroſo, gemino, trigemino, ſeu fœtu hydropico, & tympanitico, vim ſuam contractilem vividam amittit; hinc eo a fœtu, & placenta evacuato, attamen cito ſeſe non contrahente, patula manent orificia vaſorum; hanc cauſam cæteris multo frequentius agnoſcit; nec quocunque tempore obſervatur, verum mox a partu inſurgit, mox excluſum fœtum ſequitur; ab adſtantibus ſæpe non advertitur, non obſervatur ab ini-

 tio

tio, verum tunc primo, quando mater cum morte jam luctatur; etenim cum mox excluſum fœtum, & ſecundinas inſequatur, cumque ſine dolore, cum lipothymia, cum ſyncope tunc temporis, quando recens infans adſtantium oculos in ſe rapit,. accidat, puerpera derelinquitur, non obſervatur; quare excluſo fœtu videndum, quantum, & quamdiu ſanguis fluat, neque a puerpera diſcedendum, quoad ſecuri non fuerimus ab hac hæmorrhagiæ ſpecie, donec viderimus formari globoſum corpus ſupra pubem; quare omnia ea ſint ad manus, quæ ad hanc ſiſtendam requiruntur, aqua calida æque, ac frigida, acetum, ſyrinx, linteamina &c.: hæc illa eſt hæmorrhagiæ ſpecies, in qua tinctura cinnamomi tantopere celebratur, ubi etiam vinoſa, motus, & frictio abdominis commendantur; verum his ſolis non fiderem, ſed cum injectionibus frigidis, adſtringentibus, immiſſis turundis: vis vitæ debilis ob ſanguinem jam deperditum, ob morbos prægreſſos, cacochymiam, chloroſim, poſt frequentes partus, & abortus; partus nimium durans, difficilis, placenta majoris molis, & præter modum magna, & fors aliæ ignotæ cauſæ hanc uteri inertiam producere valent. A partu totius ovi integris membranis, & placenta, ubi pelvis originarie nimis ampla fuerit, facillimus & celerrimus fit partus, verum non æque feliciſſimus, cujus ratio facile patet; cum enim integrum ovum, cum membranis omnibus repente, celeriterque excluditur, vaſa uterina hiantia ſe tam brevi tempore contrahere non poterunt, nec effluenti ſanguini ponere obicem; ſed & ubi quidem integrum ovum ſimul & ſemel non excluditur, verum fœtum ci-

to

to, & facile præcedentem ubi ſecundinæ mox inſequuntur, fit itidem ſæpe hæmorrhagia; novimus enim, uterum primo aquas expellere, dein, poſtquam aliquantum contrahebatur, excludere fœtum novis doloribus, novos denuo pariendi conatus oriri, ut quodammodo de novo pariant ſecundinas; per gradus dein uterus incipit contrahi, non ſimul & ſemel, ſed pedetentim: pone jam ternos, ut ita dicam, hos partus, aquarum nempe, fœtus ipſius, & ſecundinarum ſeſe nimis cito inſequi, uterus evacuabitur, priusquam novas vires collegerit ſe contrahendi, hinc habebis hæmorrhagiam. Ab uteri vulneribus violento inſtrumentorum uſu illatis; item a violenta placentæ avulſione, a placenta ſemiavulſa, quamdiu enim placenta ex toto adhuc cum utero cohæret, vaſa ſanguinem poſtmodum profuſura ſunt adhuc obturata; at vero ſi placenta ſemiavulſa ſit, per illa uteri orificia vaſorum patula in loco, in quo ſoluta placenta habetur, ſanguis profluet; at vero illa vaſa claudi poſſunt minime, ob prohibitam a placenta adhuc reſtitante uteri contractionem; etiam placenta ex toto avulſa, ſed adhuc in utero commorans; atque adeo illius prohibens contractionem, hæmorrhagias cauſat. A grumis ſanguinis majoribus ob ſpaſmos oris uterini fors diutius collectis, prohibentibus uteri contractionem. Ab inverſione uteri completa, vel incompleta; prior rarior occurrit, viſa tamen ab artis obſtetriciæ magiſtris, deſcriptaque; ubi ſcilicet ab imprudenti, violentaque funiculi tractione, uterus extrahebatur, invertebaturque totus; inverſio hæc plerumque, aut vix non ſemper eſt lethalis, niſi eodem momento repoſitio fiat; etenim fit ſtrangulatio, inflammatio, gangræna; viſa tamen eſt

inverſio uteri chronica completa, non lethalis; incompleta frequentius occurrit in partu accelerato, & præcipiti; fundus uteri tunc inverſus ad os ilei uſque, ad uſque vaginam pergit, inde prolapſa pars ab oſculo uteri contracto incarceratur, ſtrangulaturque. Ab uteri ruptura, eaque varia; vel enim tota ejusdem ſubſtantia finditur, ut ſanguis in abdomen effundatur, vel ejus os, aut ſuperficies interna vulnere læditur, ſubſtantiam non penetrante; prima ſpecies ſemper lethalis, minus vero altera. Dolores quoque poſthumi hœmorrhagiam cauſant, at non omnes, ſed validiores, & continui tantum, dolores majores ſolito, dolores aſſidui poſt partum ſi oriantur a nervorum, & uteri erethiſmo, hæmorrhagiæ dant occaſionem, alliciendo humores ad locum irritatum, & patulis modo vaſis compoſitum; non vero dolores illi neceſſarii cum conatu pariendi, dolores periodici, qui adeſſe debent pro excludendis ſecundinis.

§. LXI.

Diverſas in tanto malo adhiberi conſuetas methodos in medium adferam, ubi quæque valeat adnotans.

Venæ ſectiones primo celebrant; verum eas in uteri hæmorrhagiis illis, præcipua quæ poſt partum ſequuntur, nunquam locum habere credo, nunquam eas indicari in hæmorrhagiis ſub, & poſt partum ſequentibus; aliud eſt, ſi ſit ſolum ſtillicidium leve, ſtillicidium tale a motu nimio corporis in gravida cum metu abortus, ubi ſpes adhuc ſupereſt, abortum prohibendi, ut ſuperius mo-

monebam. Adſtringentibus ſecundo uti ſolent, ſed neque hæc in magnis modo dictis hæmorrhagiis quidquam proſunt; novimus lethalem hæmorrhagiarum vim, easque intra breve tempus enecare; ſed & novimus adſtringentia ore aſſumta tardius agere, & nonniſi poſt multas ſeptimanas roborando tantum corpus, & intra tam breve tempus ad vulneratum locum pervenire non poſſe; interim tamen cum graves Authores ſuppetant, quo pro uſu adſtringentium in hæmorrhagiis pugnant, diſquirendum reſtat, an plene nunquam proſint, & danda ſint? Si adſit hæmorrhagia ſed parca tantum, tarda, recurrens per longiora intervalla, proveniens a peculiari quadam corporis laxitate, adſtringentia tum conveniunt, in talibus parvis, tardis hæmorrhagiis, aut ſtillicidiis potius per longiora intervalla recurrentibus, ortis a debilitate ægram ſenſim conficientibus, ſcopo roborante proſunt; novimus enim adſtringentium refractas doſes, ſucci catechu &c., aluminis ipſius longiori tempore propinatus, inſigniter roborare, atque ita roborando comprimere lentas has, & chronicas hæmorrhagias; hinc omnem adſtringentium uſum non damnamus, ut adeo dicamus etiam ſummopere indicatum, ſed ſuo loco tantum, ſuoque tempore. Narcoticis alii pugnant: opium equidem in omni hæmorrhagia profuſiore certo nocere, ut & in illa, quæ intra paucum tempus enecare valet, auſim dicere, prodeſt indirecte ſolummodo, ubi hæmorrhagiæ cauſa irritatio fuerit, ubi hæmorrhagia creſcit continuo cum dolore, ſtimulum irritantem non quidem auferendo, attamen ſopiendo, languorem quemdam, quamdam inertiam temporariam ſaltem inducendo; non ſecus ac ſopiri videmus ab ejusdem uſu mictum

cruentum, provenientem ab irritante calculo, non utique illum evacuando, ſed inertiam ad tempus ſaltem inducendo irritatis nervis; quare ſi dolores poſteri dicti adeo validi fuerint in corpore nimium irritabili, ut ipſa dolorum exacerbatio, & ſævities humorum majorem motum ad uterum cieat, atque hæmorrhagiam excitet, ſopiendo dolores, atque hæmorrhagiæ cauſam, ſiſtet quoque ſanguinis fluxum qua effectum, quo in caſu opium una cum ſpiritu vitrioli prodeſſe teſtatur Cl. Askow a). Ligaturis plures ſanguinis hunc nimium fluxum impedire ſatagunt; ligaturæ a paucis damnantur, commendantur a plerisque; certum eſt, has non convenire ſi ſtrictiſſimæ fuerint, ita ut & arterias comprimant, verum ſi ſolummodo comprimant venas, arteriis liberis utpote difficilius comprimendis, puto eas convenire, qua moram facientes in ſanguinis reditu; verumtamen in majori malo inſufficientes ſunt. Situs horizontalis, aut talis, ubi caput, & thorax declivis eſſe ſolet, omnino confert, eſtque unicum remedium ad impediendam ſyncopen in hæmorrhagia quacunque, licet eam utilem judicemus, cum orta lipothymia ſanguinis hæmorrhagia facilius ſiſtatur; verum in illa minime conducet, quæ ab uteri atonia oritur. Celebrantur & fotus, potusque frigidi, ad faciem, crura, lumbos; injectio adſtringentium in uterum a Galeno jam commendata, poſtmodum vero efficax hoc, & præſentaneum hæmorrhagiarum quarumdam remedium neglectum ferme jacuit: eſt certe unicum quaſi, quod uterum poſſit in contractionem ciere, urgereque, uni-

a) Act. Societ. Hafnienſ.

unicum quod in atonia uteri indicatur; memorant ipſum ſpiritum vini, præcipue referente Smellio, quo injecto hæmorrhagias ſopitas affirmat; alii quidem acetum purum; alii oxycratum frigidum injecere; ſervit hæc injectio in utero evacuato, vacuo, ab atonia ſeſe non contrahente, & ita quidem, ut vix aliud habeatur potentius, & magis præſentaneum remedium. Exemtionem demum volunt corporis alieni; optime id quidem: verum quid faciendum, ſi peregrinum corpus uteri contractionem impediens eximi recuſet, e. g: fœtus, aut ſecundina trimeſtris ſemiavulſa? quid ſi impetus profluentis ſanguinis injectum liquorem non admitteret? ſi ſyrinx non eſſet ad manus? ruri? urgentiſſimo in caſu? juvant lintea carpta, juvat tunc magna turunda in vaginam, & ipſum, ſi fieri poſſit uterum intruſa, aceto, aut oxycrato imbuta; prodeſt autem eximie talis turunda primo in atonia evacuati uteri, ſi is liber fuerit a ſecundinis, & a grumis ſanguinis, ubi quoque tinctura cinnamomi laudes promeruit, & ubi plurimum conducit frictio præprimis abdominis; prodeſt ſecundo, ſi corpus quoddam contractionem uteri prohibens in eodem reſideat, quodve modo eximi renuit; tertio in hæmorrhagia traumatica uteri; demum in hæmorrhagia a placenta prævia, ubi vix quidquam proderit cohibendæ ad tempus ſaltem hæmorrhagiæ, quam ejusmodi intruſa turunda.

§. LXII.

Quæ de hæmorrhagiis poſt partum accedentibus mox notaveram, lochia etiam ſpectare quisque noverit, ſiquidem ea peccaverint exceſſu;

ſu; id autem non a copia, aut duratione effluentis ſanguinis, ſed a virium dejectione, animi deliquio, ſanguine grumoſo effluente, faſtidio cibi, dolore in hypochondriis, ventris tenſione, pulſu debili, & frequentiori, viſus obtenebratione, aurium tinnitu, & convulſionibus innoteſcet, teſte Sydenhamo a).

Cauſam in fibrarum uterinarum tono amiſſo, vel contractione uteri impedita ob grumos ſanguinis, vel fruſtula placentæ in utero relictæ, aut læſionem uteri agnoſcit.

Cura jam ex dictis in præcedenti paragrapho facile patet; cæterum cucurbitas ſiccas mammis, lumbis, imo & ventri applicatas, extractionem corporum hæterogeneorum, adſtringentia in- & externe, narcotica, diætam nutrientem, faſcias pro firmando abdomine circumductas laudat Cel. Home b).

§. LXIII.

Percelebris in effœtis morbus hæmorrhagia uterina celebratur; ſenſim ceſſant menſtrua, fiunt inordinata, aliquando ultimis temporibus copioſiſſima ſunt, ſine graviori tamen ſymptomate; mox pro ſemper evaneſcentia, interdum exleges redeunt menſes, mox majus, minus modo tempus intercalare ſervando, donec propemodum ema-

a) Proceſſ. integr. in morb. omnib. curand. p. 670.

b) Princ. med. Sect. 13. p. 310.

emaneant; verum licet incipiant in his catamenia ſupprimi, ſæpe, nulla per quadrantem anni, per dimidium, imo & annum integrum eorum molimina obſerventur, mox tamen unico impetu in hæmorrhagias incidunt vix ſiſtendas.

Periculoſa certe hæc hæmorrhagiæ ſpecies eſt, quæ tamen præcaveri poteſt exiguis hoc tempore inſtitutis phlebotomiis. Teſte Ill. Præſide a), atque aliis ex idea hucusque recenſitarum hæmorrhagiarum repetendis medicamentis præſens fors ſiſti poterit.

Hæmorrhagiæ demum quocunque tempore ortæ a cancroſo ulcere in utero, aut circa eundem commorante, illis propemodum curantur, vel potius pàlliantur remediis, quibus ulceri ipſi ſolemus occurrere.

§. LXIV.

Atque his abſolvi varias HÆMORRHAGIARUM ſpecies, variam illarum curam; verum hiſce omnis abſolutus non eſt medici labor, ſed & ne poſthac aliquando recurrens ægrum corripiat morbus, omnibus, quæ ars ſuppeditat, auxiliis eſt adlaborandum; quam curationem *prophylacticam* appellare ſolemus; id vero pro diverſitate mali, pro diverſitate cauſæ, atque partis unde accidit, partim diæta, ac vitæ genere, partim indicatis medicamentis efficitur; vitent calefacientia, vinum, ſpi-

a) Præc. med. pract. T. II. p. 155.

ſpiritum vini, aromata, iram, venerem nimiam, ſaltationem, & motus quoscunque vehementiores; verum & hæc pro ratione ſolitæ hæmorrhagiæ menſura varia; temperantiæ, & moderationi ſtudeant in omnibus ſuis actionibus; atque ita ab his malis ſe reddere poterunt immunes.

IX.

IX.

JOSEPH DE FLÜE
HELVETO - SUBSYLVANI

DISSERTATIO
DE
TYMPANITIDE.

TYMPANITES.

Definitio.

Tympanites eſt intumeſcentia totius abdominis, levis & elaſtica, ad pulſationem ſonum edens. Sat improprio nomine vulgo germanis Windwaſſerſucht appellatur. Apud varios medicos autem varia obtinuit nomina: *Hippocrati* a) hydrops ſiccus & flatulentus vocatur. *Galeno* b) & *Tralliono* c) tympania nominatur. *Sennerto* tympanita audit. *Frommanno* apud *Bonetum* tympanias dicitur.

Dif-

a) Coac. præn. Nro. 458. & aph. 4. Nro. 11.

b) Comm. de victu in acutis.

c) Libr. 3.

Differentia.

Differt a meteoriſmo, quod in hoc adſit intumeſcentia elaſtica præcordiorum, non totius abdominis, uti in tympanitide. *Sauvages* a) etiam in eo diſtinguit, quod meteoriſmus ſit ægritudo acutiſſima, & ſæpe accidens aliorum morborum; tympanites vero licet doloribus colicis initio ſaltem ſtipetur, morbus ſit chronicus.

Differt a colica flatulenta, in hac enim volumen totius abdominis minime eſt adauctum; & morbus eſt acutiſſimus in paroxyſmo. *Sauvages* b).

Differt ab aſcite; 1mo, quod in tympanitide ad pulſationem ſonus inſtar tympani audiatur, qui in aſcite non auditur. 2do, in tympanitide conſtanter prominet abdomen verſus umbilicum in quocunque ægri ſitu; quod in aſcite non obtinet. 3tio, in tympanitide æger ad ſtateram levis eſt, cum e contra in aſcite ægri ob collectam aquam pondus inſigne habeant. *Van Swieten* c).

Sedes.

Communis olim fuit opinio tympanitidem adeſſe, dum aër in cavo abdominis hæreret; ut videre eſt apud *Aretæum*, alioſque veteres auctores, inter quos ſolus *Duretus* ſedem mali non abdo-

a) Noſ. meth. T. 2. p. 514.

b) Ibidem.

c) Comment. in Herm. Bœrh. aph. T. 4. p. 172. edit. Hildb.

dominis, ſed inteſtinorum ac ventriculi cavum, fere ſemper eſſe ſtatuit. Apud *Schenckium*, *Bonetum*, *Mangetum*, aliosque caſuum anatomicorum collectores ſedes hujus mali potiſſimum in cavo ventriculi & inteſtinorum fuit reperta. Tympanitidem ortam ab aëre in cavo abdominis hærente in dubium revocat *Cel. Littre* a); cujus ſententiam omnino probat *Cel. de Haen* b). Verum non videtur omnino negari poſſe, quod tympanites quandoque in cavo abdominis inventus fuerit. Hoc enim revera contigiſſe legitur apud *Heiſterum* c), apud *Cel. Combaluſier* d), & apud alios. Aſt tympanitidem abdominalem rarum eſſe morbum teſtatur longa doctus experientia *Heiſterus*. Licet *Cel. Lieutaud* e) moneat, non raro aërem in cavo abdominis reperiri, ſed ordinario ſimul in inteſtinis deprehendi. Unicum caſum vidit idem auctor f), in quo aër in ſolo abdominis cavo continebatur, & inteſtina aëre non diſtenta videbantur.

D i v i ſ i o.

Perpenſis iis, quæ nunc de ſede materiei tympanitidis dicta fuerunt, patet, non adeo inepte

a) Mem. de l'Acad. Royale des Scienc. 1713.

b) Rar. med. part. 2. p. 65. & ſeq.

c) Med. chir. und anat. Wahrnehm. p. 28.

d) Pneumato patholop. p. 33.

e) Precis de med. pratiq. p. 362.

f) Ibid.

te ratione ſedis dividi poſſe in tympanitidem *inteſtinalem* & *abdominalem.* Hæc ab illa diſtinguitur in eo, quod in eadem ſonitus ſit evidentior, quam in inteſtinali; tumor æquabilior ad attactum perceptus; emiſſio flatuum rarior, ægrumque minus levans; dolores abdominis in hac ſpecie magis ad exteriora referuntur; alvus minus pertinaciter clauſa; cum actio inteſtinorum hic non ita lædatur, uti in priori ſpecie.

Sed præter haſce duas ſpecies datur & alia, quæ ab emphyſemate inteſtinorum cæterorumque abdominis viſcerum dependere putatur. Vera in inteſtinis humanis emphyſemata obſervavit *Cl. Duvernoy* a). Hæc ſpecies apud *Cel. Combaluſier* b) *tympanites enterophyſodes* audit. Dignoſcitur ex inæquali tumore abdominis aliunde tympanitici; maxime vero ex conjunctis plerumque pneumatocele, pneumatomphalo c).

Inſuper ratione ſedis alia adhuc tympanitidis ſpecies ab obſervatoribus notata legitur: videlicet ſi ab aëre in utero contento oriatur conſtans, permanensque tumor levis, elaſticus, uteri figuram & ſedem referens in mulierum hypogaſtrico. Hæc ſpecies diverſa etiam a medicis obtinuit nomina: *Phyſametra* a *Sauvagio* d); *tympa-*

a) Act. acad. petrop. T. 5. p. 213.

b) Pneumatopath. Nro. 122. & 152.

c) Noſ. meth. T. 2. p. 516.

d) Ibid. p. 512.

panites uteri ab *Aſtrucio* a); *inflatio uteri* a *Sennerto* nominatur. Hanc ſpeciem in *ſiccam* & *humidam* diſpeſcunt; prout vel aër ſolus, vel cum aqua in utero contentus eundem in tumorem elevat.

Inter haſce tympanitidis ſpecies ſolummodo de tympanitide inteſtinali, utpote omnium frequentiſſima, hic præcipue ſermo erit; alias utpote minus frequentes ob brevitatem, quam tempus & circumſtantiæ me obſervare jubent, hic leviter ſolum attingere debui.

Symptomata.

1mo. Incipit plerumque a borborygmis, qui ab aëre a quacunque cauſa in inteſtinis extricato, & ſubito, poſt ſolutum ſpaſmum, locum mutante oriuntur.

2do. Dolores abdominis pertinaces, qui in initio plerumque ad umbilicum, deinde ad totum abdominis ambitum referuntur. Hi dolores a diſtentis ab aëre contento inteſtinis plerumque initio tenuibus dependent; malo autem progrediente inteſtina craſſa ſimiliter afficiuntur. Aſt malo provecto extenſis jam valide inteſtinis, nec amplius ſe contrahere valentibus dolor ceſſat, paralyticis jam redditis fibris muſcularibus inteſtinorum.

a) De morb. uteri L. 2. c. 9.

3tio. His accedit dolor lumborum; ſi enim valde intumuerint inteſtina, meſenterium neceſſario diſtrahitur; ſi in tenuibus inteſtinis malum hæſerit, meſocolon vero, ſi in craſſis: verum & meſenterium & meſocolon, uti ex anatomicis notum eſt, lumbis annectuntur; unde ab horum diſtractione dolor ad lumbos refertur. Hinc bene notavit Hippocrates a): *quibus tormina & circa umbilicum labores, lumborum dolor, qui neque medicamento purgante, neque alias ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur.* Et alibi b): *dolor ſupra umbilicum, & lumborum dolor, ſi medicamentis non ſolvantur, in hydropem ſiccum deſinunt.*

4to. *Tumor utricularis totius abdominis renitens, ad ſenſum levis, conſtanter ſurſum, & verſus umbilicum prominens, percuſſione facta tinniens, preſſus mox ſe attollens, ructu, borborygmis, & contumaci ut plurimum ventris adſtrictione ſtipatus, a flatibus oriundus.* Ita definivit tympanitidem *Cel. Combaluſier* c), & hæc definitio apprime convenit tympanitidi inteſtinali; in qua ſpecie abdomen haud æquabiliter extenditur, utpote eminentiis pluribus, iisdem globoſis & oblongis inæquale, uti legitur in hiſtoria ſexennis pueri apud *Cel. de Haen* d). Sectio cadaveris ejusdem pueri demonſtravit hanc inæqualitatem dependere ab expanſis inteſtinis hinc plus, illinc minus dilatatis

&

a) Aphor. 2. Sect. 4. charter. t. 9. p. 138.

b) Coac. præn. N. 305. charter. t. 8. p. 869.

c) Pneumatopath. p. 23.

d) Rationis medendi Tom. 4. c. 3. p. 60.

& impletis. Aëris enim immenſa copia & multum durarum fæcum, eadem explebant a). Tumor hic quandoque in magnam molem aſſurgit, deinde absque ulla evacuatione facta gradatim ſubſidet, ita tamen ut nunquam penitus detumeſcat, uti notatum legitur in hiſtoria puellæ 22. annorum b); idem quoque legitur in hiſtoria pueri ſexennis ſupra citata ex *cel. de Haen.*

5to. *Pertinax alvi conſtipatio;* quæ notatur in hiſtoriis pueri & puellæ mox citatis, & in definitione *cel. Combaluſier* ſuperius allegata legitur. Alvus autem ut plurimum in hoc morbo adſtricta manet, cum inteſtina ab aëre diſtendente diſtracta aut ita debilitentur, ut functiones ſuas exercere amplius nequeant, aut paralytica plane reddantur. Hanc ob rationem collectæ, retentæ, induratæ fæces, tactum exhibent, quaſi pilas protuberantes variis in locis; præcipue in utroque abdominis latere c). Tumores illi cum tumoribus ſcirrhoſis glandularum abdominalium minime ſunt confundendi.

6to. *Urina in malo provecto parca;* diſtenta enim & inflata multum inteſtina comprimunt renes & ureteres, ita ut ſecretio & excretio urinæ turbetur.

7mo. *Difficilis reſpiratio;* dum nempe immaniter diſtento abdomine cavum thoracis arctatur,

a) Ibid. p. 61.

b) Med. eſſays T. I. N. 31. p. 296.

c) Med. eſſays loc. ſupra cit.

tur, uti in ſexennis pueri paulo ante memorati caſu contigit; idem notavit etiam *Hippocrates* a) dicens; *orthopnœam facit hydrops ſiccus.*

Cauſæ.

1mo. *Proxima.*

Eſt vis contractilis inteſtinorum ita imminuta, ut aëri in iisdem expanſo cedere debeant, ſicque magis magisque dilatari. *Si enim ita perierit vis contractilis inteſtinorum; ut plane ſit iners, ſi continuo a prava diæta inteſtina diſtendantur, diſtentaque maneant; erit demum ex proegumena & procatarctica cauſa combinata, cauſa proxima nata, nempe ipſa tympanites* b). *Cl. de Haen.*

2do. *Remotæ.*

A. Proegumena.

Conſiſtit in imminuta vi contractili inteſtinorum; aër in tubo alimentari contentus nitens diſtrahere inteſtina, dum rareſcit, & vis contractilis inteſtinorum, quæ dilatationi huic reſiſtit, tanquam binæ potentiæ ſibi invicem oppoſitæ a *Cel. Littre* c) fuerunt conſideratæ. In ſanitate vis contractilis inteſtinorum prævalet. Si vero a quacunque cauſa debilitetur vis, qua inte-

a) Nro. 421. Charter T. 8. p. 877.

b) Rat. med. T. 4, c. 3. p. 65.

c) Mem. de l'acad. R. de ſcien. 1713.

teſtina contrahuntur, cedent aëri ſe expandenti, ſicque poterit naſci tympanites. Unde poſt morbos longos debilitatis ſolidis corporis partibus ſequi ſolet; hinc viri hypochondriaci & fœminæ hyſtericæ; nephritici & podagrici; ii, qui alvo ſegni laborant. & quorum ſanguineæ evacuationes ſuppreſſæ ſunt, maxime flatulentiis & tympanitidi, quarum hæc ultimus gradus eſt, ſunt obnoxii a).

B. Procatarcticæ.

Frequentiores ſunt 1mo. *Ingeſta cruda, flatulenta.* Demonſtravit *Cel. Hales* b) aërem inhærere corporibus, & notabilem ſatis partem molis eorundem conſtituere; eundemque aërem de nuo inde ſeparari, quando partium inter ſe nexus per ignem, fermentationem, putredinem, effervefcentiam; aliaſue cauſas tollitur vel minuitur: monſtravit pariter aërem, ſeparatum a corporibus, elaſticum reddi, atque denuo ab aliis corporibus reſorptum elaſticitate privari. Obſervavit etiam, vapores aqueos elaſticitatem minuere, ſive ex pura aqua nati ſint, ſive ex animalium corporibus exhalent. Si jam conſideratur, digeſtionis tempore reſolvi alimenta; quædam ex illis in fermentationem, alia in putredinem vergere, neceſſario ſequitur aëris ſeparatio ab ingeſtis; qui niſi iterum reſorbeatur, & privetur ſic elaſticitate per vapores calidos, ex arteriis ultimis in cava ventriculi & inteſtinorum exhalantes,

a) Lieutaud precis de med. pratiq. p. 569.

b) Vegetable ſtatik. Chap. 6. p. 309.

tes, diſtendet hæc viſcera, & quidem tanto magis, quanto plus aëris ingeſta continebunt, & quanto hæc viſcera minus firma erunt, adeoque expanſioni aëris minus reſiſtere poterunt.

2do. *Spaſmi hyſterici.* Acre irritans inteſtinum ſic poteſt ſtringere inteſtini locum, cui applicatur, ut nihil tranſire poſſit; quod dum in pluribus locis ſimul fit, interceptus aër expanditur, & inteſtini cavum dilatat quam maxime. Idem in hyſtericis & hypochondriacis ab animi affectibus fieri, omnibus notum eſt. Aſt ſi ſimiles cauſæ vel validiſſimæ fuerint, vel frequenter repetitæ, aut diuturnæ, perit vis contractilis inteſtinorum, vel ſaltem adeo debilis fit, ut aëris rarefactio ſemper prævaleat, & tunc tympanites adeſt, qui *tympanites ſpaſmodicus* audit a).

3tio. *Defectus bilis. Bœrhaave* b) poſt veteres docuerat ex defectu bilis in inteſtina delatæ facile tympanitidem naſci; idem obſervatione confirmavit *Cel. de Haen* c). Bile enim deficiente, inteſtinis deeſt neceſſarius, quo & agant, & ſe exonerent, ſtimulus. Ergo expanduntur; & perſeverante, aut continuo repetente, eadem expanſione, fibræ eorum demum fere paralyticæ fiunt, nec niſi duplicata vi reſpirationis, aut validorum purgantium ſtimulo, commoventur ad evacuationem. Evacuata autem hæc inteſtina vix concidunt, quum

vi

a) Pomme eſſay ſur les vapeurs obſ. 14. 15.

b) Inſtit. med. §. 817.

c) Rat. med. T. 4. c. 3.

vi contractili amiſſa, mox aëre extendantur, fæcibus dein tempore accumulatis, immanius turgeant, atque ita ad exonerandum ſeſe, vi indigeant validiore, quam antea. Hinc patet, quare non raro icterum tympanitis excipiat.

4to. *Febres intermittentes male curatæ.* Caſum ſexagenariæ hyſtericæ per hydragoga & kinkinam ſanatæ, cui poſtea tympanites ſupervenit, refert *Cel. Sauvages* a). Alius alibi b) legitur caſus puellæ poſt febrim tertianam male tractatam tympanitidis morbo affectæ. Forte ob natas a mala medela hepatis obſtructiones, indeque natum in inteſtinis bilis defectum.

5to. *Iteratæ colicæ & ileus.* Obſervationem tympanitidis poſt ileum natæ refert *Cel. de Haen* c). Nec captu difficile, quare poſt ileum ſequatur tympanitis. In ileo enim cum alvus diu pertinaciterque clauſa maneat, inteſtina ita diſtenduntur, ut, debilitata vi contractili, aëri in inteſtinis expanſo cedere debeant, ſicque tympanitidem exhibere. Colicæ iteratæ ob ſpaſmos concomitantes, diu durantes, aut ſæpe repetitos, tympanitidem excitare poſſunt. Vide ſupra Nro. 2.

6to. *Inflammatio inteſtinorum.* In eorum enim inflammatione, pars inteſtini, quæ loco in-

a) Noſ. meth. T. 2. pag. 517.

b) Med. eſſays loc. ſupra cit.

c) Rat. med. T. 2. p. 517.

flammato altior eſt, immaniter diſtenditur, inflatur, dilaceratur, cum dolore acutiſſimo: verum nimia diſtractio rupturæ proxima pro effectu ſuo relinquit debilitatem nimiam. Imo dolor ingens diuturnus, & quidquid diſtrahendo aut diſtorquendo nervos lædere poteſt, paralyſin inducere valet a). Inducta autem per nimiam diſtractionem aut nimia debilitate, aut paralyſi inteſtinorum, eorundem actio muſcularis ita enervabitur, ut vim aëris ſeſe expandentis coërcere nequeat.

7mo. *Vermes.* Unde oritur tympanites *Cel. de Meyſerey* b); eſtque, qui febres verminoſas ſæpius comitatur, aut qui a vermibus fovetur. Diſtinguitur hæc ſpecies ab aliis per ſigna vermium.

Diagnoſis.

Hanc determinant 1mo. cauſæ prægreſſæ tympanitidi præſertim efficiendæ idoneæ. 2do. Symptomata ſoli tympanitidi propria. Quamvis omnia ſymptomata ſuperius enumerata ſuam conferant ſymbolam ad formandam diagnoſim, præcipua tamen, notante *Ill. van Swieten* c), ſunt hæc bina: ſi abdomen percuſſum inſtar tympani reſonet, & ſi æger ad ſtateram levis ſit.

Prog-

a) H. Boerh. aph. 1063.

b) T. 3. Nro. 592.

c) T. 4. p. 172.

Prognoſis.

1mo. Periculoſus admódum eſt morbus. Unde *Aetius* dixit: *eſt autem tympanitas omnino periculoſus, minus eo aſcites: adhibetur enim in eo pertuſio ſive punctio, quam græci paracenteſin appellant, & reliquis quoque remediis promptius, quam ille, obedit. Cel. Lieutaud* a) declárat tympanitidem morbum ſemper formidandum, quandoque longiſſimum, & ad remedia æque rebellem ac aſciten. Curatu ſemper difficilem morbum eſſe notant *van Swieten* & *Sauvages.*

2do. Curatio impoſſibilis eſt, ſi nervorum meſentericorum & meſocolicorum paralyſis ſit irreparabilis; etenim in hoc caſu, licet omnis aër ac fæculenta materies expulſa fuerit, cauſa tamen aſſiduo renaſcens, dat, cum hac perſeverante proëgumena, ſemper novam cauſam proximam. Ita *Cel. de Haen* b). Abſolute incurabilem tympanitidem amiſſo ab enormi dilatatione inteſtinorum tono pronunciat *Cel. Lieutaud* c). Hinc

3tio. In tympanitide jam adulta ſi nulli flatus exeant, nulli borborygmi audiantur, malum eſt. Horum enim abſentia denotat paralyticas jam eſſe redditas fibras muſculares inteſtinorum, vel ſaltem per morbum ſic mutatas, ut functionibus ſuis exercendis ſint impares. Pro bono autem

a) Precis de med. pratiq. p. 562.

b) Rat. med. T. 4. c. 3. p. 66.

c) Loc. ſupra cit.

tem omine habetur, ſi borborygmos percipiat æger, cum ſignum dent inteſtina recuperaſſe, vel nondum penitus ſaltem amiſiſſe vim ſe contrahendi, unde poſtea copioſiſſimi flatus expelluntur, & tunc ſubſidet abdomen ſatis ſubito, licet quandoque poſtea intumeſcat denuo, donec tandem idoneis remediis adhibitis, inteſtina debitum robur acquirant, non amplius redeunte abdominis tumore: quemadmodum contigit puellæ poſt febrim tertianam male curatam tympanitide correptæ a): huic datis purgantibus fæces eliminabantur; ſed vix aliquid flatulenti; & parum mutabatur abdominis tumor: varia tentabantur remedia externa, & interna, ſed vix ullo cum ſucceſſu: alvus ſemper erat ſtricta, flatus nulli exibant. Tandem inceperunt murmura & borborygmi in abdomine; aliquid ſanguinis exivit ano; antea enim hæmorrhoidum fluxum paſſa fuerat; poſtea per biduum flatus ſurſum & deorſum tanta cum vi exibant, ut nemo ægrorum in eodem noſocomio decumbentium tolerare potuerit; abdomen detumeſcebat, & reddebatur mollius; pergebat flatuum exploſio, & quamvis tumor abdominis ſubinde rediret, datis corroborantibus adeo convaluit, ut duris laboribus ferendis par eſſet, & integra poſtea maneret ſanitas; licet plerumque nudis incederet pedibus, validos labores perficeret, nec exquiſitiori victu uteretur.

4to. Conjunctus cum aſcite tympanites malus. *Aræteus* b) omnes hydropes malos pronuncia-

a) Med. eſſays T. 1. Nro. 31. p. 96.

b) De Cauſis & ſignis morb. diut. l. 2. c. 1. p. 49.

ciavit; ſed longe pejorem illorum permiſtionem dixit. Hac conjunctione difficiliorem tympanitidis curam reddi notavit etiam *Cel. Lieutaud* a). Et non ſine ratione; etenim ſi tympanites abdominalis ab aëre ex putreſcentibus aquis extricato & abdomen diſtendente, cujus ſigna alibi dicta ſunt; vel erit tympanitides inteſtinalis ortus a debilitatis inteſtinis per longam macerationem in aquis cavo abdominali contentis. Jam qualiscunque fuerit ſpecies triſtem ſemper prognoſim facere debebit prudens medicus.

5to. *In hydropicis ſiccis urinæ ſtillicidia mala. Malæ etiam urinæ parva ſedimenta habentes Hippocrates* b): hæc enim deſignant ventriculum & inteſtina inflata ſic comprimere renes & ureteres, ut ſecretio & excretio urinæ turbetur. Sed ab eadem cauſa, ſi tympanites diu durat, certo huic jungitur aſcites notante *Cel. Lieutaud* c).

6to. Tympanites ortus ab atra bile turgente, ab inteſtino a vermibus perforato, a gangræna inteſtinorum, lethalis ab omnibus pronunciatur.

C U R A.

Indicationes.

Sunt imo, ſi ob atroces a diſtractione dolores orta fuerit, aut immineat inflammatio inte-

a) Precis de med. pratiq. p. 361.

b) Nro. 453. charter. t. 8. p. 869.

c) Loc. ſupra cit.

teſtinorum, hanc imminentem præcavere, aut jam præſentem tollere.

2do. Si alvus, ut plerumque contingere in hoc morbo ſolet, fuerit conſtipata; indicatio eſt eandem reſerare. Hiſce duabus indicationibus cura pallians abſolvitur.

3tio. Indicatio eſt collecti in cavo inteſtinali aëris elaſticitatem deſtruere, & demum huic quemdam exitum parare.

4to. Deinde indicatio eſt debilitata a diſtenſione inteſtina roborare.

Primæ indicationi ſatisfit per venæ ſectionem, quam in initio, ob dolores, calorem, tenſionem, inſtituendam eſſe ſuadet *Sauvages* a). Proſunt quoque in eundem ſcopum emollientia ore aſſumpta, & ano forma clyſmatis injecta. Notavit etiam *Ill. van Swieten* b), quod ſanguinis miſſio ſæpe uſum habeat, ut nata jam inflammatio in diſtentis flatu partibus, vel vicinis ab iiſdem compreſſis, tollatur, vel caveatur futura. Aſt largam ſubitamque venæ ſectionem eo ſolo ſcopo factam, ut ſpaſmi in initio hujus morbi præſentes tollantur, reprobat; cúm ab hac ſola cauſa convulſio naſci poſſit c).

Se-

a) Noſ. meth. T. 2. p. 514.

b) Comm. in Boerh. aph. T. 2. p. 243.

c) Ibidem.

Secunda indicatio erat alvum conſtipatam reſerare. Hoc autem obtinetur, dum morbus recens eſt, clyſmatibus laxantibus & purgantibus mitioribus: qualia ſunt manna tamarindi, oleum amygdalarum, & ſimilia. *Sauvages* monet cavendum hic eſſe a canthariticis, niſi mitiora ſint. *Cel. Hofmannus* etiam ſuſpectum habuit acriorum purgantium ſtimulum; laudat enim pilulas purgantes cum anodynis maritatas, dum ſimul ventrem camphora oleo amygdalarum ſolata inungi jubet. Vera quidem hæc ſunt, ſi morbus recens ſit, metusque inflammationis & dolores adſint, aut ſi non turgeat tota inteſtinorum ſeries, ſed hinc inde conſtricta ſint inteſtina; a validioribus enim catharticis non ſine ratione metuitur tunc major conſtrictio in locis inteſtinis coarctatis. Aſt inveteraſcente morbo, & calore, ſpaſmo, dolore imminutis, tunc cathartica fortiora, reſolventia, ac tonica tutius agunt. *Cel. Sauvages.* In eodem caſu ad alvum reſerandam conveniunt etiam enemata irritantia, usque ad fortiſſimum; imo ipſe fumus tabaci, quem etiam incaſſum adhibuit *Cel. de Haen* a) in viro tympanitico a triennio, gravi demum ileo affecto, qui intra triduum exſpiravit.

Tertia indicatio erat collecti in cavo inteſtinali aëris elaſticitatem deſtruere, & demum huic quemdam exitum parare. Huic indicationi ſatisfit variis auxiliis tam externis, quam internis: inter auxilia interna, huic ſcopo inſervientia, plurimas laudes meruit ſpiritus ſulphuris

a) Rat. med. T. 2. p. 65.

ris per campanam, quem fortuitus caſus practicus docuit inſigniter in hoc morbo prodeſſe a). *Gremb-ſius* purgantibus hydragogis fruſtra tentaverat curare hunc morbum, poſtea fomentum ex urina pueri, & lapide prunellæ imperaverat, vix ullo modo ſperans de ſanatione morbi. Tandem petiit æger remedium, quo ſitim intollerabilem lenire poſſet. Habebat medicus præ manibus ſpiritum ſulphuris per campanam, ejus portionem dedit inſtillandum aquæ fontanæ. Sitis non tantum ſedata fuit inde, ſed flatus copioſiſſimi eruperunt, venter detumuit, & integræ ſanitati fuit reſtitutus. Demonſtravit *Cl. Hales* b) ſulphuris vaporem abſorbere potentiſſime aërem, ſive ejus elaſticitatem inſigniter minuere; ſed ſpiritus ſulphuris per campanam nihil aliud eſt, quam vapor ſulphuris condenſatus; ergo huic ſcopo ſatisfacere poterit. Si enim inteſtina nondum omnem ſuam vim perdiderunt; ſimul ac aëris elaſticitas hoc remedio minuitur, vis contractilis inteſtinorum prævalere incipit, & flatus expellit. Atque hoc contigiſſe videtur in caſu memorato, dum ſpiritus ſulphuris per campanam cum aqua copioſa fuit exhibitus.

Inſuper ad expellendum in inteſtinis aërem contentum commendantur a medicis remedia ſic dicta carminativa, interne & externe, adhibenda: qualia ſunt chamomilla, meliſſa, mentha, aniſum vulgare & ſtellatum, anethum, carvum, cuminum, coriandrum, fœniculum, & multa his ſi-

a) Combaluſier Pneumatopath. p. 455.

b) Vegetable Staticks Chap. 6. p. 226.

ſimilia, quæ ipſa in ſubſtantia, aut quorum præparata variis formis interne propinantur, & externe applicantur. Hæc & ſimilia grata aromata videntur agere, fibras inteſtinorum leviter irritando, ſpaſmos leniores excitando; ſiquis enim ſpiritùm aniſi, aliumve aromaticum ſumpſerit, brevi ructum edet, licet antea nullos omnino flatus ſenſerit; unde apparet leni irritatione hæc prodeſſe poſſe, ut facti jam ſpaſmi ſolvantur, dum ab iisdem aſſumptis leniores, & illico fere evanidi ſpaſmi excitantur. Viderat enim *Ill. van Swieten* a) in vivis animalibus diſſectis, dum irritaret leniter inteſtina, ſpaſmum fieri in loco irritato, vel aliquando in loco vicino: ubi vero in alio loco ſimilem irritatiunculam fecerat, vidit priorem ſpaſmum ceſſare, & ipſi ſimilem alio in loco naſci. Inter carminativa non immerito primum locum obtinent acida mineralia dulcificata; verum neque hæc, neque alia ſunt exhibenda, niſi abſente omni inflammationis metu, evacuatisque apto remedio inteſtinis.

Adhibitis incaſſum laudatis nunc remediis, aquam, glacie aut nive frigidiſſimam redditam, abdomini applicuerunt medici, & ſimul potandam dederunt feliciſſimo cum effectu. *Hippocrates* b) triginta urceos aquæ frigidæ effundi juſſit ſupra corpus mulieris robuſtæ, quæ a ſumpto medicamine ventre intumuerat cum dolore, dyſpnœa, animi conſternatione; huic ex aqua frigida nec dolor, nec dyſpnœa remiſerant; quinquies mortua vi-

a) Comment. in Herm. Bœrh. aph. §. 650.
b) L. 5. epid. obſ. 18.

viſa eſt, hac affuſione frigidæ ſublevata fuit, bilem copioſam dein dejecit, & vixit. Sexagenariæ hyſtericæ a quartana per hydragoga & kinkinam ſanatæ ſupervenit tympanites cum dolore. Fœtus frigidi, aqua nive frigefacta, ſerum lactis, clyſmata ex oleo, dein diarrhæa bilioſa, flatus multos emittens, abdominis tumorem abſolvit. *Sauvages* a). *D. Raſt* fomento ex aqua frigida, dein vero gelida, duos tympaniticos Lugduni ſanatos vidit. Præmiſſis fruſtra nunc laudatis remediis monente *Sauvageſio* b), mire convenit intus aqua gelida; imo fruſtula glaciei ſunt voranda ad condenſandum flatum. Certe frigus tale ſubitum ſtringit partes ſolidas, & ſimul minuit flatuoſæ materiæ expanſionem, ſicque volumen aëris diſtendentis minuendo, & inteſtinis robur addendo, prodeſſe poteſt. Simul ac autem abdomen ſubſidere incipit, faſciis circumductis firmandum eſſe ſuadet *Ill. van Swieten* c), ut non tam facile ventriculus & inteſtina dilatari denuo poſſint, ſed reſiſtant rarefactis vaporibus, qui per illorum cava oberrant.

Veteres in illa opinione fuerunt, cucurbitas ex profundo corporis aërem extrahere: ſic enim de cucurbita habet *Celſus* d): *ubi inhæſit, ſi conciſa ante ſcalpello cutis eſt, ſanguinem extrahit; ſi integra eſt, ſpiritum. Ergo ubi materia, quæ intus*

a) Noſ. meth. T. 2. p. 517.

b) Ibidem.

c) Comm. in Boerh. aph. T. 4. p. 276.

d) Lib. 2. c. 11. p. 83.

tus eſt, lædit, illo modo: ubi inflammatio, hoc imponi ſolet. Galenus a) jam monuerat per cucurbitas illico dolores a flatulento ſpiritu ortos tolli, ac ſi incantamento hoc fieret. Verum hunc effectum non præſtant aërem ex abdomine extrahendo; ſed videntur eundem præſtare, dum humorum copiam & impetum in illum corporis locum, cui immediate adhærent, derivant, ſicque a vicinis partibus avertunt; ſimul etiam nervi, per partem cucurbitæ ſuppoſitam diſperſi, irritantur & dolent ſæpe; atque ita ſolvi poſſunt ſpaſmi in aliis locis nati.

Si autem nullis remediis cedat tympanites, an punctura locum habet? ſi tympanites abdominalis foret, cum ille plerumque putredinis ſoboles ſit, facile apparet, tunc parum ſperari poſſe. Levabitur forte æger a moleſta tenſione; ſed, manente putrido fomite, renaſcetur tympanites. Nec faſciæ hic quidquam juvare poterunt; ſi enim regeneretur elaſticus aër in cavo abdominis, ſummas anxietates faciet, nec poterit ferri ab ægro abdominis compreſſio. Attamen ſi irritis omnibus auxiliis æger cruciatibus in ambitu abdominis torqueatur, qualem olim ſe vidiſſe meminit *Sauvages* b), alias vegetus ſit, nec putredinis in primis viis ſint indicia, unicum ſolatium ex paracenteſi exſpectandum credit, hancque olim non adhibuiſſe illum pœnituit. Quippe miſera mulier, ad quam accerſitus fuerat, ita cruciabatur tympanitide, ut adhuc integris viribus, facie rubens,

Ii 2 me-

a) Noſ. meth. T. 2. p. 516.

b) Lib. 12. meth. med. C. ult. charter T. 10. p. 356.

mediæ ætatis, mente conſtans, nullis remediis internis ſublevata, eadem die, qua illam inviſerat, fato functa ſit.

Mortuus eſt quidam vir tympaniticus brevi poſt paracenteſin, cujus rei teſtis fuit *Helmontius* a). Verum editus flatus immenſe putridus, & cadaver olebat, quod gangrænam viſcerum arguebat. in caſu *Sauvageſii* fieri poſſet; quin imo *cel. Lieutaud* credit multos ægros periiſſe, qui hoc auxilio ſervari potuiſſent. Hæc dicta ſint de paracenteſi inſtituenda in tympanitide abdominali.

Si vero non in cavo abdominis, ſed in ventriculo & inteſtinis, hæſerit aër, non poterit punctura viam aëri facere, niſi pertundantur hæc viſcera. An autem hæc pertuſio hic locum habere poterit? Equidem chirurgi inteſtinum, per parvum foramen, egrediens, aëre diſtentum, ita ut reponi non poſſet, acicula pertuderunt, ut collapſum refundere poſſent; neque aliquid metuendum videtur ab his vulnuſculis; nam flatu exploſo contrahetur inteſtinum, & diſparebunt tales aperturæ parvulæ, nihilque contentorum inteſtino per illas poterit egredi. Tales inteſtini puncturas ſe felici cum ſucceſſu inſtituiſſe dicit *Paræus* b). Verum hæc vulnuſcula minima erant, & contracto poſtea inteſtino diſparere debebant integre; quod certo non poſſumus ſperare in tympanitide; quin majori acu opus eſt ad paracenteſin abdominis, cum ſæpe una cum aëre

a) Cap. ignotus hydrops p. 416. ad Nro. 44.

b) Lib. 10. Chap. 36. p. 156.

aëre adeſſe ſoleat aliqua aquæ copia, & inteſtina, tamdiu aëre diſtenta, multum ſæpe amiſerint de vi ſua contractili; adeoque metuendum foret, ne ex tympanitide inteſtinali, ſequeretur abdominalis, & poſſent per foramen inteſtino factum in cavum abdominis delabi contenta inteſtinorum, quæ corrupta dein nova & immedicabilia mala producerent. Ex quibus apparet paracenteſis inutilitas in tympanitide inteſtinali. Equidem *cel. Lieutaud* credit etiam paracenteſin tentari poſſe, ſi flatus in primis viis contineantur. Aſt incertæ ſane opus aleæ foret hoc tentare; ſed ubi certa pernicies imminet, anceps remedium experiri licet, acerbo prognoſtico præmiſſo, ut famæ medici conſulatur. Eadem methodo, & iisdem cum cautelis, deberet tunc paracenteſis inſtitui, ac in aſcite. Acus triquetra tamen deberet eſſe minoris diametri, ut parvum vulnus tantum infligeretur inteſtino, ut eo certius & citius occluderetur.

Quarto indicatio erat debilitata inteſtina corroborare. Id autem obtinebitur remediis roborantibus ſtomachicis v. g. elixirio ſtomachico D. V. liquore viſcerali, & ſimilibus.

Quoniam tamen ſunt varietates hujus morbi, in quibus prædominatur vel acidum, vel glutinoſum, vel atonia, pro diverſis hiſce conditionibus diverſa auxiliorum genera ſunt prioribus addenda, quæ videſis apud *cel. Combaluſier* in Pneumato-Pathologia Nro. 355.

X.

FRANCISCI XAVER. TSCHEBULZ

CARNIOLI RUDOLOHSWERTENSIS

DISSERTATIO

DE

ICTERO.

§. I.

De ictero in genere.

Icterus varjis nominibus erat dotatus: ſic Hippocrates: cum *morbum regium*, *auriginoſum*, *arquatum* adpellat, quorum nominum analyſim *Ill. van Swieten* a) pulcherrime explanat.

Quum vero *icterus* ſit multiplex, neque unam, eandemque ſemper ſalutet cauſam; tum varii ideo auctores in diverſas abiere ſententias, quarum aliquas hic adducere juvabit; ſic *Tozz* b) lym-

a) Tom. IV. de hep. & ict. pag. 263.

b) Tom. 1om. pag. 221.

lympham, & ſerum cum acido comixtum morbi hujus tanquam cauſam ſæpius incuſat, ajens: *arquatum morbum accidiſſe ex lympha, & ſero ſanguinis exaltato, atque flavum colorem adepto, ob mixturam ſalis acore præditi, ſeu ſucci acidi cum lympha ſuo etiam ſale imbuta, ſimili ferme modo, ac experimur lixivium ex cineribus paratum flaveſcere, vergereque in croceum colorem, ſi acidum juſta menſura ſuperaffundatur, quin & lixivium ipſum, ſi multo & acri cinere aſperſum, plusquam deceat efferbuerit, non leviter rubeſcere ſolet, & ruſſum colorem induere &c.* Accidit ſæpe hydropem aſcitem tanquam cauſam *icterum* agnoſcere, qui vitiatæ lymphæ, & lymphaticis vaſis communi voto tribuitur. Non minus a vipera demorſi idem confirmant, qui momento temporis toto corpore flaveſcant, in quibus vix obſtructio ductus choledochi incuſari poteſt: taceo de *ictericis*, in quibus ſecto cadavere, ductus hepatici naturaliter conſtituti fuere inventi, nil dico de *ictero* cohibitam ſeminis emiſſionem ſequente: ſilentio prætereo *icterum* ruſticorum, qui ſola naribus cucumeris ſylveſtris applicatione huic ipſi medentur. Recentiores tamen omnes regurgitationem bilis a quacunque ratione progenitam *icterum* efficere ſtatuunt, quorum opinioni & ego adhærens dico:

§. II.

Icterus eſt cacochymia biliosa a regurgitatione bilis progenita habitum totius corporis, præcipue albugineam oculi præternaturali flavo, aut flavonigreſcente, vel vireſcente deturpans colore.

§. III.

§. III.

Diviſio *icteri* apud diverſos variat auctores, quorum aliqui dividunt *icterum*

1mo. *Ratione originis* in *hepaticum* ab obſtructione, impeditoque bilis hepaticæ effluxu, regurgitantis in ſanguinem, cujus ſigna ſunt: incrementum lentius, colorque dilutior, qui iterum ſubdividitur in *cyſticum*, cujus eadem ratio, ſed incrementum citius, colorque profunde flavus; dein in *hepatico cyſticum*, in quo utriusque ductus impedimentum, & regurgitatio bilis divinatur, quem per citiſſimum incrementum, coloremque profunde flavum quisque facile dijudicare valebit.

2do. *Ratione coloris* in *flavum*, *flavo viridescentem*, *fuſcum*, aut *nigreſcentem*; quo enim magis a flavo recedit colore, eo pejor eſſe cenſetur.

3tio. *Ratione loci* in *univerſalem*, & *topicum* ab animi adfectibus præcipue ab ira exortum; cui irritabiliores & ad iram procliviores obnoxii eſſe ſolent.

4to. *Ratione febris* in *febrilem*, & *non febrilem*, ſeu *calidum*, & *frigidum*, hic iterum in *inflammatorium*, *pituitoſum*, *bilioſum* & *putridum* diſpeſcitur: *Inflammatorius* denuo eſt ratione *exitus*, vel *ſuppuratorius*, vel *ſcirrhoſus*, vel *cancroſus*.

5to. *Ratione typi* in *chronicum continuum*, & *periodicum*, qui poſterior a calculis viarum bili-

liferarum, modo bili exitum concedentibus modo præcludentibus generatur.

Quia vero hæ diviſiones, & ſubdiviſiones, magis confundunt practicum, quam ad exſtirpationem morbi conducunt, magis in praxi uſitatam ratione cauſæ dabo diviſionem.

§. IV.

Quare 1mo. *Icterum*, in *frigidum*. 2do. In *inflammatorium*. 3tio. *Plethoricum*. 4to. *Periodicum*. 5to. *Spaſmodicum*. 6to. *Neonatorum*. 7mo. Tandem in *icterum febrium gaſtricarum* diſpeſcere non incongruum erit, quorum cuilibet ſpeciei adſignabo cauſam, enumerabo ſymptomata, curamque adnectam.

Antequam vero primam *icteri* exponendam adgrediar ſpeciem, prodromos, præcipuaque primo intuitu occurrentia ſymptomata, ejus cauſam proximam, cauſasque excitantes exponere conſtitui.

§. V.

Prius ac æger icterico ſuffunditur colore, ejus corpus non exigua debilitas, languorque occupat; animo tales linquuntur; quibusdam viſus eſt obſcurior, nonnullis flava, etſi raro, adparent objecta; faſtidiunt cibos, ructus acidos, vel etiam putridos experiuntur; querelam de amarore oris movent; lingua eorum flavo tingitur colore; in toto corpore pruritum, cutisque ariditatem percipiunt cum difficultate proliciendi ſudores, ve-

hementem ſæpius ventriculi dolorem, & anxiam ſcrobiculi cordis perſentiſcunt contractionem; ſtrictura quaſi ab injecto fune circa præcordia, gravitas, tenſio hypochondrii dextri circa hepar, & conſueta male digerentis ventriculi adparent incommoda; quibus non minus infeſtantur inteſtina; urinam craſſam turbidam, linteamina, papirumque flavo tingentem colore, profunde ſubin flavam, crocei magis excernunt coloris, quam in febribus ſimpliciter bilioſis conſpici ſolet; tincta item ſæpe cernitur cereviſiæ adinſtar, prunei nempe coloris cum ſedimento craſſo, lateritio, & furfuraceo fundum petente: tardam, ſiccam, difficilem, parcam ob defectum bilis deponunt alvum, nonnunquam hæc iis pertinaciter eſt clauſa; quibusdam nutricibus lac, & ſaliva amareſcunt: ſudor linteamina, & argentum ſecum geſtum flave colorat; pulſus nonnullis tangitur febrilis, aliquando naturalis: adparet tandem color flavus omnium primo in tunica albuginea oculi, utpote membrana omnium tenuiſſima, facillimeque translucente, dein facies, collum, lingua, totaque corporis ſuperficies, imo pars capitis capillata, capilli, cerebrum, viſcera omnia, muſculi, oſſa, cartilagines, & ſanguis flavo ex flavo-nigreſcente, aut vireſcente deturpantur colore.

Cauſam quod concernit *proximam icteri*, recentiores omnes regurgitationem bilis in maſſam humorum ſtatuunt.

Cauſæ excitantis vices omne id gerere poteſt, quod effluxum bilis quacunque ratione eſt natum impedire: ſic ſanguis mucoſus; paſtaceus; alimenta tenacia, flatulenta, indigeſtibilia cum

pau-

pauco, aut nullo corporis exercitio; viſcera debilia, aut laxa; infarctus hepatis calidus, aut frigidus; calculi in veſicula ſellea generati, & in ductum choledochum propagati; bilis inſpiſſata, inflammatio, ſuppuratio, ſcirrhi ductuum biliferorum; calculi, & pituita inteſtinorum, vel mæconium, fæcesque accumulatæ; hypochondriacorum, & hyſtericarum ſpaſmi abdominales; diu obſtructa alvus; tumor inteſtinorum, ac totius abdominis bili in inteſtina accludens viam, unde *icterus* gravidarum; huc etiam refertur ſerum aut lympha acido depravata; venena ſpecifica, uti venenum viperarum.

De ictero in ſpecie.

CAPUT I.

De ictero frigido.

Icterus frigidus, ſeu *non febrilis*, *lentus*, *chronicus*, *apyretos* etiam dictus, homines plerumque paſtaceæ naturæ ſolet invadere; in his enim raro febris, ſive pulſus obſervatur alteratio, ſed pedetentim ſenſim ſine ſenſu increſcit, & quo magis augentur obſtructiones, eo lentior inordinatiorque fit in hepate humorum motus, bilique præcluditur exitus.

Cauſa proxima hujus ſpeciei eſt, impeditus bilis in duodenum effluxus, a materia ductus aut poros obſtruente, bilemque in maſſam ſanguinis pellente,

Cau-

Cauſæ excitantes ſunt, mucoſus, aut paſtaceus ſanguis, alimenta indigeſtibilia, flatulenta, minime ventriculi viribus correſpondentia: bilis inſpiſſata, tenax, ſibique ipſi in duodenum præcludens exitum: tumor hepatis quiscunque vel ſcirrhoſus, vel non ſcirrhoſus communem biliferum comprimens ductum, item tumor vicini cujuscunque viſceris: uti ventriculi ſubſtantia, ſeu ventriculus ipſe præter modum diſtentus: tumor pancreatis biliferos premens ductus: flexus coli hepaticus multis diſtentus flatibus, fæcibusque coacervatus, prouti contingere ſolet in hominibus ſedentariam agentibus vitam, alvoque ſtricta laborantibus: uterus vel ſcirrhoideus, vel præter modum diſtentus, præſertim ultimis graviditatis menſibus: renis alterutrius magnitudo biliferum premens ductum; inteſtina circa hepar jacentia, eorumque ſpaſmus: tumor denique in ipſa ductus biliferi enatus ſubſtantia *icterum* progignunt.

Cauſis hanc ſpeciem *icteri* excitantibus viſis, ejus *ſigna* perpendamus, eſt neceſſe: ſunt igitur: cauſæ prægreſſæ ætas & vitæ genus, cui ſpeciei maxime obnoxii ſunt ſenes & ſedentariam agentes vitam, uti litterati hypochondriaci, victu glutinoſo, tenaci, craſſoque ſeſe replentes; tales enim in ventriculo frigoris experiuntur ſenſus, in hypochondrio dextro tenſionem, nauſeant cibos, multamque ſæpius vomitu reddunt pituitam.

Cura pro diverſitate adhibetur cauſæ: ſic in pituita ab alimentis crudis, indigeſtibilibus ductum hepaticum, aut cyſticum obſtruentibus generata deſumitur indicatio; incidere nempe pituitam eamque prouti turget eliminare; hinc ſi tur-

geat

geat ſurſim tartaro emetico excuti debet, qui duplici ſcopo ſua & incidendo, & ejiciendo vi facit ſatis; ſi deorſum cremor tart. cum pulv. rad. Jalapp. præprimis laudari meretur.

Tenacitas bilis, eaque inſpiſſata, tumor, obſtructiones quæcunque bili exitum præcludentes ab initio ſolventibus lenioribus reſerari debent: ſic e. g. rad. gram. Tarax. Cichor. Saponar. Bardan. Tragopogon. Scorzon. Sonchi, V. rad. aperient: cum ſalibus mediis mitioribus, uti terra fol. Tartari, Tart. vitriol. Arcan. duplic. &c. iterum ſerum lactis vel ſolum, vel ſale quodam armatum, aquæ minerales, ſelteranæ, egranæ, rhoitſchenſes; fructus horrei cum eorum præparatis: item infuſum rhei; vel rheum in ſubſtantia cum ſale quodam medio commixtum, parvaque propinatum doſi.

Nonnunquam tamen accidit tam diras in corpore hærere obſtructiones, ut his lenioribus ſolventibus medicamentis auſcultare nequeant; tum ad fortiora confugere oportet: uti ſunt antiſcorbutica, nempe Cochlear. Fumar. Trifol. fibr. cum extractis amaris e. g. extracto gentian. centaur. minor. abſynth.; ſi is adhuc pertinacia ſua cedere nollent, fortiſſimis pugnetur, eſt neceſſe, ſcilicet gummiferulaceis, uti ſapone veneto, gummi ammoniaco, aceto ſimplici, aceto ſquillitico; Extracto cicutæ: vel ſolo, vel cum ſapone veneto commixto; item bile taurina inſpiſſata cum gummi ammoniaco, vel rheo ſi alvus obſtructa, vel tarda habeatur. Non parum etiam levaminis adferunt frictiones in hypochondrio dextro cum unguento althææ, & camphora mane, & veſperi in-

inſtitutæ, cui deſuper emplaſtrum de cicuta apponere quam optime convenit, his exhibitis videndum ſemper eſt ad ſaburram, quæ prouti turgere inceperit, evacuanda erit.

Sæpe tamen accidit, ut mucoſa, & tenax bilis non ab obſtructionibus, non ab alia cauſa, ſed ab atonia, & laxitate vel univerſi corporis, vel viſceris alicujus partialis generetur, in hoc caſu & ſolventia, & quacunque ratione evacuantia protracta ægrum in pejus ruere facient, morbumque augebunt, quia ſuo effectu & laxitati, & ſpiſſitudini bilis erunt nutrimento; ſed horum loco amara roborantia, atoniam & laxitatem corrigentia, uti decoctum radicis Cardui Benedicti, Abſynthii, Gentianæ, Chalibeata, Extractum Martis pomatum, decoctum corticis peruviani, vina medicata optatam adferunt medelam.

Cognoſces vero a laxitate exortum *icterum* ſi attenderis ad ſigna morbi prægreſſi diuturni, febris longæ & diu protractæ; ſi ſit ſexus fœmineus, laxus, anni tempeſtas, aërque humidus nebuloſus, habitatio humida, idioſincraſia hominis laxa.

Quare ex his omnibus facile intelligitur, quam male, & cum maximo ægri damno tali in *ictero* venæ ſectiones celebrantur: ſolvitur item problema Baglivii, quam *icteri* ſpeciem roborantibus, & quam ſolventibus mitioribus, vel fortioribus tractare oporteat.

CA-

CAPUT II.

De icterо inflammatorio.

Icterus inflammatorius, ſeu calidus ab inflammatione hepatis, vel partium hepar immediate attingentium inflammatarum ſuum trahit ortum.

Cauſa proxima hujus eſt inflammatio vel totius ſubſtantiæ hepatis, vel veſiculæ felleæ, vel ductus hepatici, vel cyſtici, vel tandem partium circa hepar jacentium.

Ad *cauſas remotas* omne id reducitur, quod hepatitidem efformare poteſt; uti temperies attrabiliaria, depoſitio lymphæ coagulabilis ad hepar ex alio loco; materies febrilis extricata, & ad hepar delata; materies in ſecundis viis febrem biliosam gignens, & circa 7mum, 8vum, 9um morbi diem evoluta, petensque hepar; materies purulenta vel ibi facta, vel ab aliis partibus per metaſtaſim illuc deportata; calculus, ſteatoma, cancer hepar occupantia; corpus calidum ſubito refrigeratum; ſitis in æſtu; & motu validiori diu tolerata, vomitoria vel non indicata, vel ſaburra nondum cocta propinata; anni tempeſtas hepatitidi favens, & ipſum temperamentum ad hanc diſpoſitum.

Ut autem *icterum* ab inflammatione exortum, plurimosque in errorem deducentem dignoſcere valeas, ad ſequentia ut attendas ſymptomata, eſt neceſſe: tales enim ægri pondus, doloremque obtuſum, vel pungentem, ſubin etiam acutum, ſed fi-

fixum, & conſtantem experiuntur, præſertim ſi inflammatio ad diaphragma, ad thoracem, veſiculam felleam, & inteſtinum duodenum excurrat, quæ omnia profundiori inſpiratione facta augentur; dein tales ad latus affectum decumbunt facilius, reſpirationemque ſolo thorace, abdomine immoto perficere poſſunt; inſpirant difficilius, exſpirant facilius: lingua imbuta, cruſtaque eſt obducta: de oris conqueruntur amarore; pulſus fortis, durus, plenus tangitur: urina crocea, parca lateritia conſpicitur, alvus difficilis, parca, aut ſuppreſſa deponitur &c. ex quibus ergo præſentibus de *ictero* inflammationem pro cauſa agnoſcente tunc ſecure formare poteris judicium.

Prognoſim quod concernit, hæc jam *Hippocrati* erat infauſta: inflammatio enim hoc in caſu ejus eſt indolis, ut difficulter terminetur benigna reſolutione, hacque non terminata, plerumque abit in ſuppurationem vix non ſemper lethalem; dein, etſi depulſa fuerit inflammatio a bile tamen diutius cum humorum maſſa circulante oritur diſſolutio, & quidem ut hepatitidem excipiant febres purulentæ, febres a diſſolutione humorum ortæ.

Verum enim vero duplici ex cauſa malam de *ictero* ab inflammatione proveniente *prognoſim* formare oportet; quia primo ſanguis infectus cunctas corporis inevitabiliter contaminat partes, actionesque corporis, & præſertim reſpirationem lædit: tum quia fors ab antecedente hepatis inflammatione aut induratione ſemper multa procreantur mala; hinc bene *Hippocrates* aphor. 74. vit: *icterus 7mo, 9no, 11mo die ab inflammatione hepatis*

tis ortus malum denotat ſignum hypochondrio duro, peſſimus, & vix non ſemper lethalis eſt, ſi ante ſeptimum diem accedat. Non minus etiam involvit diſcrimen *icterus*, ſi tanquam ſymptoma hypochondrii dextri inflammationem potius conſequatur, quia hac ratione tanquam pejoris morbi teſtimonium, nec absque materiei biliferæ corrumpentis malitia, per quam habitus corporis univerſus colore ad croceum cum virore commixtum conficitur.

Cura icteri inflammatorii eſt, uti morbi primarii, id eſt hepatidis, quæ conſiſtit in venæ ſectionibus, interne antiphlogiſticis exhibitis, externe clyſmatibus emollientibus, ad locum affectum cataplaſmatibus, vel fomentis iisdem adplicatis. Si autem levior fuerit inflammatio, ſolventibus antiphlogiſticis depelletur; uti ſalibus mediis mitioribus, quales ſunt terra fol. tartari, nitro, ſero lactis, fructibus horreis &c. remanens vero obſtructio in hepate, fracta phlogoſi curatur, uti *icterus* a cauſa frigida cap. 1mo commemorata.

Huc etiam referri meretur *icterus* a ſuppuratione progenitus, qui plerumque ægrum fato tradit, omnemque reſpuit curam; utpote, quum hac labe adfecti, hectici, conſumptive morti obviam vadant, niſi natura, vel ars puri conciliet exitum.

Signa hujus deſumuntur ex præcedente inflammatione, non reſolutione benigna, nec alia evacuatione prægreſſa; confirmabunt adhuc magis

lenta totius corporis conſumptio: febricula poſt paſtum veſperi aucta, ſudoreque terminata.

Non omitti debet *icterus ſcirrhoides*, cujus ſigna ſunt: inflammatio præcedens non reſoluta, pondus, durities in hypochondrio dextro ad attactum percipienda, qui medelam quidem agnoſcit, etſi & hic quum ægrotantis, tum medici expoſcat patientiam, in quo a lib. Bar. de Störk cicuta, flammula jovis &c. quam maxime commendantur.

CAPUT III.

De ictero plethoricorum.

Icterus plethoricorum ab inflammatorio eſt diverſus, etſi in eum, ſi diutius perſiſtat abire poſſit: huic ſubjiciuntur homines ſanguinei temperamenti, ſedentarii, & lauto utentes victu.

Cauſa proxima hujus eſt, nimia abundantia ſanguinis vel totalis, vel ſyſtematis hepatici; hac enim præſente liber ſanguini per hepar non conceditur circuitus; bilis excretio, & ſecretio impeditur, ac tandem ei via ſeſe in inteſtinum duodenum exonerandi præcluditur; hinc regurgitationem, ac tandem *icterum* ſequi, eſt neceſſe.

Cauſa remota omne id conſiderari debet, quod plethoram efficere, nutrireque valet: ſic chylopojeſis, hæmatopojeſisque bona, vaſa ſanguifera laxa, victus lautus, temperies: ſangui-

nolenta, quies; vita ſedentaria; aër humidus, parciusque humorum diſpendium huc merito reducuntur.

Signa icteri a plethora originem deſumentis cognoſces, ſi nec pituitam, nec calculum, nec quamcunque *icterum* efficientem es inventurus cauſam; quin imo potius in tua confirmaberis diagnoſi, ſi ſe abſtractis omnibus aliis ſignis Boërhavii *plethoram* ſuſtentantes, augentesque manifeſtaverint cauſæ.

Cura in methodo antiphlogiſtica invenit locum, inſtituuntur ſcilicet pro ratione venæ ſectiones, victus conceditur parcus, exercitium corporis inculcatur, propinantur ſolventia, leniter eccoprotica, uti ſerum lactis tamarindinatum etc. cauſæque *plethoram* tam augentes, quam ſuſtentantes removentur.

CAPUT IV.

De ictero periodico.

Icterus non uno decurrens tenore, ſed tempore intercalari ægrum adgredi ſolens, ſub *icteri periodici*, ſeu *calculoſi* venit nomine.

Cauſæ hujus potiſſimum ſequentes adnumerantur: vel enim calculus, vel bilis inſpiſſata, vel ſpaſmi hanc *icteri* ſpeciem generare poſſunt.

Cauſæ remotæ icteri a calculo productæ præcipuæ ſunt: ſenectus, ſedentaria vita litteratorum, ſexus ſequior, diæta farinoſa, craſſa, ſicca, abuſus ſpirituum ardentium, diatheſis calculoſa in aliis etiam corporis partibus, maxime in renibus; & veſica urinaria; diatheſis etiam podagrica huc referri meretur.

Differentia inter calculos felleos, alioſque in corpore reperiundos intercedit, ratione *materiei bilioſæ*, ex qua ut plurimum inſpiſſata generantur calculi; dein *levitate*, quum calculi fellei reliquis multo ſint leviores; tandem *inflammabilitate*, quia utplurimum, etſi non ſemper, calculi veſicæ felleæ ſunt inflammabiles.

Signa calculorum felleorum, vel bilis inſpiſſatæ ſequentia recenſentur; periodicus nempe *icteri* recurſus, quo præſente ægri tenſione, dolore obtuſo, pondereque in hepatis vexantur regione; in ſcrobiculo cordis ſpaſmodicam ſentiunt contractionem, cardialgiam & anxietatem, nauſeam cibos, ſequitur vomituritio, & ipſe vomitus; eorum ſubito anguſtatur pectus; urina turbida, aut croceo tincta conſpicitur colore, hæc omnia excipit *icterus* levans, brevique diſparens, ſponte iterum rediturus. Quam ob rem dicta incommoda per vices tantum adfligunt ægrum, tandem ſi diutius permanſerint, ſubſequitur *icterus* cum dolore inſenſiori. Si ergo ſedato dolore oriatur ſenſim diſparens diarrhæa, ſi horum ſymptomatum ſucceſſio per anni tempus aliquibus redeat vicibus, ſi calculi per anum rejiciantur; de calculorum præſentia tutiſſimum ferendum eſt judicium: quia ex his facile conjicere licet, hæc hisque ſimilia ſymptomata depen-

pendere a viribus vitæ, naturæque conantis calculum, vel bilem inſpiſſatam depellere, eamque eliminare; unde a loco moto calculo, vel bile inſpiſſata ſpaſmos, cardialgiam, variaque tanquam ſoboles procreari ſymptomata, nemo eſt, qui non videat. Quare non ſine ratione movetur quæſtio, utrum calculi in veſicula fellea perſiſtentes cauſare poſſent icterum? Ad quam quæſtionem reſpondeo cum *Roſenſtein* teſtante *cl. Biuur* (diſſert. qua *icterus* &c.) calculos tres magnos, & totidem parvos in veſicula fellea inventos fuiſſe ſine ullo *icteri* apparentis veſtigio.

Cura in hac *icteri* ſpecie duplex eſt, in paroxyſmo, & extra eundem.

1mo. In paroxyſmo indicatio eſt, calculo exituro ſuperiora, vel inferiora verſus parare viam, ſalutares naturæ adjuvare conatus, quod fit aperiendo, & relaxando vias: hinc primo animadvertendum, utrum homo plethoricus ſit, nec ne? Si eſt venæ ſectio inſtituenda, & interne decocta emollientia ex Althæa, Malva, Verbaſco larga exhibenda manu; item mixtura oleoſa, hauſtus oleoſus, cataplaſmata emollientia, & oleoſa omni bihorio adplicanda; non parum etiam adferunt medelæ ſemicupia, balneum totius corporis, præprimis ſi magnus ſimul dolor hypochondrii dextri, aut ventriculi adſit.

Vomitum præſentem, quo natura inimicum expellere conatur, neutiquam ſiſtere, ſed adjuvare oportet; adjuvatur vero aqua tepida, leviter oxymelita, aut ſalita, ſi autem foret vehemens, etiam opiatis, præſertim ſyrupo diaco-

dii, vel balneo totius corporis tepido eſſet moderandus. Quod ſi vomitus non promoveat calculum, & potius convulſio, ſpasmique ductuum biliferorum calculo exitum, progreſſumque prohibeant, iis opium, Extractum Hyoſcyami, & omnis generis conveniunt anodyna, quibus ſedari, atque ſopiri poſſit vomitus, quo præſtito exitus calculo impacto feliciſſime conceditur.

Hiſce omnibus exhibitis, & ſingulari prudentia tentatis, ſi calculus nihilominus in exitu hæreat immobilis, tenſioque urgeat, tali in caſu lenia proderunt irritantia, ea ſcilicet, quæ calculum duodenum verſus invitant; hinc optatum præſtabunt effectum purgantia lenia, tamarindinata, item frictio hypochondrii dextri; non minus prudenti manu remedium alterans, vel etiam emeticum valde impactum excutiet calculum.

Monet tamen *Unzer* ſumme attendendum eſſe tali in *ictero*, ne hoſtis hicce intempeſtivis exaſperetur emeticis, ægrumque in pejus ruere faciat; ſed laudat *Carol. Whyte* ova recentia, quæ bilem inſpiſſatam ſolvunt, viasque lubricant: externe vero *Galenus*, *Roſenſtein*, & *Lentinius* fomenta aceto calido intincta, & parti adfectæ adplicata summopere dilaudant.

2do. Extra paroxiſmum indicatio eſt ſolvere calculum, etſi difficile hoc obtineri poſſit; dein hunc quacunque expellere ratione, ejusque ulteriorem præcavere geneſim.

Solutionem tentare convenit per ea omnia, quæ cap. primo in *ictero* frigido laudata fuere præ-

præprimis *Ill. van Swieten* a ſeſe ipſo copioſo graminis, taraxaci ſucco, ſero lactis, ex quibus totalem fieri curavit victum, plurimos perſanatos fuiſſe teſtatur: non minus ab aliis fructus horrei, vegetabilia, ſaponacea, uti ſapo venetus, rad. V. aperientes paraiera brava, rubia tinctorum: in ſpiſſitudine bilis, bardana, ſerum lactis, lac ebutyratum, rad. fœniculi, naſturtium aquaticum, uva urſi in hoc caſu extolluntur.

Quia vero hæc decocta reſolventia ſæpe frigoris, aut doloris in ventriculo excitant ſenſum, ægroque ita diſplicent, ut ea ſufficienti quantitate amplius ſine nauſea adſumere non valeat, his pillulas ſequentes a *L. B. de Störk* quam maxime commendatas exhiberi optarem.

℞ ſapon. Venet.
extract. Cicut. aa unc. ß.
M. F. pillul. gr. iii.
conſperg. pulv. rad. Fœnicul
D. S.
ut ſumat ter de die 3.

vel

℞ ſapon. venet.
gum. ammon.
extract. Cicut. aa dr. j.
maſs. pill. Ruffi dr. ſ.
elixir prop. dulc. q. ſ.
ut f. pill. gr. iij.
conſ. pulv. rad. Fœniculi
D. S.
ut ſumat ter de die 3.

Ulterior calculi geneſis præcavetur mutato vitæ genere cauſis productricibus ſublatis: hinc ruſticatio, motus corporis, frictiones quotidianæ maxime hypochondrii dextri, vel etiam totius corporis: equitationes, quæ ſummam in inteſtina, omniaque, viſcera abdominalia vim exercent; non perparum aquæ minerales perfectam conciliant ſanitatem, quales ſunt egranæ, ſelteranæ, roitſchenſes, & martiale tempore præſertim verno: ſi vero contigerit, ut æger his adhibitis evaderet debilis, medicamenta ex cortice peruviano, limatura martis non rubiginoſa, aquæ medicatæ vi roborante præditæ, quales ſunt ſpadanæ, ſteknizenſes non ſatis erunt commendandæ L. B. de Stöik a).

CAPUT V.

De ictero ſpaſmodico.

Icterus ſpaſmodicus a ductu bilifero, hepatico, aut cyſtico conſtrictis ſuum trahit ortum.

Cauſa proxima hujus ſunt ſpaſmi, qui præprimis hyſtericas, aut hypochondriacos animi pathematibus, terrori, aut iræ præcipue obnoxios infeſtare amant; viſus item eſt talis *icterus* in hominibus doloribus colicis vexatis, vel in contuſione capitis prægreſſa; non minus a morſu canis rabidi a ſpaſmis præcipue ſyſtematis bilioſi, a veneno ſaturnino ſæpius conſpicere licuit.

Signa

a) Tom. 2do p. 50.

Signa hujus ſunt: temperamentum hyſtericum, aut hypochondriacum; alias frequenter occurrentes ſpaſmi: frequentes, & iterum ceſſantes, morbi recurſus: urina copioſior, limpida: pulſus irregularis: ſpontanea *icteri* ceſſatio; per vicesölbilioſa excitata diarrhæa.

Curam ſibi plerumque natura leni exorta diarrhæa confert; niſi vero hæc occurrat, clyſmata alvum moventia, & interne lene purgans, veſperi autem paregoricum erit exhibendum, ſi vero ſpaſmodicæ hæ contractiones ingentem excitent dolorem, ægrumque in animi conjiciant deliquium, mixtura ſequens citiſſimum procurat levamen.

℞. Aquæ Rutæ unc. jv.
Syrup. Menth. unc. j.
Tinct. Caſtor. gutt. xx.
Laud. liquid. Sydenh. gutt. xv.
M. D. S.

ſumat omni quadrante hor. j. vel 2 Cochl. *L. B. de Störk*.

CAPUT VI.

De ictero neonatorum.

Quum *icterus neonatorum* frequentiſſime in praxi occurrat, hunc præprimis pertractare conſtitui.

Recens nati *ictero* ſuffuſi infantis non meminit *Roſenſtein;* nihilominus tamen infantes ex

utero *icterum* trahere plures auctores memorant, ſolusque binis obſervavi vicibus; neque difficile conceptu eſſe credo, quum infantem inter, & matrem tanta ſit affinitas, tantaque conjunctio, ut morbos non perpaucos, quibus mater adfecta eſt, infans luere debeat; hinc recens nati præprimis a matribus iræ terrorique deditis, & *ictero* laborantibus, etiam icterici lucem conſpicere coguntur.

Poſt partum *Morgagnius* a) ſuſpicatur *icterum* oriri partim ab abſciſſione, & deligatione funiculi umbilicalis in venam portæ ſeſe exonerantis, partim ob defectum ſanguinis materni fluentis ex utero in fœtum, ibique materiem lentam ſolventis: attamen hanc rationem vix locum obtinere exiſtimo, utpote, quum in omnibus recens natis funiculus umbîlicalis, & deligetur, & abſcindatur, conjunctioque matrem inter & infantem non amplius habeatur, non tamen omnes infantes flavo ſuffuſi naſcuntur colore.

Nonnulli calculos bilem inſpiſſatam, corruptamve incuſant; ſed vix hoc veritati proximum eſſe cum *cl. Hallero* judico, qui tot reſecuit corpora, nunquam tamen in veſicula fellea neonatorum calculos ſe inveniſſe fatetur.

Quamobrem *icteri neonatorum* omne id cauſa eſſe poteſt, quod bili exitum præcludit; plerumque tamen moeconium, materiem mucoſam, humoresque paſtaceos poros biliarios, ductum hepaticum, aut choledochum occludentes frequentiſſimam eſſe cauſam, nemo in dubium vocare poteſt. Accedit ſæpe lac ab acido, quo plerique,

&

& ferme omnes infantes impregnati ſunt, in caſeam transverſum materiem, qua ductus obſtruuntur, vel hi acrimonia præſente conſtringuuntur. Non minus in neonatis ubera derelinquentibus excitant *icterum* cibi viſceribus delicatuli infantis non proportionati, aut minus commoliti; item fructus immaturi, quorum copia aut viſcera comprimuntur, vel acrimonia conſtringuuntur, bilique impeditur exitus. Meminiſſe etiam oportet *icteri* neonatorum a vomitu, purgationeve intempeſtivis, vel a vermibus excitati, quibus dolore nimio in ventriculo, dein in inteſtinis exorto choledochus conſtringitur ductus.

Curam juxta cauſas hucusque commemoratas dirigam, & quidem

1mo. Si a moeconio, materia paſtacea, humoribusque mucoſis oriatur, *icterus* talis detergendo de inteſtinis medicamento ſolventi eccoprotico fugabitur, cui ſcopo infanti ubera ſugenti lac maternum faciet ſatis: ſi tamen hoc minus efficax foret, ſyrup cichor. cum rheo, ſyrup. manat. hydrom: infant. ſapo venetus ſolutus adjectis aliquot rhei granis optatum procurabunt effectum.

2do. In *ictero* ab acido generato antacidis, uti pulv. lap. canc. magn. mur. & cæteris acidum abſorbentibus pugnandum, & inteſtina ſyrupo purganti erunt repurganda: ne vero amplius regeneretur acidum, victus accommodatus infanti, vel ſi ubera adhuc ſugit, matri, vel nutrici erit commendandus.

3tio. Copia nimia ciborum ingeſta, aut non debite commolita ductum choledochum premens, icterumque cauſans, decocto hordei melle adjecto erit diluenda, hancque dilutam medicamento eccoprotico tutius per anum eliminare oportet.

4to. Vomitus, aut diarrhæa intempeſtiva *icterum* gignentia pro ratione cauſæ eorum temperanda, & hoc præſtito ceſſabit *icterus*.

5to. Tandem ſi vermes per ſigna cogniti *icteri* cauſa ſunt, hi anthelminticis, uti pulv. rad. jalapp. filicis maris & ſalibus mediis erunt expungendi.

CAPUT VII.

De ictero febrium gaſtricarum.

Icterus febrium gaſtricarum frequentiſſime in febribus intermittentibus præcipue longis, neglectis, maxime quartanis, aut cortice peruviano non prius evacuata ſaburra ſuppreſſis, occurrit, ſubſequitur, aut comitatur dein febres continuas remittentes, bilioſas, putridas, nec non malignas; item omnes ferme morbos æſtatis, autumnique, ut vomitum bilioſum, præſertim ſi morbi hi aut diutius perſtent, aut prava fuerint tractati methodo, æmulatur.

Cauſa hujus eſt materies biliformis primarum viarum lege communi in humorum maſſam re-

reſorpta, tingensque humores, quod fit æſtate vigente, vel ad finem vergente; initio, aut progreſſu autumni, ubi materies hæc minus mobilis eſſe ſolet, eadem etiam biliformis materies non reſorpta cum aliis ingeſtis ad humorum delata maſſam, tenacitate ſua ventriculum, & inteſtina oblinit, gravat, communemque obſtruendo biliferum oppillat ductum, facitque, ut bilis cyſtica, atque hepatica regurgitent in ſanguinem.

Signa deprehenduntur ſequentia: initio facies vireſcente, & uti chlorotico tingitur colore, a quo ſæpe albuginea oculi permanet immunis, quæ potius rubeſcit: fæces non ſunt gryſeæ, uti in alia icteri ſpecie eſſe ſolent, ſed ſunt olidiſſimæ, bileque ſaturatæ, præterea alvus habetur diarrhæica, quæ in *ictero* apyreto eſt potius tarda, unacum fæcibus gryſeis.

Prognoſis ſi icterus diutius in febre gaſtrica perſtet, ſi fuerit ſaturatior, ſi etiam oculos luteo maculet colore; tum febris fit maligniſſima; etenim bilis acrimonia ſua in ſanguinem reſorpta eundem diſſolvit, redditque acerrimum; non minus metaſtaſes periculo plenas, & lethales efficit, quas ſæpius advertere licet in febribus malignis cum ejusmodi *ictero* complicatis, & vel ad caput, thoracem, vel alia viſcera depoſitas; ſic etiam ſæpius intra muſculos femorum, crurum, brachiorum; hujus cauſa in ſectione cadaverum invenitur aqua, ſeu humor vere bilioſus, lintea, & chartam tingens, prouti a bile genuina.

Cura in hoc conſiſtit, ut exuſta, tenaxque bilis ſolvatur, acrimonia corrigatur, & ſabur-

burra evacuetur, ſcopo huic faciet ſatis, rad. Gram. Trax. Fructus horrei, ſales medii, ut cremor tartari, terra fol. tart. &c. præſertim vero attendendum ad febrem generalem, quam comitatur *icterus*, juxta quam methodus dirigatur, oportet.

Pro coronide opuſculi mei addam quædam in *ictero* obſervanda, & quidem

1mo ictericum nunquam noctu viſitare oportet, utpote quum noctu color flavus a naturali perfecte diſtingui nequeat.

2do. In *ictero* quocunque cauſa inveſtiganda eſt, juxta quam methodus medendi feliciter inſtituetur.

3tio. Utrum icterus cum, vel ſine febre adſit, attendendum, quia contrarie adhibita cura ægrum ſi non ad ſuperos mittit, certe tamen morbis chronicis vix unquam ſanandis tradit.

4to. Icterus die critico cum levamine ægri in febribus bilioſis exortus, etiam tanquam criticus conſiderari debet, quo præſente non icterus, ſed febris principalis eſt domanda.

5to. Icteri epidemice graſſantis, & infantes a tertio, 8um uſque annum occupantis meminit Hillary.

6to. Si nulla *icteri* omnium ſupra dictarum ſpecierum inveniri poſſit cauſa, inveſtigandum eſt, numne a lue venerea proveniat? alii enim me-

medendi methodo non cedet, niſi methodo antivenereæ.

His igitur fideliter, & præcipuo labore exantlatis, ſi quis ex hoc meo opuſculo aliquem hauſerit fructum, non parum mihi gratulabor, meumque laborem maximo præmio donatum eſſe exiſtimabo.

XI.

JOANN. BAPTIST. PARDINI
AUSTR. VINDOBONENSIS
DISSERTATIO
DE
CARDIALGIA.

CARDIALGIA.

§. I.

Cardialgia, qúæ cardiogmus, cardiacus morbus, cardiaca paſſio Hippocratis, cardiaca Celſi, cardiacus affectus Alexandri Tralliani lib. VIII. c. 9. vocatur a græca voce καρδια cor, & αλγια, dolor, ac ſi dolorem cordis diceres, quod quidem falſum eſt; notum enim habemus, καρδιας nomine jam veteribus veniſſe ſuperius ventriculi orificium, quo œſophagum excipit, id quod ex variis Hippocratis locis, ex Thucydide lib. II. p. 130. ex Nicandro *Alexiph. v.* 19. elucefcit; ut adeo non cordis, ſed ventriculi affectionem ſignificet. Itaque definitur cardialgia, eſſe moleſtus do-

dolor quaſi rodens perceptus ſub cartilagine enſiformi in illo loco, quem ſcrobiculum cordis vocant. Ill. van Swieten *Comment. Tom.* 1. §. 63. & *Tom.* 3. §. 1075.

§. II.

Diverſam hujus morbi faciunt auctores diviſionem; ſic dolor ventriculi a quibusdam dividitur ratione diverſæ ſenſationis 1mo. in pyroſin ſive ardorem ventriculi, germ. das Sodbrennen 2do. in cardialgiam ſtricte ſic dictam, quam ſtipatam ſimul levi animi deliquio dicunt; 3tio. in gaſtrodyniam, dolorem nempe ventriculi preſſorium, vel etiam qualemcumque alium absque animi deliquio, cujus abſentia diſtinguitur a cardialgia.

§. III.

Facile autem cuique in promptu eſt, has diviſiones minime nos in ſana medicatione inſtituenda dirigere poſſe; hinc aliam utiliorem, atque magis practicam ſuppeditabo diviſionem, petitam a diverſa cauſa cardialgiam producente. Ipſæ vero iterum cauſæ adeo multiplices deprehenduntur, ut iis omnibus omnino recenſendis patientiam cujusvis nimium tentare viderer, memoriam potius gravarem, quam adjuvarem; conſuetas igitur ſolum, & in praxi præ reliquis frequentiores ſequentibus enumerabo.

§. IV.

Octo igitur ſpectata præcipuarum cauſarum differentia ſpecies cardialgiæ ſtatuo, quarum 1ma eſt ſaburralis; 2da. flatulenta; 3tia. ſpasmodica; 4ta. menſtruantium & hæmorrhoidalis; 5ta. gravidarum; 6ta. ab acribus aſſumtis; 7ma. metaſtatica; 8va. a vitio organico nata. Singulas has ſpecies jam paulo altius perpendamus.

§. V.

Cardialgia ſaburralis varia eſſe poterit, prouti varia fuerit ſaburra. Si itaque primo loco cardialgia a ſaburra acida exorta, quæ ructibus acidis, appetitu quandoque ingenti, quandoque penitus dejecto, pondere ventriculi, flatibus, torminibus, & reliquis præſentis acidi ſignis dignoſcitur. Hanc ſanant, præmiſſo vomitu, omnis generis abſorbentia, magneſia nitri, cui aliquid rhei, vel myrobolanorum fuit additum. Ulteriorem vero materiæ acidæ geneſim prohibent abſtinentia ab acidis, & amaricantia omnis generis medicamenta. Sunt, quos mire juvant pauca quotidie grana piperis integra adſumta; ſic enim ventriculi vigorem reſtaurant, quo reſtaurato non amplius ſordes acidæ generantur. Qui huic malo obnoxii ſunt, percurantur ſæpe, ſi quotidie mane & veſperi potum aquæ frigidæ aſſumant, qui innoxius, imo maxime medicamentoſus eſt, modo non aſſumatur corpore æſtuante, & ventriculum languidum mirum quantum excitat. Proderit porro exercitium corporis debitum, ut eo corpus roboretur, ſicque geneſis futuri acidi præcaveatur.

§. VI.

§. VI.

Altera cardialgiæ ſaburralis ſpecies eſt, quæ oritur ab ingluvie. Dignoſcimus hanc ab erroribus diæteticis gravioribus prægreſſis, a prægreſſo prandio lauto, & egregia ingurgitatione; tum a flatibus, a ructibus rancidis tanquam ab oleo rancido aſſumto. Ructus hi, ſordesque hæ rancidæ exinde potiſſimum proveniunt, ſi pinguia vinoſis commiſceantur; ex ea enim miſtione ſpecificum genus acrimoniæ generatur. Peſſimus eſt error diæteticus, ſi poſt adſumtas carnes multas pingues vinum meracum bibatur, licet error quotidianus & ſolennis omnino ſit, facilius enim & magis innoxie junguntur aquoſa oleoſa, quam vinoſa. Malum jam hoc cardialgiacum, ab ingluvie ortum, ſæpe leve eſt, curandum ſola abſtinentia, largo demum aquæ potu, materiam diluente. Verum tamen ſi malum hoc grave fuerit, ſi ſaburra adſit copioſior; tunc vel ſpontanea, vel, quod ſæpe fieri oportet, arte inſtituta evacuatione per ſuperiora, aut inferiora curatur.

§. VII.

Tertia cardialgiæ ſaburralis ſpecies eſt biliosa, quæ frequentiſſima eſt, & peculiaribus characteribus notatur. Cardialgia hæc oritur a bile, vel a materie bilis formam referente. Ortus ejus vehemens eſſe ſolet; recurrit nonnunquam cum vomitu æruginoſo, & raro tantum ſemel affligit, ſed, etiamſi conſopiatur, per vices redit. Id peculiare habet, quod illa affecti animo ſint ſupra modum dejecto, anxio, vires ſentiant admodum debiles, & pulſus habeant imbecilles &

celeres. Eſt hæc Baglivii obſervatio, quod illi, quibus bilioſæ, rancidæ ſordes ſuapte naſcuntur circa ſyſtema gaſtricum, ſæpe pulſus debiles, & ſub digitis facile evaneſcentes habeant; quin imo, ſi febres gaſtricæ occurrunt, ubi magna eſt jactatio, per lectum volutatio, anxietas magna cum adparente enervatione virium, plerumque ſignum eſt, pravam materiam magna quantitate collectam eſſe circa ventriculum. Præterea in hac cardialgia circa ventriculum tantus eſt dolor, ut ne minimum ferme adtactum patiatur æger, & ideo ſæpe cum gaſtritide confunditur, ob doloris videlicet vim, ob anxietatem, jactationem; aſt lingua bilioſa, tempus anni inflammationibus haud favens, & defectus ſignorum alias inflammationi communium, hanc facile diſcriminant a vera gaſtritide.

Confunditur etiam ſæpe cum cardialgia hyſterica, ſeu ſpasmodica, quacum omnia fere communia habet; etenim & hæc juxta Sydenhamum, *in proceſſibus* pag. 699, dolore circa ſcrobiculum cordis atrociſſimo inſignitur, qui adtactum repudiat, ſæpe numero etiam vomitu æruginoſo ſtipatur. Attamen lingua hic fideliſſimus eſt index, quoniam in cardialgia bilioſa impura eſt, pellicula flaveſcente, videſcente maximam partem obducta; ubi e contrario in ſpasmodica pura lingua exhibetur.

§. VIII.

Cardialgia bilioſa idem omnino morbus eſt, ac colica bilioſa, eandem omnino curationem admittit.

tit, eosdem etiam characteres habet, & cum colica bilioſa ſæpe conjungitur.

Curatur vero medicamentis ſolventibus, iisque ſalinis, materiam, ventriculi parietes vellicantem, incidentibus, excitato poſtmodum vomitu artificiali. Cum autem in hac cardialgiæ ſpecie ſæpe numero vomitus ſpontaneus adſit: valebit hic ille canon; quod vomitu vomitum tollere oporteat; denique præmiſſis ſolventibus, præmiſſo emetico ſaburram evacuante, accedendum erit ad roborantia, eaque ſtomachica. Multi hic errores cum ab aniculis, tum a medicis anicularum morem amplectentibus committuntur, qui ſcuta varia ſtomachica, aromatica, antiſpaſtica applicant; talia enim ſolum in hac cardialgiæ ſpecie conveniunt, ubi nervorum magna irritatio ſupereſt; ubi ablata licet cauſa irritante, nervi tamen cardiæ proſpicientes diſpoſitionem, ut ita dicam, quamdam retinent, & ſpasmos excitant, quos tunc ſcuta hujusmodi ſopient, & nervis aliam diſpoſitionem inducent, & a priori, atque diuturna deſuefacient. Nocent enim guttulæ illæ ſtomachicæ, ſpirituoſæ, nocent carminativa, & maxime nocent opiata; etenim opiata vomitum alias ſalutarem cohibent, & diarrhœam fors ſupervenientem atque ſalutarem ſiſtunt, augendo diaphoreſim, materiam in ventriculo collectam urgent ad vias ſecundas, ipſum vero ventriculum languidiorem, magisque debilem reddunt. Plerumque cardialgia hæc eſt absque febre; ſed male tractata in febrim aſſurgit, eamque gaſtricam bilioſam, & maxime afficit, ubi bilioſa materies meraca eſt, minus enervata. Sæpe morbos per ſe eſt, ſed ſubinde, maxime æſtate, febrium bilioſa-

 rum

rum moleſtum ſymptoma tantum, ubi ſubin adeo valida eſt, tantasque ægro anxietates & jactationes inducit, ut etiam animi deliquia, ſyncopen, inſultus adeo epilepticos producat.

§. IX.

Viſa nunc cardialgia ſaburrali, ejusque pro varia cauſa in varias ſpecies ſubdiviſione, tranſeamus ad alteram cardialgiarum claſſem explicandam, quam flatulentam diximus. Oritur hæc ab ingeſtis multis aëre fœtis, e. g. a fructibus horreis nimia copia aſſumtis, facile fermentantibus, a muſto, ab uvis copioſius ingeſtis, a cereviſia in actu fermentationis ſuppreſſa, potataque. Ventriculus tunc ab extricato aëre diſtentus acriter dolebit, cardia ex irritatione conſtringetur, & ructuum eruptio ſalutaris comprimetur. Natam ſic cardialgiam curant enemata eccoprotica frequentius injecta; ſpaſmus vero cardiæ ſolvitur anodynis, carminantibus, liquore anodyno minerali &c. ſoluto ſpaſmo emeſis concitata ſæpe prodeſt. Ceterum juvat res ejusmodi facile fermentantes aut prorſus non aſſumere, aut ſi aſſumantur, parce, & nonniſi ventriculo jejuno. Moris quidem eſt, fructus horræos copioſos poſt prandium lautum ingerere; ſed fructus hi & hac mole ingeſti in loco humido & calido, & ipſa diuturna commoratione, ſi miſceantur cum aliis alimentis, citam & facilem fermentationem ſubeunt; ubi tunc præter ſuperius laudata prodeſt eximie magneſia nitri, aut ſola data, aut rheo & ſalibus aucta.

§. X.

§. X.

Tertio loco commemoravi cardialgiam ſpaſmodicam, quam etiam hyſtericam nuncupant, cum ſæpius fœminas hyſtericas, & viros hypochondriacos invadat. Oritur a ſola nimia irritabilitate, ita quidem, ut poſt levia etiam animi pathemata mox de ea conquerantur. Si igitur ex irritabilitate nimia ipſius ſubjecti, ex ipſius animi pathematibus præegreſſis, & ex abſentia vitii cujusdam alterius cognoſcatur, cardialgiam a ſolis ſpaſmis pendere; tunc antiſpaſticis omnis generis, & opiatis ſuccurrendum erit. Notandum tamen eſt, ne ſtatim nimiam irritabilitatem incuſemus, & ut caute inquiramus in ſtimulum hunc excitantem, illamque cauſam, quæ multiplex eſſe poterit, tollamus.

§. XI.

Quartam cardialgiæ ſpeciem dixi menſtruantium, & hæmorrhoidalem; cardialgia menſtruantium frequenter occurrit, & ſequentem admittit explicationem. Oritur nempe, ſi ſanguis menſtruus ob uteri ſtrictiorem habitum parcius efferatur, aut non niſi magno cum molimine efferatur; ſi retentus accumuletur, ſtagnet, & jam non ſola vaſa uteri, ſed vicinorum etiam inteſtinorum diſtendat, & vellicet. Hinc dolor ventriculi a regurgitante, ut ita dicam, ſanguine menſtruo inſtante menſium fluxu, ægram maxime exercebit. Menſtrua hæc cardialgia tollitur provocando menſes, ſanguinem menſtruum proliciendo apta via, & debita. Hunc in uſum indicantur pediluvia, aquæ vapor ad inferiora admiſſus, ſemi-

cupia, & in corpore plethorico etiam phlebotomia, ſed in pede inſtituta; enemata eccoprotica ſanguinem verſus anum & uterum allicientia; dein etiam interna remedia leniter ſalina, eccoprotica, eodem pariter ſcopo, ut partes internæ leviter irritentur, & ad irritatas partes major fiat affluxus humorum; nitroſa igitur, magneſia nitri vel ſola data, vel juncta floribus ſulphuris, aut boraci veneto, vel doſes exiguæ, factis jam prioribus tempore menſtruationis, remedii cujusdam aloëtici.

§. XII.

Cardialgia quoque talis (§. XI.) obſervatur illis fœminis, in quibus ob ætatem ipſam provectam catamenia & parcius fluunt, & tardius redeunt, ac tandem emanent. Solennis epocha emanentium menſtruorum eſt in noſtris regionibus inter 48vum & 50mum ætatis annum; hac enim ætate habitus uteri fit ſtrictior, reparatur eadem copia ſanguinis, ſed jam non eadem per uterum ſtrictiorem effertur; tum oritur ſtaſis, fit quaſi regurgitatio ſanguinis ejus ad ventriculi vaſa, & orietur cardialgia. Hæc nata, & hac ætate obſervata, ut & alia incommoda ab hac cauſa orta, feliciter avertuntur admota pedi lanceola; nonnunquam vero ſatis apte & feliciter hirudinibus ad anum applicatis curatur, ut vicaria quædam evacuatio inſtituatur.

§. XIII.

Cardialgia hæmorrhoidalis in hunc etiam cenſum numeranda venit, quoniam & eadem cau-

ſa hujus mali habeatur. Oritur in viris fluxu hæmorrhoidali alias conſueto nunc ſuppreſſo & ſanguine primo vaſa inteſtinorum, dein & ipſius adeo ventriculi diſtendente, & parietes vellicante. Patet inde methodus medendi; prodeſt enim hic aut priorem per hæmorrhoidalia vaſa evacuationem reſtituere ope hirudinum; aut vicariam aliam ſubſtituere per ſanguinis miſſionem, præcipue in artubus inferioribus inſtitutam. Non pauci remediis internis hic utuntur ad fluxum hæmorrhoidalem reſtituendum, non mitioribus ſed calidis aloëticis &c. Verum tamen certum eſt, ab his calidis plerumque varia mala produci; ſic hæmorrhagias varias pulmonum & ani. Hinc ſi internis remediis provocare velimus hæmorrhoides, præſtat potius id fieri lenioribus, uti magneſia nitri, magneſia muriæ, aut purgante leniſſimo ſalino eccoprotico, aut enemate blando ſollicitante, vel externe vapore aquæ mediante ſella perforata admiſſo.

§. XIV.

Pervenimus ad aliam cardialgiæ ſpeciem, quæ gravidas afficere ſolet, pro vario autem graviditatis tempore variam agnoſcit cauſam, & ex hoc capite in tres omnino diverſas ſpecies ſubdividitur notatu dignas, & valde crebras, ſcilicet in eam, quæ primis diebus aut ſeptimanis poſt conceptionem obtinet; deinde in eam, quæ circa tertium, quartumve graviditatis menſem deprehenditur; tandem in illam, quam ultimis menſibus aut ſeptimanis gravidæ experiuntur.

§. XV.

Initio agam de prima cardialgiæ gravidarum ſpecie. Poſt conceptionem plerumque nauſeas conqueruntur, vomituritiones, vomitusque, averſionem a rebus alias adamatis, & cardialgiam plerumque patiuntur, quæ non provenit a ſaburra primarum viarum, aut conſueta alia cardialgiæ cauſa; ſed totum id incommodum novæ mutationi in corpore factæ debetur, & novis turbis per conceptionem inductis. Utplurimum omnis in hac ſpecie medicatio fruſtranea eſt, & tempus ſolum hic, quemadmodum in innumeris aliis morbis, optime medebitur. Nonnunquam tamen prodeſt medicamentum antihyſtericum, nervos ſopiens, aliamque iis mutationem inducens priori contrariam. Hinc laudant hoc ſcopo ſpiritum nitri dulcem, & quæcumque alia acida mineralia dulcificata, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni, mentham & ejus præparata, chamomillam, camphoram, caſtoreum, vel exiguas etiam doſes aſæ fœtidæ, nodulos antihyſtericos, atque alia huc pertinentia. Plerumque parum periculi, licet multum incommodi hæc cardialgia habet.

§. XVI.

Altera gravidarum cardialgia, quæ finito tertio, quartove menſe ſupervenit, majorem, quin omnem medentis attentionem poſtulat, quia neglecta in abortum tranſire poteſt. Oritur autem plerumque a ſanguine menſtruo retento, cujus vero integra quantitas major eſt, quam ut a tenello adhuc fœtu conſumi poſſit, unde multa incommoda gignuntur, v. g. dolores in initio le-

ves colici, poſtmodum accumulato adhuc magis ſanguine dolores ventriculi, ſive hæc cardialgiæ ſpecies. Frequentia hujus mali variat pro diverſa anni tempeſtate, ſic tempore vernali, aut ſæva rigidaque hyeme magis obſervatur, quam æſtate, vel autumno, magis quoque in fœminis laute viventibus, bene paſtis, plethoricis, & venæ ſectionibus aſſuetis, magis in fœminis urbanis, quam ruricolis. Dixi provenire a retento ſanguine, cujus nimia moles uterinum ſyſtema gravat, replet, vicina viſcera in conſenſum trahit, urgetque verſus ſuperiora. Hæc cardialgia evacuatione alvina, eccoproticis nulla ratione curatur; ex his enim abortus periculum imminet. Reſpuit quoque methodum in prima ſpecie laudatam antihyſtericam; exacerbatur conſuetis ſtomachicis & amaricantibus, & neglecta aut exacerbata in certum vix non, & ſæpe periculoſum abortum terminatur. Nam hæc ſuperflua copia ſanguinis uterum occupans eundem irritabit, & ad excluſionem fœtus determinabit, & poſtquam per aliquod jam tempus ſanguinis quid ex utero prodiverit, quod poſt particulam placentæ avulſam contingit, tandem hæmorrhagia uteri, & abortus conſequetur. Hoc autem malum præoccupamus aptam adhibendo medelam, quæ conſiſtit ſolummodo in venæſectionibus, iisque potiſſimum in brachio inſtitutis, in emulſis nitroſis, diæta pertenui, excarni; dum vero jam aliquid ſanguinis ex utero ſtillat, quies ſumma commendanda eſt, & iteratæ phlebotomiæ inſtituendæ ſunt, una cum omnibus ſimul & ſemel antiphlogiſticis adhibitis; & tunc, ſi modicum fuerit ſanguinis ſtillicidium, ſæpe feliciter abortus prævertitur, ac ſi avulſa pla-

cen-

centæ particula denuo adglutinaretur. At vero jam longius progreſſo malo, ſanguine majori copia exſtillante, quin plenaria jam uteri hæmorrhagia præſente, certo certius abortus ſequetur.

§. XVII.

Tertia demum cardialgiæ gravidarum ſpecies obſervatur, ut ſupra (§. XIV.) dictum eſt, potiſſimum ultimis graviditatis temporibus. Contingit hæc, partim quod uterus diſtentus ventriculum verſus ſuperiora urgeat; partim quod ipſa hæc uteri moles nimia alvum reddat tardiorem, comprimendo ſcilicet inteſtina. Ex hac retardata alvina dejectione multæ fæces coacervantur, quæ dolores primum colicos, dein etiam cardialgiam producent. Hæc ut ſit longe minus periculoſa, quam illa altera ſupra (§. 16.) memorata, nullatenus tamen ſpernenda eſt. Sordes enim hæ ultimo graviditatis tempore collectæ, niſi proxime ad partum, vel mox poſt eum eliminentur, febribus puerperarum ſæpe adeo periculoſis anſam præbebunt. Scilicet ſanguis in partu neceſſario amittitur, omnia exagitantur, & motus febriles ſub ipſo puerperio accedunt; & tunc illa moles gaſtrica, quæ iners erat, febrim accendet mali moris gaſtricam, biliofam, putridam, & demum etiam malignam. Ut bona huic cardialgiæ medela fiat, ſuadenda eſt ultimo graviditatis tempore diæta magis reſtricta, parcior, & frequentior potius, quam ut ſimul & ſemel multa ingerantur; alvum humectare oportet, eamque crebro ducere, ſed remediis blandiſſimis eccoproticis, & enematibus. Sub ipſo partu, & mox poſt partum ducenda alvus remediis leniſſime purgantibus. Regnat quaſi epi-

de-

demicus quidam error ad hæc uſque tempora, ſcilicet: abſtinendum eſſe ab omni omnino remedio evacuante poſt partum, purgantia ſummopere nocere. Hinc aut evacuantia penitus negligebantur; aut parciſſime exhibebantur. Tandem Cel. Tiſſot omni opera demonſtrare conatus eſt, convenire ſummopere leniora purgantia poſt partum, ut moles illa in inteſtinis diu hærens efferatur, antequam ea communi lege, qua omnia ingeſta ſolent, in ſanguinis maſſam recipiatur, & febrim accendat malimoris. Notat hic Cel. vir, purgantia purerperis data ex eo forte obfuiſſe, quod quidam dederint remedia aloëtica, ſcopo partim purgante, partim etiam lochia pellente, quæ remedia calidæ indolis omnino male cedere debuerint. Verumtamen alia longe actio eſt remedii lenioris eccoprotici, magneſiæ nitri, tamarindorum, caſſiæ, & frequentiorum enematum.

§. XVIII.

Alia cardialgiæ ſpecies notatu digna exoritur ab acribus aſſumtis. Hæc ſubinde cum vomitu accedit, ita quidem, ut vomitus in hyperemeſim degeneret, & hypercatarſis ægrum ſimul affligat. Sic orta cardialgia a venenis, vel ab acribus ingeſtis, obſervatur etiam a nimia purgantis draſtici doſi, aut a draſtico incongruo tempore dato, aut ingeſto ſubjecto irritabili. Indicationes tali in caſu erunt, materiam venenoſam, vel acrem excutere; dein, ſi excuti ex integro non poſſit, eam ſaltem enervare, obvolvere; & denique, ſi materies ablata, aut enervata, involuta fuerit, ſpaſmi tamen adhuc aliqui reſtent, eos conſopire. Primæ indicationi ſatisfaciet cito agens eme-

ticum, niſi jam adſit vomitus, vel hypercatharſis e. gr. ſit cardialgia a fungis venenatis: tunc, ſi vomitus adſit nullus, proderit excutere gravantem ſaburram; ſi vero adfuerit jam vomitus, ea ſolummodo danda erunt, quæ vomitum facilitant, & minus noxium reddunt, uti aqua tepida, mellita, juſcula pinguia &c. Alteri indicationi ſatisfit per ea, quæ venenatæ acrimoniæ (ſi quædam nota fuerint) ſunt contraria, aut ſi mucilaginoſa, involventia, magna copia hauriantur. Ultimæ autem indicationi opium, aut ejus præparata ſatisfacient.

§. XIX.

Septimo loco de cardialgia metaſtatica agere ſtatui, de quà pauca tantum adferam. Oritur hæc ab acri quocumque v. g. arthritico, podagrico, ſcabioſo &c. ſubito retrocedente, & ventriculum occupante. Dignoſcitur hæc, ſi ſubito e. g. dolor arthriticus, aut podagricus ceſſet, mox dolore circa ſcrobiculum cordis orto. Contingit utplurimum, ſi malo conſilio partes antea acrimonia obſeſſæ, ſtringentibus tractentur, vel ſi iis actu frigida adplicentur. Patet inde, methodum medendi maxime verſari circa id, ut acre demulceatur, attenuetur, & ad prius obſeſſas partes, ſi fieri poſſibile eſt, derivetur; partes vero ipſas ita eſſe diſponendas, ut eam commode recipere queant. Hinc decocta attenuantia, demulcentia, balnea ut plurimum præſtant.

§. XX.

Ultimam tandem cardialgiæ ſpeciem ſtatui a vitio organico natam, quod in mala ſtructura ipſius ventriculi ſitum eſt; ſic ventriculus induratus, quaſi ſemicartilagineus, præcipue verſus pylorum, ſic pylorus ſcirrho obſeſſus cardialgiam cauſare poteſt. Hoc malum præcipue cum vomitu conjunctum eſt, & plerumque immedicabile. Proderit tali in caſu ſolummodo exiguas alimentorum doſes aſſumere, & forma potiſſimum liquida; omnia enim alia copioſius aſſumta, aut forma ſolida ingeſta hanc cardialgiam, hunc vomitum augent.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]